

Nemini mandes quod tenes tu.

Jacobi Josephi
Anno 1604
Aur

Tolle [illegible] velutem Insceni non
est

133.

ENCHIRIDION CONTROVERSIARVM PRAECIPVARVM NOSTRI TEMPORIS DE RELIGIONE,

IN GRATIAM SODALITATIS
Beatissimæ Virginis Mariæ,

Authore R. P. FRANCISCO COSTERO
Societatis IESV: S. Theol. Doctore.

Hac editione ab eodem aliquot locis, ac duabus controuersijs (quæ in earum indice asteriscis notantur) auctum, atque emendatum.

Accessit.

Ætas ac series summorum Pontificum, & veterum aliquot Ecclesiæ Doctorum, duo indices, quorum alter res præcipuas, alter quædam Scripturæ loca in hoc opere explicata continet: & propositiones octo aduersus quosuis huius temporis Sectarios.



COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, sumptibus
Arnoldi Mylij
ANNO cIↃ. IↃ. Ic.
Cum Gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

ELENCHVS Capitum.

Præfatio de moribus Hæreticorum.
Et de modo cum eis agendi.
Cap. I. de sacra Scriptura.
An omnia quæ credenda sunt, contineat?
De eius facilitate.
De eius lectione non permittenda omnibus.
De numero librorum sacrorum.
Cap. II. de Ecclesia.
Sitne visibilis?
Cap. III. De Summo Pontifice.
Cap. IV. De fide
Sitne in peccatoribus?
De fide speciali.
De certitudine salutis.
Cap. V. De libero arbitrio.
Cap. VI. De iustificatione.
De causis & modis iustificationis.
Cap. VII. De meritis bonorum operum.
Cap. VIII. De sanctissima Eucharistia.
De Transubstantiatione.
De adoratione Eucharistiæ.
Cap. IX. De sacrificio Missæ.
Cap. X. De communione sub vtraque specie.
* Cap. XI. De Sacramento Pœnitentiæ.
* Cap. XII. De Indulgentijs.
Cap. XIII. De S. Cruce.
De vsu & veneratione imaginum.
De origine Iconoclastarum.
Cap. XIV. De veneratione Sanctorum.
Cap. XV. De Sanctorum reliquijs.
Cap. XVI. De Purgatorio.
Cap. XVII. De Cœlibatu Sacerdotum.
Cap. XVIII. De Ieiunio & delectu ciborum.
Cap. XIX. De precibus Latinè recitandis.

BIBLIOTEKA PRAWNICZA
13900
2653 a 1985

VNIVERSÆ SODALITATI BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

HOC controuersiarum ἐγχειρίδιον, Sodales, vestri nuper gratia in lucẽ emissum; nunc aliquanto auctius vobis dedicamus, vt ad Hæreticos conuertendos, & Catholicos in orthodoxa religione conseruandos vtamini, miserti tot animarum, quæ fraude Dæmonis, nefariorumque hominum improbitate passim miserè pereunt. Videtur enim postremis huiusce mundi temporibus Satan, vel quod intelligat non multum temporis restare, vel quod ex Indicis, & Iapanicis Prouincijs, & Regnis (in quibus maximo numero ad Ecclesiam concurritur) sit eiectus, omnem lapidem mouere, vt vel in hisce regionibus nostris regnum constituat, &, si non idolorum cultum inducat, saltem religionem, ac pietatem omnem funditus tollat. Quam rem cum tanto impetu, ac furore est aggressus, vt viri cordati, & prudentes demirentur, hunc desperatum Dæmonis conatum à miseris mortalibus non animaduerti. Etsi enim multas iam inde à principio hæreses fuisse constat, vix vllo tamen vnquam tẽpore, vel pluribus, vel turbulentioribus, vel aptioribus ad omnem honestatem conuellendam fuit Resp. Christiana exagitata, quàm hoc nostro longè miserrimo, & calamitosissimo seculo: neque vllas vnquam hæreses inuexit humani generis hostis, in quibus producendis manifestius se ipsum

authorem esse declararit, quàm in nostri temporis hæresibus. Illæ Principum, & Imperatorum authoritate tanquam legitima nitebantur, hę Principum & Imperatorum authoritatem, ac dignitatem penitus euertunt: Illæ paucos articulos mordebant, ab his nihil ferè est intactum: Illæ vel in Deum solum, vel in homines solos erant iniuriosæ, hæ nihil non violant, Deum, Sanctos, homines, cœlum, terram, infernos: vt non obscurè declarent, opus suum non humanum, sed prorsus esse Diabolicũ. Quid enim aliud ad animarum interitum Dæmones ipsi facerent, si humana specie in terras nostras venirent, quàm quod hodie hæretici moliuntur? Conantur primò Dæmones debito Deum cultu, honore conuenienti Sanctos, & necessarijs subsidijs defunctos spoliare; deinde latissimam, planissimamque mortalibus viam ad inferos aperire, ac postremò remedia peccatorum & metum inferni procul amouere. Hæc cogitatio, hoc studium, hi conatus Dæmonum. Ecquid obsecro istorum à nostris Hæreticis non est tentatum? Deo iam inde ab orbis exordio, tanquam pleno, ac summo creaturarum omnium conditori, ac Domino à mortalibus diligentissimè atque religiosissimè sacrificari sueuit. Hunc ritum diuini cultus antiquarunt Hæretici, non minus profectò in Deum Opt. Max. iniurij, quàm essent in Regem suum naturalem, & legitimum subditi illi, qui tributum Regali nomini, & Maiestati debitum, Regiæq; dignitatis testem, soluere recusarent. Erat (inquit Scriptura de filijs Heli) peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Domini. Quãta porrò illorum in vnigenitum Dei filium barbaries? cuius sacratissimum corpus

1. Reg. 2.

pedibus

pedibus in Eucharistia conculcāt, cuius passionis, & mortis memoriam in Missa coli solitam extinguunt, cuius crucem ne manu quidem, more institutoque veterum Christianorum formari patiuntur, cuius signa, & trophæa maiorum pietate in templis, plateis, vijs constituta, incredibili odio, & furore deturbant, frangunt, comminuunt. Taceo Monophysitas, qui humanam eius naturam negant. Omitto Trinitarios, qui Sanctissimam, ac superbenedictam Trinitatem (ô blasphemiam) tricipitis infernalis Cerberi nomine appellare non verecundantur: & alios, qui Christum optatissimum Dominum & Redemptorem nostrum damnatorum supplicijs apud inferos addixerūt. In matrem verò Dei quales? Non fuit beatissima virgo Maria sanctior Luthero, quàm impurum ipsius, & sacrilegum scortum Katharina Bornensis professa, & fugitiua Monialis. Diui omnes surdi sunt ipsis, muti, imbecilles, qui neque preces nostras audiant, neque pro nobis orent, neque opem vllam ferre possint. Vitam eorum eleuant, victus, cultusque asperitatem extenuant, humilitatem, castimoniam, cæteraque virtutes peruellunt, ne admirabilem, & inusitatam vitam duxisse, sed communem cum alijs hominibus vixisse videantur. Diui Præcursoris tantopere à Christo laudatam abstinentiam & nuditatem, illi delicias, & splendorem interpretantur, quasi more nobilium, & aulicorum vndulata veste fuerit amictus, & non vulgaribus (vt habet Euangelium) locustis, sed quodā delicatissimo piscium genere in deserto victitarit.

Defunctis in purgatorio existentibus nihil opis relinquunt, quo vel puncto citius ex illis acerbissimis tormentis emergant.

Ad homines verò perdendos, quid potuisset Dæmon accommodatius fingere, quàm spreta Pœnitentia, neglectisque bonis operibus, solis vitijs, & peccatis indulgere? Quæ quidem licet verbo ab Hæreticis non dicantur (neq; ita crasse procul dubio à Dæmonibus proponerentur) re tamē vera nihil aliud dicunt. Quid enim aliud est, solā fidem iustificare, solam fidem salutem dare, solam fidem omnia posse, opera nulla vel ad iustitiam, vel ad salutem valere, nullum esse, quantumcūque graue flagitium, quod hominem, modò velit credere, à salute possit excludere, Dei præcepta seruari non posse, hominem carere libero arbitrio, Deū in homine omnia bona, & mala sic operari, vt nō magis cooperetur homo, quàm stipes, aut scipio ab aliquo motus? Quid hoc quæso aliud est, quàm homines natura sua propensos, & currētes ad peccatum incitare? Ex hac præclara doctrina effectū est, vt Monachi, & virgines solenni ritu, & ceremonia Deo consecrati, perfractis continentiæ repagulis (quam impossibilem seruatu didicerant) sacrilegas nuptias concupierint. Hac doctrina alij ad ebrietatem, alij ad vindictam, alij ad adulteria, alij ad furta, alij ad iniustitiam sunt impulsi. Cùm enim non minus illi sentirent molestiæ in suis vitijs, & motibus refrenandis, quàm in libidine cohibenda Lutherus existimauerunt ἀδύνατον esse à peccatis, ad quæ se propendere videbāt, abstinere.

Hinc nulla apud Hæreticos castimonia monachorum, nullus cœlibatus Sacerdotum, nulla ieiunia, nullus ciborū delectus, nullū denique virtutis, & honestatis studiū, dū quisq; id, quo impetu suæ cupiditatis rapitur, putat sibi necessariò faciendū.

Iam verò media, quibus homo à peccatis auocatur,

tur, sunt timor gehennę, Sacramenta, asperitas vitæ, ieiunia, & similia, quæ à maioribus nostris accepimus. At verò Hæretici nec metum gehennæ ferunt (Quid? quod quidam infernum funditus sustulerunt?) nec sacramenta ferè vlla præter Baptismum habẽt. Eucharistia illorum est merus panis, & vinum, (quid enim sacri daret minister prophanus?) Absolutio est falsa denunciatio remissionis peccatorum. Ecclesiasticus ordo est prophanus secularium hominum cętus, qui non plus habẽt iuris, & authoritatis ad sacra Ecclesiæ munia obeunda, neq; suis Sacramentis homini largiuntur plus, quàm mulieres, quibus Apostolus omnem in Ecclesia potestatẽ abrogauit. Itaq; nemo apud illos per Sacramentum Confirmationis induitur virtute ex alto, nemo septiformi Spiritus sancti gratia corroboratur, vt aduersus fidei hostes, fortiter & animosè decertet, vt pro Dei gloria, proximorũq; salute perditorum hominum impetus propulset, vt internas & occultas Dæmonum machinationes ad nihilum redigat. Nemo post Baptismum lapsus consequitur vel vnius criminis mortiferi condonationem. Nemo reficitur vero Christi corpore, vt possit, quàm suauis sit Dominus, gustare. Nemo gratiam accipit, & robur ad molestias coniugij perferendas, si quidem (vt ipsi dictitant) matrimonium non est Sacramentum. Nemo infirmus subleuatur: Nemo ad frangendas Dæmonis tentationes, & insultus in illo difficillimo, ac periculosissimo certamine confirmatur, cùm per illos Sacramentum Extremæ vnctionis ad hanc rem diuinitus institutum, communibus sententijs sit confixum. Estne quicquam præterea, quod iuratus Christianæ

1. Tim. 2.

1. Cor. 14.

pietatis hostis, & extinctor Diabolus factum cupe-
ret? Alioſne errores pro ſua nocendi libidine ad
ſempiternum hominibus exitium comparandum
inferret, quàm quibus omnia ſalutis adiumenta
remouentur, & omnia malorum incitamẽta ſub-
miniſtrantur? & hoc quidem ſpecie fidei, religio-
nis, ſalutis animarũ, honoris Chriſti, gloriæ Dei?
Præter hæc, quæ profectò callidiſſimè ſunt inuen-
ta ad omnem vitæ integritatem euertendam, aliud
non minus peſtilens, atque efficax ad infinitos er-
rores inducendos excogitarunt, cùm omnes de re-
ligione controuerſias imperitæ multitudinis iu-
dicio permiſerunt, penes quam poteſtas ſit, quid-
uis de grauiſſimis religionis noſtræ negotijs in
medio poſitum, pro ſuo arbitratu vel approbandi,
vel reijciendi.

Incredibile dictu eſt, quàm multas, & pernicio-
ſas hæreſes, quàm inauditos errores. quàm no-
uas de religione diſceptationes hæc doctrina pe-
pererit, vnoquoque pro ſuo ſibi cerebro, fidem,
ceu idolum quoddam conſtituente.

Sed nunc videamus quomodo inſignis illa re-
ligionis mutatio ſit facta. Vniuerſa Eccleſia toto
terrarum orbe longè, lateque diffuſa, iam annos
mille quingentos in vna fide, in vna religione a
maioribus accepta, & certa firmaque dogmatum
ſuorum poſſeſſione ſine controuerſia acquieſce-
bat. Nulla lis, nulla contentio, magna religionis,
magna animorum conſenſio: donec Monachus
quidam fugitiuus, & infauſtus Apoſtata, qui vio-
lata ſolenni caſtitatis profeſſione, virginem Deo
ſacrã funeſtis nuptijs ſibi copulauerat; quo into-
lerabili faſtu omnes præſe contemnebat, & pro
nihilo putabat; qui Principes, Monarchas, Epiſco-

pos,

pos, totamque Catholicorum Ecclesiam conuitijs, scommatibus, & omnibus verborum contumelijs insectabatur; qui viros doctrina, nobilitate, sanctitate præcellentes, asinorum, porcorum, stipitum nominibus appellabat, & stercorum loco ducebat; qui se omnes curas, omnẽ in eo mentem, vt Pontifici, reiq; Pontificiæ noceret, fixisse palam dictabat; qui se à Diabolo institutum affirmabat, qui se cum Diabolo plus quàm modium salis comedisse, & magna ei familiaritate coniũctum fatebatur; donec (inquam) ille talis, tam antiquam fidem, tot seculorum decursu per omnẽ terrarum orbem conseruatam, tot Martyrum sãguine roboratam, tot Diuorum miraculis confirmatam, tot Doctorum scriptis illustratam, erroneam, falsam, fraudulentam esse vociferaretur, totamque Ecclesiam tot seculis, sempiterna quadam nocte oppressam, in densissimis errorum tenebris iacuisse, sacrasque literas perperam intellexisse confirmaret, nullo alio in tam graui totius orbis accusatione vsus argumento, quàm quia ipse sciret se à Spiritu sancto missum esse. Quod quid aliud quæso est dicere, quam vniuersam Ecclesiam errauisse, quia id dixerit Diabolus, suggesserit-que Luthero, qui in disputatione Lypsica de his suis nouationibus loquens; palam in hæc verba prorupit: *Hæres non est propter Deum cœpta, neque propter Deum finietur:* Siquidem illud ab eo dici, qui se Diaboli familiarem atque discipulum fatetur, & non propter Deum cœpisse, non est aliud quàm ab ipso Diabolo dici. Ecquis igitur non obstupescat inueniri homines, qui nouos istos Doctores sectentur, cùm & dogmata illorum Dæmonis ingenio ac studio digna esse constet, & eorum Prin-

ceps, & Coryphæus Diaboli se discipulum, atque familiarem sine vlla verecundia fateatur.

Hæc cùm vos, Sodales, non nesciatis, miseremini quæso populi Christiani, præsertim rudium, & simplicium hominum, quos fraudibus, & impostruris suis capiunt, irretitosq; tenent Hæretici ministri, & Scriptores, omnesque conatus vestros configendos putatote in animabus, pro quibus Iesus Christus sanguinem suum profudit, ex Hæreticorum, ex Diaboli, ex inferni faucibus eripiendis. Hoc vt commodius præstare valeatis, hunc vobis libellum dono, precorque amantissimam Dominam nostram, vt hoc opusculum in suum honorem conscriptum, ad maiorem diuini nominis gloriam, & sempiternam quàm plurimarum animarum salutem prosperare dignetur. Valete.

Vester in Christo seruus,

FRANCISCVS COSTERVS.

SACRA-

SACRATISSIMÆ VIRGINI MARIAE DEIPARAE DEDICAT SVA SODALITAS Colonienſis.

Regia ſtirps Dauid ſuperûm Regina, Tonantis
Virgo parens, hominum Diua ſequeſtris aue.
En tibi pſallentes modulis gratamur & odis,
Ac hilari meritas pendimus ore vices:
Te duce quod iuuenum ſelecta virûmqúe caterua
Lege ſodalitij facta ſit amplatui.
Splendida quam virtus celebrem, doctrinaqúe reddit,
Quam decor exornat religioqúe vetus.
Quodqúe ſodalitium tam claris diues alumnis,
Feceris immotam ſemper habere baſin.
Illud enim ſummus Romanis Præſul in oris
Maturo arbitrio cenſuit eſſe ratum:
Quo fuit effectum Legio vt Mariana cis Alpes
Europæ reliquos prenderet aucta ſinus.
Ambigis? occiduos nullo diſcrimine tractus.
Iam tenet, & fructus, vber vt arbor, alit.
Albin præcipue, Sequanam percurrit & Iſtrum.
Germanos paſſim Rhenicolasqúe petit.
Turba quidem talis primo cùm ſurgeret ortu,
Iampridem latuit parua, minuſqúe frequens:
Sed veluti Rhenus tenui deductus ab vnda,
Mox peragrans campos agmine flumen agit,
Et cerasus quondam Luculli tempore Ponto
Propria, dehinc varijs eſt data planta locis:
Secius hæc nihilo Marianæ concio gentis
Pluribus orta breui cernitur eſſe plagis.

Gratiarum actio pro Sodalitatis inſtitutione.

Sodalitatis laus.

Confirmatio per ſummum Pontificem.

Propagatio in Germaniam & partes vicinas.

Veriùm

Hostes.

Verùm nil adeò viget integritate beatum,
Quantumuis supero purius igne micet:
Quod non inficiat Cacodæmonis impia tabes,
Inuidiaque bonum depopulante gemat.
Vmbra viatorem subit acri sole coruscum,
Miram virtutem Zoilon vsque sequi?
Scorpius Ausonibus sub quouis excubat antro.
Rebus & integris omnibus hostis adest.
Ergo aliunde malo simul ipsa laborat eodem,
A Maria nomen virgine nacta cohors.
Cur aliunde nitens in se manet integra, verùm
Numinis in matrem toxica lata dolet.
Sibilat hæreticus, non sibilet? anguis habetur:
Rugit, & hoc quadrat, nam leo fertur atrox:
Grunnit, agétne secùs quàm scrophæ more volutans
Membra luto, noxas spurcitiamque colit?
Tale triceps monstrum (quid? tetrior hæresis extat)
Prima recentis agri vastat vbique sata.
In Dominam cæli Dominæque fidelis alumnos,
Imò Deum setas erigit acre suas.
Sæpè venenata conspurcat oscula fauce,
Polluit & mutilat, quando necare nequit.
Si pepulit Roma Syluester ab vrbe draconem,
Corpora ne pernix tolleret ista lues:
Nos minimè, perdens animas vt bellua tandem
Occidat, instandum rebimur esse manu?
Cernimus vt ructent tumidis conuicia buccis,
Hæretici audentes figere quemque stylo.
Eia vices demus, calamis instare iuuabit,
Talia pro superis conuenit arma rapi.

Cur libellus in lucē edatur.

Arma libri sunto: cultum tueamur ijsdem
Diuinum, vt terra perstet is, atque salo.
Hic scopus est igitur nostri finisque libelli,
Cælitibus solidum conciliare decus.

Codice

Codice quippe vides fraudes astusque retexi,
Quales impietas fingit agitque vafrè.
Dumque refringuntur trucis argumenta Satanæ,
Recta probatur ibi, sana vetusque fides.
Cuncta leges magno, facili sub schemate, fructu,
Sic cuius placitum seruiet istud opus:
Doctis ingenij memoris vegetabit acumen,
Indoctis methodus vera salutis erit.
Haud quaquam medijs sublatum incudibus extat,
Sed bene limatum tèrue quatèrue liquet.
Quale probauerunt Academia multa, sophique:
Candidus accesit calculus, isque fauens.
Quod quoniam Christi Mariæque fauore peractum,
Est libitum nulli tale dicare viro.
Sed Maiestati (res iusta) vouere supernæ,
Tutelisque sacræ Virginis esse datum.
Supplice quocirca prece solicitamus eandem,
Incidat in varias hæc vt opella manus.
Atque ita Catholicos Materni flamine pleni
Promoueant Vbij, Iuliacesque, decet.
Insuper hoc libro moueatur Treuir in hostes,
Qua celeres Humi terga dedère fugæ.
Eistia qua squalet, qua terra simillima dumis,
Delitet Eucharij scripta ferantur ope.
Officioque vacent Mogoni, sectasq; retundant.
Martino freti præside, Rhene, tuas.
Franconas immutent retinet quos ampla clientes
Herbipolis, quoniam sic Kilianus auet:
Spirenses moneant Nemetas, datur ansa, capessant,
Qualia Christiparens facta requiris, agant.
Vtq; Bonifacius, sic hoc Fuldana iuuentus,
Codice sancta patrum scripta docere parent.
Auræo fautore tuas Eisfeldia gentes
Hieropolis pubes hac ratione iuuet.

Aquibus approbatus.
Quare B. Virgini consecretur
Inuitantur omnes ad vsum lib.
nominatim Sodales per Rheni prouinciam auxilio suorũ Patronorũ.
Colon S. Materni.
Moguntini S. Martini.

Herbrpolẽses S. Kiliani.
Spirenses B. Virginis.
Fuldenses sancti Bonifacij,

Heiligenstadienses sancti Auræi Episcopi martyris. Molsheimenses S. Arbogasti Confluentini S. Castoris. Quis finis libri. Epilogus.

Vos simul Alsaticis plebs Molshemiana sodales
Fulti Arbogasto, subueniatis agris.
Et qui nomen habent geminati à fluxibus amnis,
Castoris exemplo fortiter arma gerant.
Hoc opus, hic sensus labor est, nostræq; supremi
O Regina poli, mentis hic ecce scopus,
Quo nos vulneribus iuuenum medeamur anhelis,
Ac methodus cœli nostra recludat iter.
Fac petimus norint id inextricabile vinclum,
Quale per hæreticos Dæmonis ira parit.
Agnoscant Syrtes procul, hæresiumq; Charybdas,
Corporea vitæ dum freta naue secant.
Seriaque intentis animis documenta reuoluant,
Queis cœli tanquam sydere, constet iter.
Hunc vnà cupimus dignêre pudica libellum
Tutari auspicijs Virgo Parensq; tuis.
Personasq; libro, normaq; fideliter vsas;
Nos simul elisijs annumerare choris.

EPIGRAMMA PARAENETICVM, SODALIVM MOGVNTINENSIVM, AD SODALITATEM B. Mariæ Virginis.

SIccine tam viuax animoso è pectore virtus
Cessit, & ignauo corda pauore stupent?
Eia age, virginei pubes lectissima cœtus,
Ferueat expulso mens generosa metu.
En trahit antiquus sinuosa volumina caudæ,
Per mare, per terras, astraque celsa Draco.
Nil sinit intactum, nihil ille relinquit inausum,
Dentibus impransis obuia quæque metit.

Eructat

Eructat pleno virus lethale palato,
Teutonaq; infandam spirat in arua luem.
Dum quatet vltrices repetitis motibus alas,
Inclyta Romulidum pene labascit auis,
Qui toties Belgas propugnauêre Leones,
Heu dolor, infesta iam periêre lue.
Tota venenoso tam concidit Anglia morsu,
Sordetq; insonti sparsa cruore rosa.
Marcescunt hausta Gallorum lilia peste,
Vix Draco quò vlterius progrediatur habet.
Ad claues Petri (superûm quibus alta patescunt
Ostia) iamdudum prælia versa calent.
Tantúmne ergo scelus feret impius hostis inultum?
Nullo turpatus vulnere victor erit?
Si vestræ aptaret Reginæ in viscera dentes,
Nil contra auderes, ô generosa cohors?
En cœlum affectat, superos in prælia poscit,
Et plena in vestram fauce ferocis herant.
Quin igitur redeunt antiquæ in pectora vires,
Et nota inflammat martius ossa calor?
Quid tardas? aut cur trepidas? audenter eundum est,
Promissa genitrix virgo iuuabit ope.
Iam sonûere tubæ bellatrix cœlica campo
Emicat, atque animos in sacra bella ciet.
Ipsa subit victrix, subeas duce Virgine pugnam,
En noua militibus sufficit arma libro.
Este viri, ô Iuuenes, porrecta capessite tela.
Nil vestram laudem quod remoretur, adest.
Lubricus est serpens, variaq; elabitur arte?
Paruulus iste liber vincula lenta dabit.
Detrectat pugnam, terræq; recessibus hæret
Abditus, hinc latebræ tectaque cæca patent.
Vultus & immues pugnare Draconis ab ictu,
Et valido armatas ense rotare manus?

Hic galea, hic thorax, hic est lorica fidelis:
Hic ensis rapidi fulminis instar adest.
Hunc igitur librum lecti penetrate Sodales,
Mox spolia exiguus reddet opima labor.

SODALITATIS TREVERENSIS Apostrophe ad librum.

I Liber, & latum propera festinus in orbem,
Dogmata, commotus quæ sitit orbis, habet.
Munus es ætherei qui dirigit omnia Patris,
Concessum è summo vertice munus habet.
Munus es illapsi formosum pignus amoris,
Ad facunda voces prælia, munus habet.
Munus es, alituum te sedula vota pararunt,
Pugnanti spes sis saxea, munus habes.
Munus es augustæ quod præbet dextera matris,
Monstres arma mihi fortia, munus habes.
Munus es, arrisit blandi clementia nati,
Vtq; tuo vincam numine, munus habes.
Eia age belle liber cœptis felicibus aude,
Tu quod es, æternum non ruet, & quod habet.
Allusio ad libellum Sodalitatis. *Qui prior inspexit mundum patre natus eodem,*
Tutus eum longo tempore portus habet.
Præcipites nimbi cessêre, puerque, senexq;
Victorem læto pectore victus habet.
Munus stella suum seruauit in æquore: turris
Te inter sæua tegat funera, munus habet.
Quid turris? quid stella? vie est liber ille magister,
Luceat vt lucent sydera, munus habet.
Aſt inimica magis ceu turris, tu agmine frangis,
Meq; tuo firmes aggere, munus habes.
Plura loquar, nomen varium dant munera, quadrans
Seminibus rerum nomina sæpe suis.

Ergo

Ergo stellam maris seruauit in æquore stellam,
Turris præsidium Iessea turris erit.
O me fœlicem! Quid mater blandula reddam?
Terra tuo dignum munere munus habet?
Vota? preces? non vota, preces: datur amplius illis,
Ipsa tuo dignum munere munus ero
Munus ero, rata vota dato, nec despice mater,
Oblatum ex imo pectore munus habe.

EIVSDEM AD Sodales.

QVàm tenerè vos semper amet pia mater Iesu,
Plus aliàs aliter testificata fuit.
Nunc vbi tempus eget, res & locus ipse requirunt,
Cùm nihil in terris Marte, dolóue vacet:
Quicquid moris erat, fuit hoc, vt pelleret hostem,
Per quem (inquit) tutis non licet esse meis.
Arma dat hoc libro, vobisq; merentibus offert,
Hac facile Hæreticus vincitur arte furor.
Vos & amate piam, memores in amore parentis,
Nam quod habetis opus, matris habetis ope.

Vsui [illegible] huius libri
[illegible] Breslauus.

IN SEQVENTES TA-
bulas admonitio.

HAs tabulas summorum Pontificum, & veterum aliquot Doctorum atque Scriptorum eo consilio confecimus, vt & Ecclesiæ Romanæ authoritas, & antiquitas Catholicæ doctrinæ, Patrumque per vniuersum Orbem terrarum consensus eis obijciatur, qui nouas doctrinas ad nostra vsque tempora inauditas hominibus obtrudunt. Constat enim hos omnes, & controuersos hac ætate articulos pro Catholica Ecclesia confirmasse, & nouitates hæreticorum nostrorum ignorasse, condemnasseque. Et licet Scriptorum istorum nonnulli in quibusdam à Catholica fide aberrauerint (vt Origenes, Tertullianus, Socrates, Sozomenus, Eusebius Cæsarienſis, Theodoretus sub finem vitæ conuersus, &c.) mirè tamen in illis fidei dogmatibus, quæ nouatores moderni calumniantur, cum Catholicis consentiunt, & quid passim in Ecclesia suis temporibus creditum, seruatumque à populo Christiano, traditumque ab Episcopis & Doctoribus fuerit, vt historici referunt; vt intelligat Lector neque Catholicum vllum veterem, neque hæreticum Scriptorem ab ipsis vnquam omnino stetisse, cum iisque per omnia aliquando conuenisse.

NO-

NOMINA, SERIES, ET Aetas Summorum Pontificum.

Ord.	Anni Christi.	
1	44	S. Petrus Apostolus & Martyr. Sedit Annos 24. Menses 5. dies 12.
2	57	S. Linus martyr viuente adhuc Petro, sed an. 11. mens. 3 dies 12.
3	68.	S. Clemens martyr post mortem Petri Apostoli primus sed an 9. mens. 4. d. 26.
4	77	S. Cletus mart. sed. an. 6. mens 5. d. 3.
5	84	S. Anacletus martyr. sed ann. 12. mens 2. dies 27
6	97	S Euaristus martyr sed. an 13. mens. 3.
7	106	S. Alexander martyr sed. annos 7. mens. 5. dies 19.
8	117	S. Sixtus I. martyr sed ann. 9. mens. 10. d. 9.
9	127	S. Telesphorus martyr sed. an. 11. menses 8. d. 28.
10	139	S. Higinus martyr sed an. 4.
11	143	S. Pius I. mart sed. an 11. mens. 5. d. 17.
12	154	S. Anicetus martyr sed. annos 8. menses 8. d. 24.
13	163	S Soter martyr sed. an 7 mens 11. d 18.
14	171	S. Eleutherius mart. sed. an. 15 d. 13.
15	186	S. Victor I mart se. an 12. mens. 1. d. 28.
16	198	S. Zepherinus mart. sed. an. 20. d. 17.
17	218	S. Calixtus I martyr. sed an. 6. mens 1 d. 13.
18	224	S. Vrbanus martyr sed. an 7 mens. 7. d 5.
19	232	S Pontianus martyr sed. an. 5. mens 5. d. 2.
20	236	S. Antherus martyr. sed. mens. 1. d. 14.
21	237	S. Fabianus mart. se. an 14. d. 4.
22	251	S. Cornelius mar. sed. an. 2. mens. 5. d. 29.
23	253	S. Lucius I mart. se. an. 1 mens. 4. d 14.
24	255	S. Stephanus I. martyr sed. ann. 3. mens. 3. d. 24.
25	258	S. Sixtus II. martyr. se. an 1. mens. 11. d. 13.
26	260	S. Dionysius I. mart. sed. an. 9. mens. 4. d. 5.
27	270	S. Felix I mart. se an 4. mens. 5.

Ord.	Anni Christi.	
28	274	S Eutychianus mart. sed. ann. 9. mens. 6. d 9.
29	283	S Caius mart. se. an. 12. mens 4. d. 6.
30	296	S. Marcellinus mart. sed. an. 7. men. 11. d 19.
31	304	S. Marcellus I. mart. sed. ann 4. mens. 6. dies 21.
32	308	S Eusebius martyr. sed. ann. 2. mens. 7. dies 27.
33	310	S Melchiades mart sed an. 3. mens 2.
34	314	S. Sylvester I. se. an. 21. d. 4.
35	336	S. Marcus sed mens. 8. d. 22.
36	336	S. Iulius sed. an. 14 mens. 5. d 19.
37	351	S. Liberius sed. an. 15. men. 14. d. 18.
38	373	S. Damasus se. an. 16. men 2 d. 10.
39	363	S. Siricius se. an. 15. men. 1 d. 10.
40	398	S. Anastasius sed. an 4. mens. 1. d. 13.
41	402	S. Innocentius se. an. 15. men 2. d. 10.
42	417	S Zozimus se. an. 2. men. 4. d. 7.
43	420	S. Bonifacius I. se. an. 3. mens. 9. d. 28.
44	423	S. Cœlestinus I. sed. an. 8. mens. 5. d. 3.
45	432	S. Sixtus III sed. an. 7. mens. 11.
46	440	S. Leo Magnus sed. an 20. mens. 11. d. 2.
47	461	S. Hilarius sed an. 6 mens. 3 d. 9.
48	467	S Simplicius sed. an 14. mens 6 d. 14.
49	482	S Felix II. dictus III. sed. ann. 11. mens. 11. dies 18.
50	494	S. Gelasius se. an. 2. men. 8. d. 26.
51	496	S. Anastasius II se an. 1. mens. 11. d. 12.
52	498	S. Symmachus se. an. 15. mens. 7. d 26.
53	514.	S. Hormisda sed. an 9. d. 11
54	523	S. Ioannes I. se. an. 2. men. 9 d. 15.
55	526	S. Fœlix IV. dictus III. sed. ann. 4. mens. 2. d. 18.
56	530.	Bonifacius II. se. an. 1. d 2.
57	532	Ioannes II sed an. 2. men. 4. d 6.
58	534	S. Agapetus se. mens. 1 d. 1.
59	535	S. Sylverius se. an. 1. mens. 5. d 12.
60	537	Vigilius sed. an. 17. mens. 6. d. 26.

S. Pe-

Ord.	Anni Christi.	
61	555	S. Pelagius sed an. 9. men. 10 d. 28.
62	566	S. Ioannes III. sed. an. 10 d. 15.
63	577	S. Benedictus I sed. an. 3 mens. 2 d. 15.
64	580	S. Pelagius II. sed an 9 mens 2. d. 20.
65	590	S. Gregorius Magnus sed ann. 13 mens. 6. dies 8.
66	604	Sabinianus sed. an. 1 men. 5. d 9.
67	605	S. Bonifacius III. sed an 1 mens. 2 d. 28.
68	608	S Bonifacius IV. sed. an. 6. mens. 8. dies 13.
69	615	S Deusdedit sed. an 3. d 23.
70	618	S. Bonifacius V. sed. an. 3. mens 9. d 19.
71	622	Honorius I. sed. an 12. mens. 11. d. 7.
72	635	Seuerinus sed. an 2 d. 4.
73	638	Ioannes IV sed an 1. mens. 9 d 19.
74	640	S Theodorus sed an 6 mens. 5 d 18.
75	647	S. Martinus I. Martyr. sed ann. 6. mens. 1. d 26.
76	653	Eugenius se. an 2. mens. 9. dies 24.
77	657	Vitalianus sed an. 14 mens. 5. dies 28.
78	672	Adeodatus sed an. 4. mens. 2 dies 5.
79	676	Dominus I. vel Dominio sedit an. 2. mens. 5. d. 10.
80	679	Agatho sed an. 2. mens. 6. d. 4.
81	682	S. Leo II. sed. mens. 10 d. 17.
82	684	S. Benedictus II. sed. mens. 10. d. 27.
83	685	Ioannes V. sed. an. 1 d 9.
84	686	Cuno vel Conon sedit mens. 11. d. 3.
85	687	Sergius I sed an. 13 mens. 8. dies 23.
86	701	Ioannes VI sed an. 3 men. 2. d. 13.
87	703	Ioannes VII sedit an. 2. mens 7. d. 17.
88	703	Sisinnius sedit d. 20.
89	707	Constantinus sedit an. 7. mens. 1. d 21.
90	715	Gregorius II. sed an. 15. mens. 10. dies 21.
91	731	Gregorius III. sedit an. 10. mens 8. d. 10.
92	741	Zacharias I. sedit an. 10 mens 3. dies 9.
93	752	Stephanus II. sedit dies 3.
94	752	Stephanus III. dictus II. sedit an. 5. dies 29.
95	757	Paulus I. sedit an. 10. mens. 1.

Ord.	Anni Christi.	
96	768	Stephanus IV. dictus III. sedit an. 3. mens. 5. dies 27.
97	772	Adrianus I. sed. an. 23. mens. 10. dies 17.
98	796	Leo III. sed. an. 20. mens. 5. d. 18.
99	816	Stephanus V. dictus sed. men. 6. dies 24.
100	817	Paschalis sed. an. 7. mens. 3. d. 17.
101	824	Eugenius II. sedit an. 3. mens. 6. d. 24.
102	827	Valentinus sedit mens. 1. dies 10.
103	828	Gregorius quartus sedit ann. 16.
104	844	Sergius secundus sedit an. 3. menses 2. d. 3.
105	847	Leo IV. sedit annos 8. menses 3. dies 6.
106	855	Benedictus III. sedit annos 2. mens. 6. d. 9.
107	858	Nicolaus primus sedit annos 9. menses 6. dies 21.
108	867	Adrianus secundus sedit annos 5. dies 12.
109	872	Ioannes VIII. sedit annos 10. dies 1.
110	882	Martinus II. aliâs Marinus sedit annum 1. menses 2. dies 28.
111	883	Adrianus tertius sedit ann. 1. mens. 1. d. 22.
112	885	Stephanus VI. dictus V. sedit annos 6. d. 4.
113	891	Formosus sedit an 5. mens. 6. d. 18.
114	896	Bonifacius VI. sedit dies 15.
115	897	Stephanus VII dictus VI sedit annum 1. mens. 3.
116	898	Romanus sedit mens. 4. dies 23.
117	898	Theodorus II. sedit dies 20.
118	898	Ioannes IX. sedit an 2. d. 15.
119	900	Benedictus IV. sed. an. 4. mens. 6. d. 15.
120	905	Leo V. sed. mens. 1 d. 10.
121	905	Christophorus I sed. mens. 7.
122	906	Sergius III. sed. ann. 7 mens 3 d 16.
123	913	Anastasius III. sed. an. 2 mens. 2. d. 29.
124	915	Lando sed men. 4. d. 22.
125	916	Ioannes X. sed. ann. 14. mens. 2. d. 15.
126	930	Ioannes XI. se. an. 4 mens. 10 d 15.
127	935	Leo VI. sed. men. 6. d. 15.
128	935	Stephanus VIII. dictus VII sed. an. 2. men. 1. d. 15.

Leo

Ord.	Anni Christi.	
129	937	Leo VII. se. an. 2. mens. 6 d. 12.
130	940	Stephanus IX. dictus VIII. se. an. 2 · mens. 4. d. 15.
131	942	Martinus III. siue Marinus II. sed ann. 3. mens. 6 · d 13.
132	946	Agapetus II. sed. an. 9. mens. 7. d. 10.
133	955	Ioannes XII. sed. an. 8. mens. 4 d. 5.
134	963	Leo VIII. sed. an. 1 mens. 3. d. 5.
135	965	Ioannes XIII. se. an. 6. mens. 11. d 5.
136	972	Benedictus v. dictus vj. sed. an. 1. mens. 6.
137	974	Bonifacius vij. sed an. 1. mens. 1. d. 12.
138	975	Benedictus vi. dictus vij. sed. an. 9. mens. 1. dies 12.
139	984	Ioannes xiiij. sed mens. 8 d. 2.
140	985	Ioannes xv. sed an. 9 mens. 7. dies 10.
141	995	Ioannes xvj sedit mens 3.
142	995	Gregorius v. sed. an. 2. mens. 7 · d 25.
143	998	Syluester secundus sed an 4. mens. 6. d 12.
144	1003	Ioannes xvij. aliâs xviij. sed. mens. 5. d. 26.
145	1003	Ioannes xviij. aliâs xix. sedit an. 4. mens. 7. d. 3.
146	1009	Sergius iiij. sed. an. 2. mens 9. d. 12.
147	1012	Benedictus vij dictus viij. sed. an. 11. mens. 10. d. 21.
148	1024	Ioannes xix. aliâs xx. sed. ann. 8. mens. 7. dies 9.
149	1032	Benedictus viij. dictus ix. sed. an. 12. mens. 4. dies. 20.
150	1045	Gregorius vj sedit an. 1. mens. 7. d. 21.
151	1046	Clemens secundus sedit mens. 9. d. 19.
152	1047	Damasus secundus sedit d. 23.
153	1049	Leo ix sed. an. 5 mens. 2 · d. 8.
154	1055	Victor secundus sedit an. 2. mens. 3. d. 16.
155	1057	Stephanus x. dictus ix. sedit mens. 7. d. 28.
156	1059	Nicolaus secundus sedit ann. 2. menses 6. diem 1.
157	1061	Alexander secundus sedit annos 11. mens. 6. dies 22.

Ord.	Ami Christi.	
158	1073	Gregorius vij sedit.an.12 mens.1.dies3.
159	1086	Victor tertius sedit an.1.menses 3. dies 24.
160	1088	Vrbanus secundus sedit annos 11.mens.4. dies 18.
161	1099	Paschalis secundus sedit an.18 menses 5. dies 7.
162	1118	Gelasius secundus sedit annum 1. dies 5.
163	1119	Calixtus secundus sedit annos 5.menses 10. dies 13.
164	1124	Honorius secundus sedit annos 5. menses 2. dies 3.
165	1130	Innocentius secundus sedit an.13.mens 7. dies 8.
166	1143	Cœlestinus secundus sedit menses 5.dies 13.
167	1144	Lucius secundus sedit menses 11. dies 4.
168	1145	Eugenius tertius sedit annos 8. menses 4. dies 10.
169	1143	Anastasius quartus sedit annum 1. menses 4.
170	1145	Adrianus quartus sedit ann. 4 menses 9.
171	1159	Alexander tertius sedit ann. 21.menses 11. dies 23.
172	1181	Lucius tertius sedit annos 4 menses 2. dies 28.
173	1185	Vrbanus tertius sedit ann.1.menses 10.dies 15.
174	1187	Gregorius octauus sedit mensem 1.d 27.
175	1188	Clemens tertius sedit ann.6. menses 2.dies 15.
176	1191	Cœlestinus tertius sedit annos 3. menses 9.dies 11.
177	1198	Innocentius tertius sedit annos 18 menses 6 dies 9.
178	1216	Honorius tertius sedit annos 10 menses 8.
179	1227	Gregorius nonus sedit annos 14. menses 4 dies 3.
180	1241	Cœlestinus iiij sedit dies 17.

Innocen-

Ord.	Anni Christi.	
181	1243	Innocentius quartus sedit annos 11. menses 5 dies 14.
182	1254	Alexãder quartus sedit annos 6. menses 5. dies 5.
183	1261	Vrbanus quartus sedit annos 3. mensem 1. dies 4.
184	1265	Clemens quartus sedit annos 3. menses 9. dies 25.
185	1271	Gregorius x sedit annos 4. menses 4. dies 10.
186	1276	Innocentius v. sedit menses 5 d. 2.
187	1276	Adrianus v. sedit mensem 1. dies 9.
188	1276	Ioannes xx. aliâs xxj sedit menses 8. dies 5.
189	1277	Nicolaus tertius sedit annos 2. menses 8. dies 22.
190	1281	Martinus quartus sedit an 4. mens. 1. d. 7.
191	1286	Honorius quartus sedit an 2. dies 2.
192	1288	Nicolaus quartus sedit an. 4. me. 1. d 14
193	1294	Cælestinus v sedit mens 5. d. 7.
194	1294	Bonifacius viij sed an. 8. mens. 9 dies 19.
195	1303	Benedictus ix. dictus xj. sedit menses 9 & dies 6.
196	1305	Clemens v sedit an. 8. mens. 10 dies 16.
197	1316	Ioannes xxj. dictus xxij. sedit an. 18. menses 3. dies 28.
198	1334	Benedictus x. dictus xij. sedit an. 7. mens. 4. dies 6.
199	1342	Clemens sextus sedit ann. 10. mens. 7.
200	1352	Innocentius sextus sedit ann. 9. mens. 8. dies 26.
201	1362	Vrbanus quintus sedit ann 3 mens. 1. dies 17.
202	1371	Gregorius xj sedit. an. 7. mens. 2. dies 27.
203	1378	Vrbanus sextus sedit annos 11. menses 6. dies 8.
204	1379	Bonifacius ix. sedit an. 14 men. 11.
205	1404	Innocentius septimus sed. an. 2. dies 22.
206	1406	Gregorius xij. sed. an. 2. mens. 6. d. 6.

Ord.	Anni Christi.	
207	1409	Alexander quintus sedit mens. 10. dies 8.
208	1410	Ioannes xxij. dictus xxiij. sed. an. 5. dies 15.
209	1417.	Maternus tertius, dictus v. sed. an. 13. mens. 3. dies 12.
210	1431	Eugenius iiij. sed. an. 15. mens. 11. d. 21.
211	1447	Nicolaus quintus sedit an. 8. dies 19.
212	1455	Calixtus tertius sedit an. 3. mens. 3. dies 26.
213	1458	Pius secundus sedit an. 5. mens. 11. dies 26.
214	1464	Paulus ij. sedit an. 6. mens. 10. d. 29.
215	1471	Sixtus quartus sed. an. 13. dies 5.
216	1484	Innocentius octauus sed. ann. 7. mens. 10. dies 27.
217	1402	Alexander sextus sedit an. 11. dies 8.
218	1503	Pius tertius sedit dies 16.
219	1503	Iulius secundus sedit an. 9. mens. 3. dies 12.
220	1513	Leo decimus sedit an. 8. mens. 8. dies 21.
221	1522	Adrianus sextus sedit an. 1, men. 8. d. 6.
222	1523	Clemens septimus sed. an. 10. men. 10. d. 8.
223	1534	Paulus tertius sedit an. 15. dies 29.
224	1550	Iulius iij. sedit an. 5. mens. 1. dies 16.
225	1555	Marcellus secundus sedit dies 22.
226	1555	Paulus iiij. sed. an. 4. mens 2.
227	1560	Pius quartus sedit an. 5. mens. 11.
228	1566	Pius quintus sedit an. 6. mens. 4.
229	1572	Gregorius xiij. sedit an. 13.
230	1585	Sixtus v. sed an. 5. mens. 4. dies 13.
231	1590	Vrbanus vij. sed dies 12.
232	1590	Gregorius xiiij. sed. mens. 10. d. 10.
233	1591	Innocentius ix. sedit mens. 2. d. 1.
234	1592	Clemens viij. hodie sedet.

ÆTAS ET LOCA QVORVNDAM VETERVM DOCTORVM.

VIXIT ANNO DOMINI	IN
Alexander I. Papa.	100.	Italia.
Apollinaris Episcopus Hieropolitanus	172.	Syria.
Athenagoras philosophus Atheniensis.	179.	Græcia.
Arnobius Rhetor.	290.	Africa.
Antonius Abbas.	320.	Aegypto.
Athanasius Alexandrinus Episcopus.	340.	Aegypto.
Ambrosius Mediolanensis Episcopus.	380.	Italia.
Amphilochius Iconij Episcopus.	390.	Græcia.
Augustinus Hipponensis Episcopus.	400.	Africa.
Alypius Episcopus Tagastensis.	400.	Africa.
Aurelius Episcopus Carthaginensis.	400.	Africa.
Amandus Episcopus Burdegalensis.	431.	Gallia.
Antoninus Episcopus Constantiniensis.	437.	Africa.
Athanasius præsbyter Alexandrinus.	445.	Aegypto.
Aeneas Gazeus Philosophus.	484.	Syria.
Alexander monachus.	490.	Cypro.
Alcimus Auitus Episcopus Viennēsis.	494.	Gallia.
Andreas Cretensis Episcopus.	540.	Græcia.
Andreas Episcopus Hierosolymitanus.	550.	Syria.
Antiochus Abbas S. Sabæ.	560.	Syria.
Agathias Scholiasticus Smirnæus.	560.	Græcia.

Ana-

VIXIT ANNO DOMINI		IN
Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus.	590.	*Syria.*
Aponius Monachus.	680.	*Gallia.*
Ambrosius Ansbertus monachus.	760.	*Italia.*
Alcuinus Anglus.	780.	*Gallia.*
Angelomus Lexouiensis Abbas.	820.	*Gallia.*
Anastasius Bibliothecarius Romanus.	840.	*Italia.*
Algerus Cluniacensis monachus.	1050	*Gallia.*
Ado Treuirensis.	1070	*Germania.*
Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus.	1080	*Anglia.*
Anselmus Laudunensis, autor glossæ interlinearis.	1100	*Gallia.*
Abbas Vrspergensis.	1199.	*Germania.*
Albertus Magnus.	1245.	*Germania.*
B.		
Basilius Magnus.	380.	*Græcia.*
Boetius Senator Romanus.	500.	*Italia.*
Benedictus Abbas.	530.	*Italia.*
Bandouimia monialis scripsit vitam S. Radegundis Reginæ.	566.	*Germania.*
Bouitus Episcopus Aruerniæ.	690.	*Gallia.*
Beda Presbyter.	720	*Anglia.*
Bonifacius Archiepiscopus Mogunt.	740.	*Germania.*
Bruno Herbipolensis Episcopus.	1020	*Germania.*
Burchardus Episcopus VVormatiẽsis.	1020	*Germania.*
Bruno Colonienſis Carthusianorum institutor.	1086	*Germania, & Gallia.*
Bernardus Abbas Clareuallen.	1140	*Gallia.*

Bona-

VIXIT	ANNO DOMINI	IN
Bonauentura Cardinalis.	1250	Italia.
C.		
Clemens Papa I.	80.	Italia.
Clemens Alexandrinus Presb.	190.	Aegypto.
Cyprianus Carthaginensis Episcopus.	250.	Africa.
Climachus Monachus in Sina monte.	340.	Arabia.
Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus.	350.	Syria.
Chromatius Aquileiensis.	350.	Italia.
Ioan. Chrysostomus Constantinopolitanus Patriarcha.	380.	Græcia.
Cyrillus Alexandrinus Archiepiscopus.	430.	Aegypto.
Cosmas Vestiarius.	430.	Græcia.
Campolus seu Capreolus Episcopus Carthaginensis.	431.	Africa.
Ioannes Cassianus Monachus Massiliæ.	435.	Gallia.
Claudianus Mamercus præsbyter Viennensis, frater S. Mamerci Episcopi.	460.	Gallia.
Constantius præsbyter.	490.	Gallia.
Cæsarius Episcopus Arelatensis.	506.	Gallia.
Cassiodorus Abbas Tripartitæ historiæ autor.	520.	Italia.
Cyrillus monachus.	540.	Syria.
Corippus Grammaticus.	567.	Africa.
Cæsarius Heisterbacensis Monachus.	1200.	Germania.
D.		
Dionysius Areopagita Athenienſis	80.	Gallia.

Episco

VIXIT ANNO DOMINI	IN
Episcopus.	
Dionysius Archiepiscopus Alexandr.	250. Aegypto.
Dydimus Alexandrinus.	30. Aegypto.
Damasus Papa.	370. Italia.
Drepanus Florus.	493. Gallia.
Dorotheus Thessalonicēsis Episcopus.	515. Græcia.
Io. Damascenus monachus.	730. Syria.
E.	
Egesippus Historiographus.	120. Italia.
Eusebius Cæsarienſis Episcopus.	330. Syria.
Eustachius Episcopus Antiochenus.	340. Syria.
Euagrius Episcopus Antiochenus Comes S. Hieronymi.	370. Syria.
Euagrius Ponticus monachus Nitriæ.	380. Aegypto.
Effrem Diaconus Edeſſenus.	380. Syria.
Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus.	390. Græcia.
Euodius Vzali Episcopus.	420. Africa.
Eucherius Lugdunenſis Episcopus.	430. Gallia.
Euſebius Episcopus Mediolanenſis.	442. Italia.
Eugipius Abbas.	482. Germania.
Eulalius Episcopus Syracuſanus.	483. Sicilia.
Eugenius Episcopus Carthaginenſis.	483 Africa.
Ennodius Episcopus Ticinenſis.	515. Italia.
Euſebius Emiſſenus.	520 Gallia.
Euſtathius preshyter Conſtantinopolitanus.	587. Græcia.
Euagrius Ephiphanienſis prætor hiſtoricus.	590. Græcia.
Ericus monachus Antiſiodorenſis.	880. Gallia.

Euthy-

VIXIT ANNO DOMINI	IN
Euthymius Zigabenus monachus.	1150. *Græcia.*
F.	
Flauianus Episcopus Constantinopolitanus.	449. *Græcia.*
Fulgentius Episcopus Ruspensis.	480. *Africa.*
Faustus Regiensis Episcopus.	490. *Gallia.*
Ferrandus Carthaginensis diaconus.	500. *Africa.*
Fortunatus Pictauiensis Episcopus.	550. *Gallia.*
Faustus monachus discipulus S. Benedicti.	580. *Italia.*
G.	
Gratianus Imperator.	380.
Gregorius Nazianzenus.	380. *Græcia.*
Gregorius Nissenus Episcopus.	380. *Græcia.*
Gaudentius Brixiensis Episcopus.	390. *Italia.*
Gennadius Archiepiscopus Constantinopolitanus.	460. *Græcia.*
Gennadius Presbyter Massilienſis.	490. *Gallia.*
Gelasius Papa.	496. *Italia.*
Gilda Sapiens Abbas.	570. *Anglia.*
Gregorius Turonensis Episcopus.	600. *Gallia.*
Gregorius Presbyter Alexandrinus, qui scripsit vitã sancti Chysostomi.	600. *Aegypto.*
Gregorius Papa I.	600. *Italia.*
Georgius Cedrenus.	1059. *Græcia.*
Guitmundus Archiepiscopus Auersanus.	1060. *Gallia.*
H.	
Hippolytus Portuensis Episcopus.	220. *Italia.*
Hilarius Pictauorum Episcopus.	350. *Gallia.*

VIXIT ANNO DOMINI		IN
Hieronymus Stridonenſis Dalmata Preſbyter.	380.	Syria.
Helladius Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ.	395.	Græcia.
Heſichius monachus.	400.	Syria.
Honorius Imperator.	411.	
Hilarius Arelatenſis Epiſcopus.	460.	Gallia.
Honoratus Epiſcopus Nouarienſis.	489.	Italia.
Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis.	490.	Gallia.
Helias Epiſcopus Hieroſolymitanus.	512.	Syria.
Hyſichius Hieroſolymorum Epiſcopus.	590.	Syria.
		Italia.
Honorius Papa I.	623.	
Hildephonſus Epiſcopus Toletanus.	662.	Hiſpania.
Hilduinus Abbas.	820.	Gallia.
Haymo Halberſtatenſis Epiſcopus.	830.	Germania.
Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis.	840.	Gallia.
Hermannus contractus Comes monachus, fecit antiphonam ſalue Regina.	1040.	Germania.
Honorius Auguſtodunenſis præſbyt.	1120.	Gallia.
Hugo Victorinus monachus.	1130.	Gallia.
I.		
Ignatius Antiochenus Epiſcopus.	100.	Syria.
Iuſtinus Martyr.	150.	Syr. et Ita.
Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus.	160.	Gallia.
Iuuencus Præſbyter.	330.	Hiſpania.
Ioannes Saracenus diſcipulus S. Epiphanij.	350.	Cypro.
Iſidorus Cordubenſis.	420.	Hiſpania.

VIXIT ANNO DOMINI		IN
Iacobus Diaconus Edissenus.	420.	Syria.
Iunilius Præsbyter.	430.	Africa.
Isidorus Peluſiota.	430.	Græcia.
Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus.	457.	Syria.
Ioannes Epiſcopus Nicopoleos Epyri.	516.	Græcia.
Iuſtinus Imperator.	519.	
Iuſtinianus Imperator.	529.	
Iuſtus Epiſcopus Vrgelitanus.	590.	Hiſpania.
Isidorus Hiſpalenſis.	600.	Hiſpania.
Ioannes Alexãdrinus, dictus Eleemoſynarius.	611.	Aegypto.
Ioannes Euiratus, autor Prati Spiritualis.	612.	Syria.
Ionas monachus Bobienſis.	630.	Scotia.
Iulianus Pomerius Epiſcopus Toletanus.	680.	Hiſpania.
Iſuardus monachus.	770.	Germania.
Ionas Aurelianenſis Epiſcopus.	810.	Gallia.
Ioannes Diaconus Romanus.	870.	Italia.
Iuo Carnotenſis Epiſcopus.	1090.	Gallia.
L.		
Lactantius Firmianus.	320.	Gallia.
Lucianus Præsbyter.	415.	Syria.
Leo Papa I.	450.	Italia.
Laurentius Epiſcopus Nouarienſis.	507.	Italia.
Lupus Epiſcopus Sueſſionenſis.	514.	Gallia.
Liberatus Diaconus.	533.	Italia.
Leander Epiſcopus Hiſpalenſis.	590.	Hiſpania.
Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus.	600.	Græcia.

***

Lan-

VIXIT ANNO DOMINI		IN
Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus.	1050.	*Anglia.*
M.		
Martialis Lemouicensis Episcopus.	50.	*Gallia.*
Minutius Felix.	211.	*Italia.*
Methodius Syri Episcopus.	250.	*Syria.*
Macarius senior Aegyptius.	370.	*Aegypto.*
Maximus Taurinensis Episcopus.	420.	*Gallia.*
Marcus Eremita.	420.	*Syria.*
Marcianus Imperator.	450.	
Mamercus Episcopus Viennensis, instituit rogationes, obijt.	490.	*Gallia.*
Medardus Episcopus Nouiomensis.	514.	*Gallia.*
Marcellinus Comes.	530.	*Græcia.*
Maurus Abbas.	550.	*Gallia.*
Martinus Episcopus Bracarensis.	573.	*Hispania.*
Michael Syngelus Hierosolymitanus Præshyter.	590.	*Syria.*
Mansuetus Episcopus Mediolanensis.	681.	*Italia.*
Methodius Patriarcha Constantinopolitanus.	807.	*Græcia.*
Marianus Scotus Fuldens. Monachus.	080.	*Germania.*
N.		
Nicetas Choniates.	1190.	*Græcia.*
Nicephorus Callistus.	300.	*Græcia.*
Nicephorus Gregoras.	330.	*Græcia.*
O		
Origenes Alexandrinus.	230.	*Aegypto.*
Osius Cordubensis.	290.	*Hispania.*
Optatus Mileuitanus.	370.	*Africa.*

Orosius

VIXIT ANNO DOMINI	IN
Orosius Presbyter.	430. *Hispania.*
Oecumenius.	1070. *Græcia.*
Otto Frisingensis Episcopus.	1150. *Germania.*
P.	
Polycarpus Episcopus Smirnensis.	100. *Græcia.*
Polycrates Episcopus Ephesius.	198. *Græcia.*
Pontius Diaconus S. Cypriani, qui & eius passionem scripsit.	260. *Africa.*
Petrus Episcopus Alexandrinus.	300. *Aegypto.*
Patianus Episcopus Barcilonæ.	350. *Hispania.*
Prudentius Poeta Christianus.	380. *Hispania.*
Possidonius Calamensis Episcopus.	400. *Africa.*
Polybius discipulus Epiphanij Episcopus Rhinocoruræ.	400. *Aegypto.*
Philo Episcopus Carpathensis.	400. *Græcia.*
Paulinus præsbyter Mediolanensis.	400. *Italia.*
Palladius Episcopus Helenopolitanus.	412. *Græcia.*
Paulinus Nolanus Episcopus.	420. *Italia.*
Philastrius Brixiensis Episcopus.	420. *Italia.*
Petrus Chrysologus Rauennas Episco.	430. *Italia.*
Palladius Cappadociæ Episcopus.	430. *Græcia.*
Primasius Episcopus Vticensis.	430. *Africa.*
Philippus præsbyter Romanus.	431. *Italia.*
Proclus Episcopus Constantinopolitanus.	439. *Græcia.*
Paschasius Episcopus Lilibetanus.	442. *Græcia.*
Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus.	450. *Gallia.*
Paulus Diaconus Neapolis.	520 *Italia.*
Paulus Diaconus Aquileiensis.	770. *Italia.*

VIXIT ANNO DOMINI		IN
Paſcaſius Radbertus Corbeienſis Abbas.	880.	*Germania.*
Phocius Patriarcha Conſtantinopolitanus.	880.	*Græcia.*
Petrus Damianus Oſtienſis Epiſcopus.	1050.	*Italia.*
Petrus Cluniacenſis Abbas.	1140.	*Gallia.*
R.		
Ruffinus Aquileienſis presbyter.	400.	*Italia.*
Remigius Remenſis Archiepiſcopus.	480.	*Gallia.*
Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus.	840.	*Germania.*
Remigius Antiſiodorenſis Epiſcopus.	880.	*Gallia.*
Regino Prumienſis Abbas.	910.	*Germania.*
Radulphus Flauiacenſis Fuldẽſis monachus.	980.	*Germania.*
Rupertus Tuitienſis Abbas.	1120.	*Germania.*
S.		
Serapion Epiſcopus Antiochenus.	212.	*Syria.*
Sabadius Epiſcopus Agennæ.	370.	*Gallia.*
Sophronius Senior Hieroſolymitanus.	400.	*Syria.*
Seuerianus Gabalenſis.	400.	*Gallia.*
Seuerus Epiſcopus Minoricenſis.	412.	*Hiſpania.*
Seuerus Sulpitius.	420.	*Gallia.*
Socrates Hiſtoricus.	430.	*Græcia.*
Sedulius presbyter Scotus.	450.	*Scotia.*
Simeon Stilites.	458.	*Syria.*
Saluianus Maſſilienſis presbyter.	460.	*Gallia.*
Solonius Viennenſis Epiſcopus.	470.	*Gallia.*
Suidas verbum in Seueriano.	470.	*Græcia.*
Sidonius Epiſcopus Auerniæ.	480.	*Gallia.*
Saba Abbas.	513.	*Syria.*

VIXIT ANNO DOMINI	IN
Sophronius Hierosolymorum Archiepiscopus.	630.	*Syria.*
Strabus Monachus Fuldensis, scriptor glossæ Ordinariæ.	840.	*Germania.*
Simeon Metaphrastes.	950.	*Græcia.*
Sigebertus Gemblacensis Monachus.	1100.	*Belgio.*
T.		
Tertullianus Carthaginensis.	200.	*Africa.*
Titus Episcopus Bostrensis.	360.	*Syria.*
Terentianus Romanus.	363.	*Italia.*
Theodosius senior Imperator.	370	
Theophylus Alexandrinus Archiepiscopus.	390.	*Aegypto.*
Theodosius iunior Imperator.	430.	
Theodoretus Cyri episcopus.	440.	*Syria.*
Turibius Episcopus Asturicensis.	447.	*Hispania.*
Theodulus præshyter in Cele Syria.	478.	*Syria.*
Theodosius Cenobita.	511.	*Cappadoc.*
Theodorus Lector.	520.	*Græcia.*
Tiberius II. Imperator.	580.	
Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus.	660.	*Anglia.*
Turpinus Remensis Episcopus.	800.	*Gallia.*
Theodulphus Aurelianens. Episcopus.	840.	*Gallia.*
Theophylactus Bulgarum Archiepiscopus.	880.	*Græcia.*
Theodorus Balsamus.	1180.	*Græcia.*
Thomas Aquinas.	1260.	*Italia.*
V.		
Victorinus Pictauiensis.	263.	*Gallia.*

VIXIT ANNO DOMINI		IN
Vincentius Lirinensis monachus.	430.	*Gallia.*
Vranius discipulus S. Paulini Nolani.	431.	*Italia.*
Vigilius Tridentinus Episcopus.	450.	*Italia.*
Victor Episcopus Cartonæ in Mauritania.	456.	*Africa.*
Voconius Episcopus Castellani in Mauritania.	456.	*Africa.*
Victor Episcopus Vticensis.	486.	*Africa.*
Vedastus Episcopus Atrebatensis.	514.	*Gallia.*
Victor Episcopus Tunensis.	566.	*Africa.*
Vsuardus monachus, scriptor Martyrologij.	780.	*Gallia.*
Z.		
Zozomenus historicus.	430.	*Græcia.*
Zeno Veronensis Episcopus.	663.	*Italia.*
Io. Zonaras historicus monachus.	1100.	*Græcia.*

APPRO-

APPROBATIO
THEOLOGORVM MOGVNTINENSIVM.

STEPHANVS VVEBERVS Dei gratia Episcopus Mysiēsis, Reuerēdissimi Illustrissimi & Domini, D. VVolffgangi Archiepiscopi Moguntini, Principis Electoris in Pontificalibus Vicarius generalis, S. Theologiæ Doctor, & almæ Vniuersitatis Moguntinæ Cancellarius, ac facultatis Theologicæ pro tempore Decanus, testor Reuerend. & Eximios Dominos, nostræ facultatis Doctores & Professores ordinarios, Ioannem Leonem, Ioannem Busæum, Petrum Thyræum, hoc Cōtrouersiarum Theologicarum Enchridion diligenter perlegisse, examinasse, dignissimumque iudicasse quod typis excusum in publicum prodiret, manibusque studiosorum assiduè tereretur.
Datum Moguntiæ 22. Nouemb. 1584.

Ita est Stephanus Vveberus qui supra, in maiorem fidem manu propria subscripsi.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE COLONIENSIS.

FRATER Henricus Odendalius Doctor Theologus, facultatis Theologicæ in alma Vniuersitate Colonienſi pro tempore Decanus, Enchridion præſens ab eximio S. Theologiæ Doctore M. Franciſco Coſtero elaboratum, vnà cum cæteris eiuſdem facultatis doctoribus approbat, omnibuſque veritatis amantibus plurimum profuturum teſtatur.

APPROBATIO LOVANIENSIS.

ENCHIRIDION *Controuerſiarum R.P. Franciſci Coſteri Societatis Ieſu Theologi, dignum iudico quod aduersus peſtilentes noſtri temporis Sectariorum errores Catholicorum manibus teratur.*

H. Cuyckius ſacræ Theologiæ Louanij Profeſſor, & Apoſtolicus ac Regius Librorum Cenſor.

THEO-

THEOLOGORVM TREVERENSIVM.

ENCHIRIDION hoc præcipuarum controuersiarum nostri temporis, quia & eruditè & orthodoxè per omnia scriptũ, & ad studiosæ iuuentutis captum, cui hic labor maximè impensus est, accommodatum, tutò, & summa cum vtilitate typis excudi & legi posse iudico.

Ego Ambrosius Carolus S. Theologiæ doctor & professor ordinarius, necnon facultatis Treuerensis pro tempore Decanus, eámque esse sententiam Reuerendorum, & eximiorum facultatis nostræ Doctorum & Professorum ordinariorum, Ioannis Gibboni, & Petri Pollij, qui idem mecum legerunt, testor.

DE VARIA ET HORRIBILI HAERESIARCHARVM MORTE.

Ecce Simon medio præceps ruit æthere, demens
Membra tibi, Manes, sunt spoliata cute.
Ipse sibi laqueo vitam Montanus ademit.
Nestorius linguam verme vorante perit.
Infœlix ex aluo animam diffudit Arius.
Hunc sequeris nimio vane Luthere mero.
Oecoque lampadius crudelibus occidit vmbris,
Quem cieras diro Zuinglie marte cadis,
At Carolstadium nocturnus strangulat vltor.
Bucerus hæc eadem fata superbus obit.
Moribus Herodi similis Caluine fuisti:
Par erat & vitam claudere morte pari.
Sic fœdo istorum mulctantur corpora letho:
Quæris anima ante fuit mille sepulta modis.

IN CALVINVM.

Caluus es absque comis operum Caluine bonorum,
Qui nudam Christi vis satis esse fidem.
Sed quia Caluitium natura turpe videtur,
Illud hypocritico crine sophista tegis.
Caluitium Caluine tuum iam iamque patebit:
Decutiet falsas aura superna comas
Vertice tunc nudo magis es Caluine futurus
Simia quàm glabro podice, ridiculus
Haud nudum immò coma falsa labente patebit,
Quod scabies totum contegit atra caput.

DE

DE MARTINI LVTHERI VITA ET MORTE.

O Fœlix Martine, tuis vt consona votis
Cuncta cadunt; viuens quod cupis, hoc & habes.
Temporibus nostris vis hæresiarcha timeri,
Peior & antiquis omnibus, hoc & habes.
Ambitione flagrans, sacro nec honore potitus,
Vis author fieri schismatis, hoc & habes.
Vis fugere ex humili discinctus apostata claustro,
Barbaricisq; coligentibus, hoc & habes.
Vlcisci vis Pontificem, Clerumque malignis
Prodere spernendum fraudibus, hoc & habes.
Vis vi nulla tibi lex imperet, atque potestas:
Sisque iugo excusso Belial: hoc & habes.
Vis placitos fœdæ satiare libidinis æstus,
Sacrilegisque frui nexibus, hoc & habes.
Vis esca potuque gulam cum ventre repleri,
Tale Dei regnum si foret, hoc & habes.
Vis tua vt eructet doctrinam crapula falsam,
Quæ pro lege Dei pullulet, hoc & habes.
Vis sacra, vis sanctos adeò pessundare ritus,
Vt commenta hominum quis putet, hoc & habes.
Vis etiam in diuos blasphemas edere voces,
Ne sit honos illis debitus, hoc & habes.
Vis credi non esse locum post funera manes
Purgantem, populus ne iuuet, hoc & habes.
Inferni vis esse tamen (sed iam scio nolles)
Supplicium dirum sontibus, hoc & habes.
Infœlix Martine tuis nunc dissona votis
Cuncta cadunt, quod vis mortuus, hoc nec habes.

Errores

Errores reuocare ſatos, & crimina velles
Expurgare modis omnibus, hoc nec habes.
Iam non eſſe Deum velles, aut poſſe repelli,
Ne te pro meritis puniat, hoc nec habes,
Perpetuis ſaltem merſum non viuere pœnis.
Atq; mori velles, hoc & habes, nec habes.
Et quia plus cruciat quod vis non poſſe, perire
Velle tuum velles, hoc & habes, nec habes.
Deniq; velle tuum vt culpæ, ſic regula pœnæ eſt,
Quod non vis, & vis, hoc & habes, nec habes.

DE CON-

DE CONTENTIONE HAERESIARCHARVM INTER SE.

Nostra ætate licet multi cœpêre proteruis
Catholicam matrem calcibus impetere:
Sic tamen ambitio inter se commisit eosdem,
Vt reliquis palmam cedere nemo velit.
Hus fuit è primis Satanæ quem martyra factum
Laudauit Luther, discipulúsque fuit.
Sed superare volens, omnemque negare magistrum.
Incœptum auxit adhuc impietatis opus.
Huic meritas retulêre vires hinc Zuinglius, illinc
Bucerus, & quotquot dogma tulêre nouum.
His Anabaptismi præfert se Balthasar auctor,
Ac ita diſsidijs rem gladijsque gerunt.
Sic tua te, Caluine, tenet dementia: nulli
Cedere vis: nec vult cedere Beza tibi.
Cumque negent vnum populo caput esse fideli,
Quisque dari hoc sibi vult hæresiarcha decus.
Omnibus vna quidem mens est, furor omnibus vnus,
Perdere Catholicum vique doloque gregem.
Hunc spoliant, multantque simul se mutuo rursum.
Latrones inter quàm malè tuta fides.

DE

DE DISCORDIA SECTARVM.

Discipulos vario turbatis dogmate vestros:
Constat & inter vos plebe querente nihil.
At tunicæ Christi, semel ex quo sectio facta est,
Vos mille in partes schismata nata secant:
Sed quid ego adiuto, curamque leuasso molestam,
Ecquid erit pretij gratis at istud agam.
Dogmata particulis uæ multiplicate minutis,
Dissidium vobis nascitur vnde frequens.
Sed commune quod est cunctis, id promite solum:
Sic credet vulgus, quod sapiatis idem.
Vnum dogma satis breue perspicuumque futurum est.
Quod? volumus sola (dicite) carne regi.

AD

AD CATHOLICVM CVRIOSVM.

Heus tu, qui patulas nouis magistris
Aures arrigis, audiensque Christum
Hic emergere redditum, vel illic:
Iam circumspicis huc eas, an illuc,
Vt prædam canis emicare cernens.
Ne tu præcipites flagrante cursu,
Nec fidæ stationis ex asylo,
Quoquam dimoueas pedem refixum,
Donec probicis an migrationis.
Secura est via, terminusque fœlix.
O quàm sæpè suo columba nido
Incauta euolat, & vagans per auras
Sæuos accipitrum experitur vngues!
Vis dem consilium breue ac fidele,
Vt falli nequeas? vides vt isti,
Qui Christum sibi clamitant repertum,
Inter se variis opinionum
Certant litigijs, nec vllus ijsdem
Constans dogmatibus suis inhæret:
Sed vel quæ docuit, repente mutat,
Commentis vel ea explicans dolosis.
Sic duram miser obligationem
Euitare putat, subinde dictum
Absurdis temerarium secutis.
Præstolare igitur parumper, hoc est,
Tantisper sua sensa dum cooptent
Omnes vnanimes, sibique constent,
Vnde Ecclesia fiat vna demum,
Qualis Catholica est & Orthodoxa,
Hoc si consilium scies tenere,
Te nunquam hæreticum scias futurum.

PRÆFATIO

DE MORIBVS HAERETICORVM.

POstquam Deo Opt. Max. volente, multi eruditione præstantes viri, atque adolescentes summa spe animi, & ingenij, sub augustissimo nomine, & patrocinio matris Dei, cœlorum reginæ, & humani generis singularis aduocatæ, beatissimæ semper virginis Mariæ, in sodalitatem certis legibus à S. Sede Apostolica comprobatis, ad multorum salutem curandam, ac promouendam conuenerunt, (quæ sodalitas iam per vniuersum ferè terrarum orbem propagata, non exiguum fructum peccatoribus conuertendis, & hæreticis ad ouile Christi reducendis, diuina gratia reportat) cumque sodalium studium in eo potissimum sit collocatum, vt priscam & orthodoxam fidem pro sua virili parte tueantur, hæreseſque refellant; eorum autem plerique vel per ætatē, vel per ingenium, aut eruditionis tenuitatem subtiliorum disputationum videantur minus capaces; Visum fuit operæpretium ad eorum captum,

præcipua religionis noſtræ capita, de quibus hoc tempore cum Nouatoribus controuerſiam habemus, ruditer explicata eis tradere, ſimulque quæ contra vulgò obijci ſolent diluere, vt (quemadmodum ait Apoſtolus) a *Amplectentes eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, potentes ſint exhortari in doctrina ſana: & eos qui contradicunt* b *arguere*, b *paratiſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem.*

a Tit. 1. 9.

b 1. Pet. 3. 15

Cæterùm quò fructuoſius ſodales cum id genus hominibus verſentur, duo præmittenda videntur; quorum alterum ad eos cognoſcendos, alterum ad modum cum illis congrediendi pertinet: Vtrumque enim ſubinde magnam requirit induſtriam, *dum* c *Angelus Satanæ ſe transfigurat in Angelum lucis, &* d *ſermo hæreticorum ſerpit vt cancer.*

c 2. Cor. 11. 14.

d 2. Tim. 2. 17.

DE MORIBVS HAERETICORUM, & Catholicorum.

FAtemur quidem non omnes Catholicos ſanctos eſſe, & hæreticos quoſdam moralis cuiuſdam probitatis & honeſtatis commendatione, bonorum virorum ſpeciem præ ſe ferre; nonnullos Catholicos varijs ſceleribus coopertos; & multos hæreticos à vitijs multis alienos eſſe. Denique ple-

roſq;

rosque Catholicos feris ac belluinis moribus blasphemiæ causam præbere infidelibus, & quosdam hæreticos externa quadam verborum morumq; decentia, in sui admirationem & imitationem aliorum animos allicere.

Verum cùm duplices sint mores hominum; vni, qui ex præscriptione doctrinæ suscipiuntur: alteri, qui contra doctrinam, quam profitemur, à sola cupiditate proficiscuntur; de prioribus nos in præsentia disputamus, de moribus videlicet Catholicorum, quà Catholici sunt: quemadmodum medicorum actiones, non quæ vitio quodam & animi prauitate, sed quæ ex arte medendi ab ipsis suscipiuntur nominamus: Medicus enim quà medicus moderatè viuit, tametsi non desint, qui pro sua intemperantia, contra normam & præscriptionem artis strenuam abdomini suo operam nauent.

Porrò ad mores proprios hæreticorum, qui nimirum ipsi hæresi comitantur, inuestigandos, oportet animaduertere, qui in omnes non vnius sæculi, sed omnium temporum atque ætatum hæreticos conueniãt. Qui enim omnibus, simul atque in hæresim inciderunt, communes esse deprehendentur, videtur ab illa nõ obscurè manare.

Antitheses Hæreticorũ & Catholicorum. Mat. 7. 20.

Quare placet in medio ponere quandam Hæreticorum, Catholicorumque inter se pugnantium conflictionem, & quasi concursum, vt ex fructibus eorum, quemadmodum cœlestis Magister admonet, cognoscamus eos.

1. Antith.

Primò, Hæretici ad vnum omnes verbo quidem videntur esse valdè Christi Saluatoris nostri gloriæ studiosi, atque obseruãtes, reautem vera penitus gloriam Christi obscurare, atque obruere moliuntur. Statim à principio Ebion, Cerinthus, & alij nõnulli temporibus Apostolorum, nefarium ac sacrilegum bellum diuinitati Christi palam intulerunt. Arius & Macedonius eandem eum cum Patre naturam habere pernegauerunt. Monothelitæ humana voluntate, Apollinaristæ anima, Manichæi natura humana Christum spoliauerunt. Nestorius duas in Christo personas, sicut duas naturas; Eutyches humanam naturam in diuinam transfusam esse nugatus est: à quo nõ abhorrent nostri temporis Vbiquetarij, qui diuinam proprietatem, qua Christus Deus cœlum & terram implet, etiam ad humanam ipsius naturam transferunt. Basilides Christi passionem, Cerinthus resurrectionem, Apelles in cœlos cum carne humana ascen-

sionem

sionem in dubium vocauerũt. Pelagius gratiæ Christi, Berengarius sanctissimo augustissimoque eius corpori plagam imposuit. Ioannes VVicleffus diuinum Christi corpus in panem quasi in aliquam artocream incluſit. Ioannes Huſſus, cùm omnia fatali necessitate euenire crederet, preces, quibus Christi gratia & auxilium imploratur, è medio sustulit. Iconoclastæ, cùm imagines, quibus memoriam beneficiorum Christi, & pium erga ipsum affectum conseruabant maiores nostri, ex templis conuellebant, nõ obscurè cum honore & gloria Christi belligerârunt. Illi quoque insigniter cõtumelioſi in Christum videri debent, qui sponsam eius Ecclesiam omnibus conuitijs, & maledictis onerauerunt, & bellum ad eam funditûs delendam continenter gesserunt. Quod quidem omnibus, qui fuerunt hactenus, hæreticis commune fuit, quorum alij Ecclesiam meretricem Babylonicam, alij congregationem excommunicatorum, alij idololatram, alij alijs fœdioribus nominibus appellârunt.

Certè nostri sæculi hæreses omnes, quamuis pleræque non videantur directò Christũ petere, omnes tamen in ipsum sunt iniurioſæ. Virgini Deiparæ matri Christi

cæteras mulierculas, etiam contaminatissimas, gratia & sanctitate pares affirmare (quod post Copronymum fecit Lutherus) valdè in Christum contumeliosum est. Negare Sanctos æuo sempiterno in cœlo fruentes, preces mortalium audire, atque auxilium vel precibus apud Deum suis, vel opera sua ferre nobis posse, non est aliud quã surdos, ac debiles principes atque ministros Christo assignare. Arbitrij libertatem cum meritis bonorum operum tollere, non parum efficaciam passionis Christi infirmat. Denique quisquis soli fidei salutem adscribit, iniustitiæ crimine manifestè Deum cõdemnet. In reliquos errores, si quis studiosè velit oculos conijcere, in singulis insignem aliquam Christi iniuriam deprehendet. Neq; mirum: sic enim iam inde à principio generis humani futurum Deus pronunciauit. *Inimicitias* (inquit) *ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius.* Mulieris semen Christus est, & pij illius satu editi Christiani. Ad semen serpentis illi in primis pertinent, qui nihil penitus cum Christo commune habere volunt, vt infideles omnes, Pagani, Iudæi, & hæretici, qui fide, spe, & charitate (quibus homo cum Deo coniungitur) repudiatis, odium, præ-

Genes. 3 15.

sumptio-

sumptionem, & opinionem assumserunt: Negat enim D. Athanasius & Epiphanius hæreticos, nisi homonymos, appellandos esse Christianos. *orat. 2. in Ari. Hæres. 29.*

Catholici contra, vt filij sponsæ, in Christi sponsi gloriam omnes conatus & studia conferunt: vnde non ipsius personam modò, sed ea quoq; omnia, quę ipsum quoquo modo attingunt, ad maiorem sponsi gloriam, piè venerantur; matrem, ministros, imagines, sacramenta, passionem, merita, vicarios, &c. Hinc tot S. ceremoniæ, tot dies festi, tot templa, tot altaria, tot monasteria, tot vota, tot peregrinationes, tot ieiunia, & bona opera, tanta maiorum obseruantia, tam humilis obedientia.

Fuit semper proprium hæreticorum, Christi vicarium, D. Petri successorem, quē constituit Dominus super vniuersam familiam suam gubernare, & regere agnos, & oues suas, impetu quanto possent maximo oppugnare. Princeps ille hæreticus Simon magus, quantum negotij D. Petro primo Pontifici Romano facessit? Quas non machinas ad euertendum S. Cornelium Nouatiani commoliti sunt? Quàm indignè S. Liberius ab Arianis in exilium proiectus fuit? Quibus non iniurijs & contumelijs illa *2. Antir. Cyp. libr. 1. epist. 3. Actor. 8. Recognit. clement.*

Arianorum Episcoporum ad Felicem Epistola referta est? Donatistæ (teste D. August) cathedram Romanam appellitabant cathedram pestilentiæ. Berengarius Romanos Episcopos, vt in eos ex pompæ fastusq; nomine odium populi commoueret, ignominiosè Pompifices vocare solebat. Nostri tèporis hæreticis persuasum est, Pontificé Romanum ipsissimum esse Antichristum, à quo Catholicis Papistarum nomen imponunt, sicut olim Ariani Romanorum, & AEtiani Antiquariorum. Istud porrò tam graue odium in sedem Romanã ex eo causam habet, quod videant, illa stante noua sua dogmata necessariò ruere debere. Si enim iussu Christi homo iste constitutus Petra Ecclesiæ, accepit potestatem de omnib' religionis quæstionibus cognoscendi, de nouis doctrinis & sectis iudicandi, & dogmata fidei contraria notandi, iam sibi nullum in Ecclesia Dei locum, vbi consistant, relictum esse facilè intelligunt.

l. 2. contra lit. Pet. ca. 9.

Gre. Tur. de gl. Mar. li. 1. cap. 80. Epiph. hæres. 79.

Contra verò Catholici quanti semper Apostolicam D. Petri sedem fecerint, diuinæ literæ & veteres historici testãtur. *a* Cornelius Cẽturio se ad D. Petri genua proiecit. *b* Ecclesia Hierosolymitana totas noctes pro eius salute & liberatione Deo supplicauit,

a Actor. 10. 25.

b Actor. 12.

cùm

cùm sequenti die ad necem producendus esset. cD. Paulus honoris causa venit Hierosolymam videre Petrum, cum quo & cum Iacobo atque Iohãne, qui cæteris dignitate antecellebant, Euangelium, quod prædicabat, communicauit. Illi enim non modò erant, sed etiam (δοκοῦντες) tanquam præ reliquis illustres, & conspicui videbantur esse columnæ, hoc est, summa veneratione & obseruantia tanquam principes & optimates Ecclesiæ colebantur. Quo loco sanctissimi doctissimiq; viri Athanas. Chrys. Augustinus, Cyrillus, Hieronymus Pontificē habuerint, testantur illorum Epistolæ & scripta, in quibus amplissimè, honorificentissimeque de Romano Episcopo loquuntur. c Galat. 1. 18.

Imperatores & Reges Christiani muneribus & officijs suum erga Pontifices animum testificati sunt. Constantinus & Carolus Magnus Italia Pontificem & diademate ornauerunt, Luitprandus Longobardorum, & Pipinus Francorum Reges, hic Stephani secundi, ille Zachariæ Pontificis equum venerabundus manu sua pedes duxit. Agnoscunt nimirum & venerantur Catholici Christum in suo vicario, & in summi beneficij loco ponunt, hominem in terris

Chry. li. 3. de sacer. humanæ fragilitatis participem relictum, cui filius Dei suam potestatem impartiuit.

3. Antithe. Bern epist. 161. Petr. Cluniac. 2. epi. 2 Nicetæ l. 5. thesau. 34. Vetus est hæreticorum consuetudo, Episcopos, Presbyteros, & Clerum Catholicum vniuersum varijs modis insectari. Nemo enim vel leuiter in Ecclesiasticis historijs versatus ignorat, quibus damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs ac supplicijs fuerint orthodoxi Episcopi ab Arianis & Iconoclastis Imperatoribus exagitati. Quomodo enim æquis oculis intueri possent eos, quibus Christus clauem scientiæ commendauit, atque in Concilijs negotia religionis dijudicandi potestatem fecit?

a Heb. 13. 17. b Actor. 20. 28. Quod cùm probè teneant Catholici, mandatum Apostolicum ante oculos habentes, *a* obediunt præpositis suis, & subiacent eis, quos sciunt à *b* Spiritu sancto positos esse regere Ecclesiam Dei neque conturbant eos vitia Episcoporũ & Cleri (quæ nunquam defuerunt in concionatoribus hæreticorum, etiam multò grauiora) quod sciant potestatem non sanctitati, sed homini datam, vt Christi erga nos beneuolentia testatior esset & illustrior, qui ad populi sui consolationem, etiam per malos & flagitiosos ministros gratiam suam voluerit ad animos nostros permanare.

Et esto,

Et esto, sint plerique rectores populi mali, nullum tamen inde boni capiunt detrimentum, nisi vel impietatem Iudæ sanctis Apostolis, vel impuritatem Nicolai Antiocheni, reliquis sex diaconis, vel quarundam leuium fœminarum turpitudinem honestissimis prudentissimisque matronis fraudi ac crimini fuisse dicere velimus.

Antiquæ intercedunt inimicitiæ hæreticis cum monachis, & religiosam vitam professis. Tametsi enim veteres hæretici VValdensium, & VViclefi sæcula præcesserint, qui singulari monachorum odio, primi monachatum impugnârunt, omnes tamen capitales fuerunt monachorum hostes. Non tacent historiæ, quid egerint in hoc genere per suos Circumcelliones, Ariani, & Donatistæ. Queritur B. Augustinus monachos à Donatistis & circumcillionibus multis conuitijs laceratos esse, seque à Petiliano grauiter redargutum, quod illud vitæ genus instituerit. Multa præter monachorum domicilia veterum hæreticorũ immanitate vel penitus, euersa, vel hominibus nudata fuisse, antiqua literarũ monumenta testantur. Neque id mirum videri debet, cùm illud genus hominum non modò vitæ sanctitate impuros hæreticorũ mores condemnet,

4. Antiqu.

In Psalm. 132. *l.* 3. *cãt. lit. Petil. c.* 40.

demnet, sed etiam tanquam præcipua & nobilissima Ecclesiæ membra, fidem orthodoxam & doctrinam Catholicam firmius retineant, doceant, ac tueantur, hæreseséque acriùs insectentur, & ieiunijs, pœnitentijs, orationibus, concionibus, scriptionibus, tanquam machinis quibusdã faciliùs, feliciusq; expugnent; siquidẽ hæreses omnes, quibus hactenus Respub. Christiana fuit conflicta-ta, monachorum Deoque dicatorum hominum studio potissimum conciderunt.

l.1. de Gene-ſi cont. Man. cap.25.

Quo animo fuerint Catholici erga monachos, testantur per vniuersum orbem maximis sumptibus exædificata, fructibusque vberrimis ampliſſimè dotata monasteria penè innumerabilia: testantur honores, quibus affecti, & insignes immunitates, quibus ad vitam quietiùs ducẽdam, à Regibus, & Imperatoribus donati fuerunt.

§. Adhib.

Est præterea illud commune hæreticorum omnium studium, vt in sacramenta & Ecclesias Catholicorum sint iniurij, idque duplici nomine; tum quod eorum communionem defugiant; tum quod sacra eorum, sacrilega impietate detestentur. Et quidem nonnullos hæreticos, qui ex professo damnant religionem nostram, & apertum bellum gerunt contra sacrificia, sacramenta, reliqua-

liquaque mysteria Catholicorum, non est mirum demoliri templa, confringere imagines, & id genus alia cómittere sacrilegia: sed Donatistas, Arianos, & reliquos, qui istos errores non sunt professi, non minus quàm cæteros, in sacra omnia debacchatos fuisse, mirandum videtur. Narrat *a* Optatus sanctissimum Christi corpus canibus à Donatistis obiectum, & vitream pyxidem cum sacro Chrismate, per fenestram in aceruum lapidum missam. *b* Ariani cùm nullum sacrilegij genus, in Catholici nominis odium & detestationem prætermitterent, sacrum etiam Christi sanguinem in terram effundere non dubitauerunt: congruenter sanè *c* visioni D. Antonij, cui per visum demonstrati fuerunt muli altaria disturbãtes, quos ipse Arianos fore prædixit. Ea videlicet est natura hæresis, cùm sit *d* doctrina dæmoniorum, illa omnia velle abolita, quibus aliquis Christo, (qui conterit caput serpentis) honor defertur.

a Lib. 2.

b Chrys. epi. 1. ad Inno. Et hom. 1. in 1. ad Corint.

c D. Athan. in eius vita.

d 1. Timot. 4. 1.

Non sic Catholici, qui quo vehementiùs pietati dediti fuerunt, hoc plus laboris, studij, ac sumptuum in Ecclesiarum ornatum cultumque diuinum (muneribus, veneratione, ceremonijs) ad diuini nominis gloriã, populique deuotionem augendam impenderunt,

derunt. nobilissima vasa sacra, manificè & pretiosè factas statuas, Constantinus Magnus, temporibus Sylvestri Pontificis, templis donauit; sumptuosis vestibus, variaque suppellectili templa, per vniuersum orbem terrarum, maiorum nostrorum pietate, instruta atque ornata videmus.

C. Antithes. Hæreses omnes inducunt vitæ laxitatem, aliæ quidem ex professio idipsum docentes, vt Gnostici & Ebionitæ, qui improbârunt virginitatem; V Valdenses, qui obedientiam maioribus debitam sustulerunt; Circumcelliones, qui homines ad sibi ipsis manus violentas inferendas instituerunt; Manichæi & maiores ipsorum, discipuli Simonis Magi, qui omni turpitudine & obscœnitate vitam hominum commaculauerunt. Possunt his adiungi nostri Anabaptistæ, quibus vxores communes sunt: & illi, qui in nouam Henrici Nicolai amoris domum se dicauerunt, qui vt sibi suisque benè prospiciant, in aliorum facultates & possessiones inuolare dicuntur. Aliæ sectæ, quamuis nihil eiusmodi præ se ferat, neque quidquam ex professo & instituto vitiosum doceant, ex spiritu tamen professionis vitæ dissolutionem coniunctam habent. Testes sunt Ariani, Donatistę, Iconoclastę Hussitę,

2. Petr. 2. & epist. B. Iudæ.

& plures

& plures alij qui, qui licèt de moribus vitiosis verbum nullum fecerint, vniuersum tamen terrarum orbem seditionibus & bellis perturbauerunt, libidinibus inquinauerũt, immanibus sacrilegijs violauerunt, & iura omnia diuina atq; humana inexpiabili scelere polluerunt.

Nihil de factionibus & impostũris erroneum docuerunt Ariani & Donatistæ: at, Deus bone, quæ turbæ, quanta barbaries, quãta crudelitas hęresim statim secuta fuit? Huius rei causa hæc est, quod spiritus erroris gratiam Dei tollat, qua qui priuatus est, in omne vitiorum genus præceps ruit. Neq; solùm gratia spoliat, sed alibi quàm in Ecclesia, alijsque medijs quàm Christus instituit, salutem quærere docet. Quemadmodum ergo Gentiles sua sapientia, & Iudæi lege Mosaica confisi, teste Diuo Paulo, *traditi sunt in reprobum sensum*, quia sine Christo extra Ecclesiam beatitudinem se consequi posse sperauerunt: quemadmodum viatores à recta via aberrantes, quò cupiunt, nõ aspirant: sic hæretici cùm iter aliud ac deberent, ingrediantur, quò longiùs procedunt, eò deteriores euadunt: & tantùm abest, vt eò quò intendunt perueniant, vt ad metam plenè contrariam tandem deducantur. *Rom.1.28.*

D.Pau-

1. Tim. 4. 1. D. Paulus concionatores hæreticos appellat *spiritus erroris*; & hæreses, *doctrinas dæmoniorum*: nam sicut dæmonum studium est, ad grauiora semper peccata hortari atque impellere; Ita hæretici hoc sibi proprium officium ac munus sumpsisse videntur, deterioribus mentem imbuere, & per eos malè affecta voluntate, in maiora scelera miseram animam pertrahere. Vnde rectè D. Augustinus: *Et omnes quidem hæretici scientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos, quos simpliciter credentes inuenerint, & quia omninò carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, vt interior oculus excæcetur.*

Longè alij sunt fructus doctrinæ Catholicæ, quæ reddit homines mansuetos, humiles, castos, sobrios, obedientes, virtutum omnium & perfectionis sectatores: replet monasteria monachis & virginibus, solitudines Anachoretis, vrbes probis & bene moratis ciuibus. Solent enim Catholici Doctores frequenter auditores suos ad pœnitentiam, ad lacrymas, ad perfectas solidasque virtutes, ad martyrium denique incitare: sicut è contrario hæretici ad discordias, ad seditiones, ad bella, ad sanguinẽ effundendum faces alacriter suis præferre.

Ante-

Antequam Romanum Imperium, desertis idolis, ad Christum se aggregasset, cùm essent multa Christianorum millia, qui vi atque armis debellatis gentilibus, religionem Christianam inducere, ac constituere potuissent, maluerunt tamẽ sanguinem suum profundendo crudeliter occumbere, quàm sanguinem aliorum effundendo gloriosè regnare. Porrò Catholicos pia quædam hæreticorum misericordia, desideriumq́; conuersionis tenet: illi contra nomen nostrum funditùs deletum atque extinctum cupiũt. Catholici à concione redeunt compuncti corde, tundentes pectora sua, aliorũq́; peccata gementes, quemadmodum Propheta Iona & D. Petro concionantibus contigisse nouimus: Illi contra vani, leues, spirantes minarum, & cædis discedunt, vt non sit difficilè columbam discernere ab accipitre. Vnde ferè homines dissoluti, & perditi hæresibus se dedunt, qui parum pietati dediti, laxiorem viuendi rationem adamârunt. Quod B. Ioan. Apostolus notasse videtur, cùm de signis hæreticorum differens, ait: *Ipsi de mundo sunt* (homines carnales) *ideò de mundo loquuntur* (carni & mundo grata,) *& mundus eos audit*, hoc est, homines carnales sectam vocemque eorum sequuntur. Scri-

Ion 3.5. *Actor. 2.37.*

1. Ioan. 4.5.

Epist.169. bit B. Augustin. Eusebio, subdiaconum quendam Sapaniensis Ecclesiæ, nomine Primum, cùm contra Maiorem interdictũ, Virgines Deo sacras accedere non esset veritus, clericatu motum esse: illum verò graviter hac re commotum atque irritatum, abductis secum duabus sanctimonialibus, ad Donatistas defeciisse, & rebaptizatum esse.

7. Antith. Nullam prorsus inuenias sectam, cuius originem possis per continuam & non interruptã successionem ad Apostolos Christi reuocare, sed noti sunt omnium sectarũ principes & architecti. *a* Ariani suũ esse dicunt Arium, Nouatiani Nouatum suum iactant, Lutherani auctorem & parentẽ suum Martinum Lutherum esse confirmant, atq; ita de reliquis omnibus, quotquot vllo vnquam tempore hæreses viguerunt. Est enim proprium hæreticorum omnium, vt Apostoli tradiderunt, *b* segregare se, *c* exite ex nobis, *d* discedere à fide, *e* afferre noua, præter illud, quod accepimus: quod quidem adeò certum est, vt nemo hæreticorum, vel vnicum hominem potuerit hactenus producere, qui ante tempora sui hæresiarchæ per omnia senserit & docuerit, sicut ipse sentit ac docet. Iactant quidem omnes, etiã illi, qui capitali odio inter se dissident, Christum

a Athana. orat. 1. contra Ari.
b epi. Iudæ, 19.
c Act. 15. 26. & 1. Ioan. 2. 19.
d 1. Tim. 4. 1.
e Gal. 1. 9.
Vincen. Liri. contra omnes hæres.

ſtum & Apoſtolos; ſed quo ordine, quaue ſucceſſione doctrinam ſuam ab Apoſtolis acceperint, demonſtrare non poſſunt Quare coguntur ferè eò cõfugere, vt dicant Eccleſiam ante ſua tempora, vel nullam fuiſſe, (vti de Donatiſtis refert D. Auguſt.) vel inuiſibilem, & ſua potiſſimum opera è tenebris in lucem vocatam, quod non ſine inſigni Chriſti Opt. Max contumelia, Lutherani noſtra tempeſtate palam profitentur, ac præſe ferunt. Alij ad antiquos hæreticos ſuam doctrinam referunt, vt quidã Anabaptiſtę ad Manichæos, & hi ad antiquiſſimos Simonis Magi diſcipulos: ſed vt nullus eſt hęreſiarchą, qui non aliquid veteribus errorũ magiſtris acceptum referat, ita nullus eſt, qui non ſit aliquid noui commentus, ſic vt tot hæreſes ſint & ſententiæ, quot capita. *De vni. Eccleſ. c. 12.*

At verò doctrina Eccleſiæ Catholicæ ab ipſis Apoſtolis accepta, integra atq; inuiolata per tot ſæcula & ætates ad nos vſq; peruenit: quod enim credimus hodie in Eccleſiæ Romana, id maiores noſtri ante annos 100. id ante annos 200. 300. 1000. atque adeò ipſis Apoſtolorum temporibus crediderunt Et quidem vſque adeò eſt hæc fides, & doctrina Eccleſiæ Catholicæ, vt neminẽ hactenus aduerſarij dare potuerint, qui illam,

vel excogitârit, vel mutârit, vel deprauârit.

Hanc incorruptam doctrinæ per tot annorum ætatumque ſpatia ad poſteros propagationē veteres illi Doctores, *a* Irenæus, *b* Tertullianus, *c* Cyprianus, *d* Origenes, *e* Euſebius, *f* Epiphanius, *g* Auguſtinus, *h* Optatus Milleuitanus, tanti fecerunt, vt in ea certiſſimam veræ Eccleſiæ cognoſcendæ, ac demonſtrandæ notam conſtituerint.

* Omnium hæreſeon parens ac procreatrix ſuperbia, aut aliud id genus peccatum eſt. *Mater omnium hæreticorum* (inquit *i* Auguſtinus) *ſuperbia eſt*. Simon Magus (Act. 8.) *dicebat ſe eſſe aliquem magnum*. Arius & Nouatus cùm Eccleſiæ principatu, *cuius cupiditate ardebant* (ille Alexandrinæ, *hic* Romanæ) potiri non poſſent, pernicioſiſſimos errores & hæreſes ſunt commenti, vt nomina ſua virtute obſcura, inſigni ſcelere ad memoriam ſempiternam propagarent. Lutherus in diſputatione Lipſica de mutatione religionis à ſe excitata, *neque*, inquit, *propter Deum cœpit res iſta, neque propter Deum finietur*. De veterum hæreticorum ambitione, libidinibus & voluptatibus ſcribūt S. Petrus & Iudas Apoſtolus: *Dominationem contemnunt, & audaces, ſibi placentes maieſtatem blaſphemant, &c.*

a *l.* 3. & *l.* 4 c. 43. 45. 63.
b *l. de præſcr. hær.*
c *l.* 1. *ep.* 3. & 6 *l.* 2. *ep.* 10. *l.* 3. *ep.* 10. & *de ſimp. prælat.*
d *lib.* περὶ ἀρχῶν.
e *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 6.
f *hær.* 27.
g *ep.* 165. & *de vtil. cred. c.* 17. *contra Fau. l.* 28. *c.* 2. *con. ep. Fund. c.* 4. *q.* 110. *vet.* & *no. teſtamẽti l.* 2. *contra Donatiſt.* *8. *Antiq.*
i *l.* 2. *de gen. con. Manic. c.* 8. *Theodoretus libr.* 1. *Hiſt. Eccle. c.* 24. *Chry. hõ.* 27. *in Ioan.*

2. *Pet.* 2. 10. *ep. Iud.* 8.

Con-

Contra verò ſicut Apoſtoli, qui ſanguine ſuo, ſecundum Chriſtum, Eccleſiã fundauerũt, admirabili virtute prædíti fuerũt, ita in illuſtrioribus illis Patribus & Doctoribus, qui in paſcẽdo grege Dominico Apoſtolis ſucceſſerũt, ſingularis vitæ ſanctimonia illuxit. Admiramur ſummam in Auguſtino & Gregorio humilitatem, incredibilẽ victus cultuſq; aſperitatem in Hieron. Baſilio, Naziãzeno, Chryſ. angelicã in D. Thoma & Bernardo caſtitatem. Neq; quiſquam eſt inter ſanctos Eccleſiæ Patres, qui non, vt doctrina erudire, ita ſingulari aliqua virtute antecellere & prælucere conatus fuerit.

Hæretici omnes (quemadmodum vetetes animaduerterunt) non patrum, nõ Cõciliorum, non Eccleſiæ totius, ſed ſolius ſcripturæ authoritatem admittunt. Vnde cùm ipſis in diſputatione ſolis ſcripturis eſt agendum; quas deinde pro ſuo arbitratu vel mutilant, vel ad ſuæ cauſæ commodum torquent, vel prorſus more Sadducæorum reijciunt, pleni ſunt omnes veterum libri, iſtarum querelarum. Maximinus Arianorũ Epiſcopus ita dicebat: *Si quid de diuinis Scripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, vt audiamus, hæ verò voces, quæ extra Scripturã ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur,*

9. *Antih. Tertul. de præſcrip. Aug. lib. 32. contra Faut. cap. 19. Cy. de vni. Eccleſ. Petrum Cluniac. l. 1 ep. 2. Vide D. Aug. lib. 1. cont. Max.*

cùm ipse Dominus moneat, & dicat: Sine causa colunt me, docentes mandata, & præcepta hominum. Item, *si affirmaueris de diuinis Scripturis, si alicubi scripti lectionem protuleris, nos diuinarũ Scripturarum optamus inueniri discipuli.* Nostri temporis hæretici adeò ad solas Scripturas tanquam ad saxum adhærescunt, vt se non Catholicos, sed ab Euangelio, Euangelicos vocari velint: quos libet cum D. August. in hunc modum affari: *Videtis id vos agere, vt omnis Scripturarum de medio auferatur authoritas, & suus cuique animus author sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet, id est, non vt authoritati subijciatur Scripturarum ad fidem, sed vt sibi Scripturas ipse subijciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur, sed ideò rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit.* Hactenus Diuus Augustinus.

l. 32. contra Faus. cap. 19.

Neque iniuria hoc faciunt hæretici, cùm (vt Beatus Gregorius loquitur) *Non conentur suis inquisitionibus veritatem assequi, sed victores videri*, hoc est, quod semel conceperunt, volunt à Scriptura dici, non autem iudicium suum ad sanum Scripturæ intellectum accommodare: & quia Scriptura chartis mandata patitur se quoquo versus inflecti, deduci, & distrahi, neminem volũt præter

Li. 8. Mor. cap. 2.

ter illam, suarum opinionum iudicem.

Catholici magno in honore habent antiquas Maiorum traditiones, Conciliorum decreta, sanctorum Patrum, qui per vniuersum orbem Christianum populum instituerunt, concordem & consentientem doctrinam, à quorum placitis transuersum digitum discedere nefas arbitrantur. Hos magistros à Deo datos in omnibus audiunt, horum mente diuinas literas interpretantur, cùm sciant *a* Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis, & eum, *b* qui Ecclesiam non audierit, loco Ethnici & Publicani habendum, & item illud Concilij Hierosolymitani: *c Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Et à *d* Sapiente deniq; seriò præceptum, ne *transgrediamur terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri.*

a 1. *Tim.* 3. 15.
b *Mat.* 18. 17
c *Actor.* 15. 28.
d *Prouerb.* 22. 28.
10. *Amit.*

Est quoq; modus loquendi Hæreticorũ alius, quàm Catholicorum: nam Hæretici, qui sibi iuxta nomen suum (vt ait Tertul.) quod credant, eligunt, quãdo dogmata sua proferunt, quasi propriam ac priuatam doctrinam ventitantes, sic se sentire, sic docere, sic sibi videre dicere solent. Hinc tot Catechismi, quibus sua quisq; somnia exponit, sparguntur, sicut olim Ariani alias atq; alias fidei professiones identidem proponebant.

de præscr.

Catholici cùm priuatam aut propriam religionem non habeant, sed communem, vniuersalem, Catholicam, aliter loquuntur: Sic (inquiunt) credit Ecclesia, ita docuerunt Maiores, hæc est fides Catholica. Obstupescentibus claudi curationem Iudæis, *viri Israelitæ* (inquit D. Petrus) *quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi propria virtute aut religione fecerimus hunc ambulare* (ita enim Græcè legitur) *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & c.* quasi velit dicere: Fecimus ista non propria, sed communi religione, qua Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob colitur, quam etiam vos hactenus, sed in vmbra atque figura, tenuistis.

Actor. 3. 12.

Hæretici tametsi neminem à se damnari dicant, ipso tamen facto præ se condemnant orbem vniuersum: cùm enim ex arcanis sacrarum literarum constet *a vnicam esse fidem, sicut vnus est Dominus, vnum Baptisma, vnus Deus, & Pater omnium*, & planissimè liqueat *b sine fide impossibile esse placere Deo*, necessariò efficitur, omnes illos, qui aliter atque hæretici crediderunt, à beneuolentia & gratia Dei, alienos extitisse. Perierunt ergo omnes maiores nostri, perierunt omnes sanctæ Ecclesiæ Patres & Doctores, perierunt omnes Christi Martyres & Confessores:

11. Antithes.

a Ephes. 4. 5.

b Heb. 11. 6.

res: nec quisquam in cœlum aspirauit, toto orbe terrarum à primis Apostolorum temporibus vsque ad illum hæresiarcham, qui nouam fidem in omni memoria inauditam inuenit. Sed aiunt simplicitate excursari maiores, quia aliter instituti non fuerunt. Verùm D. Paulus cùm dicit, *c sine fide impossibile esse placere Deo*, neminem prorsus à dānatione excipit, siue indoctum, siue simplicem, siue seductum. Quia nulla infidelitas qualiscunque, seu Iudaica, seu Ethnica, seu Hæretica (tot enim sunt eius species) quocunque colore aut prætextu gehennam effugiet. Deinde, viros ingeniosissimos, doctissimos, in diuinis Scripturis versatissimos, Magistros & Doctores Ecclesiæ laudatissimos, quales per vniuersum orbem in omni ætate non pauci floruerunt, nulla poterit ignorantia ab interitu vindicare, cùm illis clauis scientiæ & munus docendi commissum sit: sed sicut indoctus præceptor grauiori mulcta dignus est, quod cùm sit ineptus ad docendum, cathedram ascendat: ita Doctores errantes & in errorem alios inducentes, digni sunt qui plagis vapulēt a multis: sicut populus *a* cœcus duces cœcos sequens, etsi plagis *b* vapulābit paucioribus, vapulabit tamen, & *c* cum cœcis ducibus in foueam cadet.

c Heb. 11.6.

a Mat. 15.14.
b Luc. 12. 48.
c Mat. 15.14.

Præterea maiores nostri magna deliberatione, diligentiq; inquisitione, ac maturo iudicio adhibito, hæreses omnes, quæ post ipsos exortæ fuerunt, explosérunt atque eiecerunt: quomodo ergo eos harum rerum ignaros atque insolentes fuisse credibile est? Nam quod ad nostra quidem attinet tempora, nulla ferè est excogitata hæresis, quæ olim, licèt diuersis temporibus, notata & totius Ecclesiæ anathemate icta non fuerit. Errores de fide explosi sunt in Eunomio & AEtio; de sanctissima Eucharistia in Berengario; de veneratione sanctarum reliquiarum in Vigilantio; de Ecclesia in Donatistis; de pœnitentia in Nouatianis, de imaginibus in Iconoclastis, &c. Damnant igitur orbem vniuersum hæretici non exigui, sed grauissimi sceleris, blasphemiæ, infidelitatis, idolatriæ Ariani, qui post Ebionitas negârunt Christi diuinitatem, maiores omnes idolatriæ mortuos condemnauerunt. Qui in Eucharistia præter panem nihil esse concedunt, coguntur dicere tot sæculis orbem vniuersum pro Deo suo frustum panis coluisse. Qui cultum Sanctorum, veneratione imaginũ, sacrificiũ Missæ, sacras ceremonias meram superstitionem esse docent, omnes omnium temporũ atq; locorum Christianos

nos impios ac nefarios in Deum fuisse pronunciant. Anabaptistæ, qui puerorum baptismum pro nihilo putant, Christianos omnes pro non baptizatis, pro Iudæis atque Ethnicis habent.

Non ita contumeliosè sentiunt ac loquũtur Catholici de maioribus, quorum memoriam sempiternam in benedictione colunt, quorum mores & fidem admirantur, quorum vestigia persequi toto pectore conantur. Ipsorum vox est: *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare.* *Felix can. 2.* His semper ante oculos obuersatur illud Apostolicum: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* *Heb. 13. 7.* Et nouis doctoribus omnibus, qui maiorum doctrinam non afferũt, sed aliud Euangelium, præter id, quod à patribus per manus acceperunt, cum eodem Apostolo, anathema dicunt. *Galat. 1. 8.*

Nulli hæretici ad sua dogmata, noua populo proponenda legitimè missi sunt. Quãquã enim pleriq; eorum Episcopi, Presbyteri, & Doctores ex ordine munus & officiũ docẽdi acceperunt, nulli tamẽ facultas data

est

est noua decreta fabricandi, sed hoc tantum syncerè & candidè tradendi, quòd ei, qui misit, probatur. Quemadmodum enim ei qui Doctor iuris publicè renunciatur, non confertur potestas Medicinam vel Theologiam profitendi, sed iurisprudentiam: & Legatus ad aliud nihil censetur mitti, quàm ad ea, quæ à Principe accepit, negotia tractanda: Simili modo instituitur Episcopus aut Concionator ad Catholicam & vniuersalem totius Ecclesiæ doctrinam populo explicandam, nõ ad nouas vel suas, vel aliorum Nouatorum opiniones, venales exhibendas.

Vide Inno. 3. de hære. ca. Cum ex iniusto.

Catholici maximam semper legitimæ missionis & vocationis rationem habuerũt, vsque adeò vt multos virtute præcellentes viros, non solùm vocare, aut mittere, sed cum Moyse & Hieremia quasi per vim impellere oportuerit, vt constat de Ambrosio, Basilio, Gregorio, alijsque innumerabilibus.

15. Antith.

Prior inconstantia.

Inconstantia in dogmatis fidei, propria est hæreticis, & perpetua. Et illa quidem duplex: Nonnunquam vnus & idem ad priorem suam opinionem tanquam imperfectiorem adijcere quippiam solet, & doctrinam mutare. Quod feciſſe Nouatianos cõfirma-

firmat D Ambrosius, qui cùm prius docuis- *l. 1. de pœn.*
sent nullum posse peccatum in Ecclesia *cap. 2.*
condonari, postea Catholicorum argumẽ-
tis conuicti, exceperunt leuiora. Pelagianos
scribit D. Augustinus, cùm principio ora- *Hæres. 28.*
tionis, quę ad gratiã Dei impetrandam fieri *ad quod*
solent, dãnauissent, postea palinodiã cecinis- *vult Deum.*
se. Ariani Christũ nunc heterousion, nunc
homiousion dicebant, & singulis ferè con-
uentibus nouas formulas fabricabãt. De in-
constantia Berengarij multa Guitmundus.
Loci cõmunes Philippi Melanchthonis, vi-
uente authore, vix vnquam sine nouo er-
rore typis mandati fuerunt. Confessio Au-
gustana, initio quidem contra Caluinia-
nam disciplinam apẽrtè decertauit, postea
eius aduersus Lutheranos patrona & vin-
dex facta est. Non minor inconstantia & *Posterior*
dissimilitudo in discipulis hæreticorum *inconstan-*
apparet, qui vt authoritatem sibi parent, & *tiæ species.*
in numero doctorum & sapientum viro-
rum habeantur, ad impiam præceptorum
doctrinam, aliquid, & id quidem ferè dete-
rius, apponere solent; sicut videre est in om-
nibus discipulis Simonis Magi, Arij, Dona-
ti, & cæterorum omnium. Hinc nulla vn-
quam hæresis sola constitit, sed cùm plu-
res vnum doctorem audirent, quod ingenij

ostentandi gratia alius aliud adderet, prosemi-
natæ sunt variæ quasi familiæ dissentientes
inter se, & multũ disiunctæ & dispares.
Ex officina Simonis Magi exijt penè innu-
merabilis diuersorum hæreticorum multi-
tudo, vsque ad ipsos Manichæos, qui postea
in Cathariſtas, Macarios, & in propriè dic-
tos Manichæos sunt dispertiti. Ab Ario or-
ti sunt Macedoniani, Aëriani, AEtiani, &
alij quàm plurimi, sicut hac tẽpestate à Lu-
thero Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Confessio-
niſtæ emanauerunt. *Pars Donati* (inquit D.
Aug.) *in multa minutißima frusta conscissa fuit.*

lib. 1. con-Don. ca. 6.

Verùm Ecclesia Catholica tot circum
frementibus hæreseon, & innumerabilium
sectarum procellis sui semper similis, stabi-
lis ac prorsus immobilis persistit. *Est enim*
columna, & firmamentum veritatis, & à sapien-
te architecto super firmam petram ædifica-
ta, *aduersus quam portæ inferi non prævalebunt.*
Et licèt in rebus ad fidem non pertinenti-
bus, diuersi diuersa sentiant, siue illa Philo-
sophica sint, siue Theologica: licèt non v-
no more, institutoque viuatur in Ecclesia
Catholica: alia enim est sæcularium, alia
Ecclesiasticorum, alia Monachorum viuẽ-
di ratio: licèt varij sint religiosorum ordi-
nes, sicut & sæcularium & Ecclesiasticorum
homi-

1. Tim. 3. 15. Matt. 16. 18.

hominum plures sunt gradus: in dogmatibus tamen fidei est vnus omnium consensus. Et quamuis fortè nonnulla melius fuerint posterioribus temporibus enucleata, prout necessitas postulauit, nihil tamen vnquam in Ecclesia creditum fuit à posteris, quod cum fide patrum vel pugnaret, vel ab illa quoquo modo discreparet.

Videntur deniq; ad vnum omnes hæretici contra miracula, quæ per sanctos in Ecclesia Dei fiunt, coniurasse. Cùm enim nulla illi vera miracula ad sua dogmata stabilienda patrare possint, nec à sua perfidia Catholicorum miraculis abduci velint, necessum est, vt ea vel pro Dæmonum operibus, (more Phariſęorũ, qui diuina Christi opera principi Dæmoniorũ Beelzebub adscribebant) vel pro fictis & cõmentitijs habeant. Conatus fuit quidem Cyrola Episcopus Arianus (vt est apud D. Gregoriũ Turonen.) cuidam, qui se cœcum simulauerat, lumen restituere, sed ita parum negotiũ succesſit, vt videtem lumine orbauerit. Ex hoc odio miraculorum, eò audacię & insaniæ proruperunt hæretici, vt cùm populum miraculis commoueri cernant, sacras reliquias & imagines, ad quas eiusmodi mirabilia Deus operari dignatur, disturbent, confringant, exurant.

14. Antith. De Aria, B. Amb. Serm. 91.

lib. 2. hist. Franc. ca. 5.

Catho-

Amb. ep.5. Aug. li.22. de ciui.ca.8. Catholici è contrario Sanctorum miracula & admirantur, & venerantur, quippe quæ signa sunt, vel sanctitatis eorum per quos efficiuntur (siue viuant adhuc illi in terris, siue beatam cum Christo in cœlis vitam degant) vel orthodoxæ fidei & doctrinæ, quam profitentur. Certè Christus Dominus, posteaquam plurima miracula ad doctrinam suam in vulgus probãdam persuadendamque edidisset, sub finem vitæ de Iudæorum pertinacia conquerens: *Si opera* (inquit) *non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: non obscurè significans ad nouam doctrinam inducendam miracula esse necessaria. Et quamuis Catholica fides tot sæculorum decursu per orbem vniuersum confirmata miraculis non egeat, sed illa potius indigeat, quæ noua & hactenus omninò inaudita, pro vero Dei verbo iactatur, multis tamen miraculis etiam nũc ad sacras imagines, & Diuorum reliquias illustratur Ecclesia, & fidei nostræ veritas comprobatur; cùm hæretici, qui hoc quasi diplomate diuinæ voluntatis, missionem suam in nouo isto reformandi orbis studio confirmare deberent, ne minimum quidem signum edere potuerint.

Ioan.15.24.

Chryſoſt. Homi.14. in Matth. Patianus epiſt.3. ad Sympronianum.

DE RATIONE AGENDI cum hæreticis.

MAGNVM est discrimen (inquit B. Augustin. ad Honoratum) inter hæreticum, & eum qui credit hæretico. Ille compendij sui, & præcipuè gloriæ principatusque gratia, nouas & falsas opiniones vel gignit, vel sequitur: hic verò eiusmodi hominibus specie quadam veritatis & pietatis assimilatæ deceptus fidem habet. Hac significatione, *hæreticum post vnam & secundam correptionem vult vitãdum* D. Paulus, *quia subuersus est eiusmodi, et proprio iudicio condemnatus.* Veteres quoq; Patres omnes communi consensu disputationem cum proprij nominis hæretico dissuadent, quod eiusmodi concertatio (vt dicebat apud Sozomenum Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus) *non solùm schismata non vniret, sed amplius diuideret*: nam sicut vulpes nec manuescit vnquam, nec cibo vtilis est (vt ait B. Ambrosius,) ita neque hæreticus vulpeculæ nomine in diuinis literis designatus: contentiosi enim nimiũ sunt hæretici (ait D. Cyrillus) & quia peruersi sunt, & decreuerũt animo nõ mutare sententiam, quodcunq; etiã contigerit, inquit B. Chrysostomus. Si tamẽ

de vtil. cred. ca. 1.

Differentia inter hæreticum et credentem hæreticis.

Tit. 3. 10.

Hist. trip. li. 9. cap. 18.

l. 7. in Lucam.

lib. 2. Thesau. cap. 1.

Hom. 6. ad Titum.

vitari

Quatuor seruanda cũ hæretico.

vitari nequeat congressus, ne sine fructu, eorum saltem qui audiunt, voces mittantur, quatuor quæ sequuntur, videntur vtiliter obseruari posse.

Primum.

Primum, vt respondentis potius, quàm oppugnantis personã sustineas, eò quòd facilius sit argumenta in contrarium allata confutare, quàm superbum & arrogantem aduersarij animum rationibus conuincere, qui omnes rimas euadendi quærit, Scripturas torquendo, mutilando, reijciendo. *Quid li. de præsc.* *promouebis* (ait Tertullianus) *experientissime Scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur, è diuerso si quid negaueris, defendatur: & tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris nisi vilẽ de blasphematione laudem.*

Secundum.

Deinde danda est opera, vt intra limites vnius materiæ aduersarius contineatur; est enim hæreticis, præsertim rudioribus, qui sibi tamen non parum sapere videntur, familiare, vt, cùm dissolutis argumentis in vna aliqua causa se conuictos animaduertunt, aliò dilabantur, & rerum diuersarum multitudine antagonistas suos obtũdant, ne, si nihil in medium afferant, manus dare, vinciq; videantur. Hoc autem nulla ratione patiatur Catholicus, nisi sibi in illo, de quo prius agebatur, satisfactum esse fateantur.

Est

Est præterea ad rectam argumentandi formam astringendus hæreticus, vtq; omissis superfluis, nudam ratiocinationem proponat; qua in re nō parum laboratur ab aduersarijs, qui vt Dialecticæ ignari ab argumentando grauiter hallucinantur, vel Sophistarum more ratiocinationes suas oratorijs pigmentis, quasi fuco quodam colorā do, falsa pro veris, dubiaq; pro certis, indoctis auditoribus venditant. *Tertium.*

Ad extremum conuitia, maledicta, cognomina, quibus nomē nostrorum vrgere solent, surda velut aure sunt præteruehēda. Nam sicut qui malam causam coram iudice tuetur, cùm rationibus & æquitate deficitur, clamoribus instat: ita hęreticus cùm veris ac solidis argumētis se vincere posse desperat, contumelijs certat, vt rem à legitima disputatione ad contentionem detorqueat. Tu verò dissimulatis omnibus verborum portentis, quasi cum homine phrenetico ac furioso negotium habeas, in solam miseri hominis salutē & conuersionem animum intendas. Cogita non hominem, sed spiritū erroris, sed ipsum Dæmonem per os hominis ista maledicta euomere. Quare misereat te potius eius, verbis vtere aduersus eum humanis & beneuolis, tacitusq; *Quartum.*

subinde Deum pro anima Dæmonis laqueis æternorumque suppliciorum periculis irretita precare. Quod si apud ipsum nihil proficies, saltem auditoribus infectis scrupulum aliquem ac dubitationem injicies. Sumus enim ita comparati, vt moueamur modestia, indignemur petulantia.

Hactenus de ijs, quos verè & propriè hæreticos appellamus: superest dicamus, quemadmodum credentes hæreticis, hoc est, qui vel ad hæreticos defecerunt, vel in fide nutant, tractandi videantur: inter quos maiori studio videntur illi iuuandi, in quibus maior conuersionis spes apparet. Ad quam rem præter rationes, quibus hoc libello singuli articuli conuersi confirmantur, tria ista communia puncta poterunt esse adiumento: Vt primò perconteris ab eo, qui cú agis, quas ob causas ab Ecclesia recesserit, ac totius orbis Christiani societatem & communionem deseruerit, maioresque suos, atque adeò omnes omnium nationum, omnium sæculorũ, omnis memoriæ homines, qui Catholicè decesserunt, sceleris ac nefariæ infidelitatis, mortuos tam seuerè condemnauerit? Quia si rectè credit hærecus omnes isti perierunt.

Tria proponenda credenti hæreticis.

Primum.

Secundum.

Tum deinde, qua ratione, quaue authoritate

ritate commotus, huius potiùs, quàm illius hæretici sectam sequatur: cùm non minùs Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Svvenchkfeldiani, atq; Lutherani ſua dogmata ſacrarum literarum teſtimonijs confirment; cur horum potius, quàm illorum vocem interpretationemq; audiat? Si dicat, horum vel iſtorum videri ſibi magis veritati & rationi conſentaneam; fateri cogitur, illud ſuum videri, eſſe regulam fidei. Vnde concludes illum hæreticum eſſe, hoc eſt, electorem, qui ſibi ex multis quod credat, ſuo ipſe arbitrio & voluntate deligat.

Denique vrgebis illum, vt vel vnicum hominem ex omni antiquitatis memoria producat, qui antequam Lutherus naſceretur, ſecum in omnibus ſenſerit. Neminem proferre poterit, neminem nominare, ne ex hæreticorum quidē albo, quorum quiſque diuerſam, quam ſibi ipſe finxit, religionem coluit, & perſecutus fuit. Age igitur, amice, eſt ne æquum, vt repudiata totius orbis diſciplina, doctrinam vel hactenus inauditam, vel olim totius antiquitatis conſenſu exploſam atque eiectam complectaris, hac ſola ratione motus, quia iſti, neſcio qui obſcuri homines, præclarè videantur tibi diuina oracula & myſteria interpretari? Ergo *Tertium.*

tot fortissimos inuictissimosque viros ac mulieres, qui sanguine suo Ecclesiam rigauerunt, tot ingeniosissimos doctissimosque homines, qui in diuinarum literarum studio, & interpretatione totas ætates contriuerunt, tot integerrimos spectatissimosque Christi Confessores, qui fidei suæ veritatem vitæq; sanctimoniam innumeris miraculis testatam reliquerunt, impios, infideles, idololatras fuisse cõfirmabis? Ergo omnes illos in sceleratorum sedem atque regionẽ præcipites ages, ac sempiternis supplicijs viuos mortuosque mactabis? Et hoc solùm propterea, quia tute tibi videris melius sapere & rectius intelligere Scripturas? Quasi verò Christus Opt. Max. Ecclesiam illam, quam acerbissima morte sibi in cruce despondit, in tam cæca caligine, tetrisque erroribus, totos 1500 annos iacere ac cõsenescere passus fuerit, donec post tot sæcula tui ingenij lumine mundus collustraretur.

Hæc atque alia id genus cum quadam pia commiserantis animi significatione modestè proposita, magnum habent momentum & pondus ad animum hominis seducti non prorsus obstinati commouẽdum, præsertim si magnitudo periculi, æternitas inquam, suppliciorum vehementer etiam

atq;

atque atiam inculcetur; quæ sine vlla dubitatione omnibus ijs subeunda est, qui extra Ecclesiam, & sine fide Catholica & orthodoxa à vita discedunt, iuxta illud Isaiæ: *Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Isai. 60. 12.

His namque cogitationibus iactatus hæreticus, si non omninò errorem deponet, nutabit tamen fortasse, & rei grauitatem imminensque periculum seriò cum animo suo considerabit, cogitans fieri posse, vt non minùs ipse cum pauculis suis symmistis in errorem sit inductus, quàm orbis terrarum vniuersus.

SACRATISSIMÆ VIRGINI DEIPARAE SVA SODALITAS CONFLVENTINA.

QValia, proh, terras monstra & portenta replerunt!
Nec tamen hæc populi pectora cæca vident.
Casta parens, & stella maris, depelle tenebras:
Syncera mq, animis fac radiare fidem.
Ac nobis, quibus est animus defendere Matris
Virginea laudes, robur opemque feras.

DE

DE SCRIPTVRA SACRA.

Caput I.

SAcra Scriptura est, quæ Deum habet authorem, sicut Scriptura Regis, quæ à Rege proficiscitur. Constat autem, tribus modis à Rege quippiam conscribi: aut enim manu sua scribit; aut alteri scribenti dictat, ipse verò subscribit, sigilloque munit; aut denique nec ipse scribit, nec dictat, sed alteri vtrumque committit, ipse deinde manu sua, sigilloque appositio, quod scriptum est cõfirmat. *In his tribus scribendi modis, hoc differt primus à reliquis, quod & mentem habeat Regis, & stylum & characteres. Secundus non quidem characteres, sed mentem & stylũ. Tertius præter solam mentem & veritatem nihil. Vnde quod ad veritatem attinet, tametsi parem vbique in iudicio fidem faciant, primus tamen est meritò cæteris anteferendus, ob characteres regia manu exaratos; & stylũ modumque loquendi, non alterius, sed Regis. Secundus, vt sit primo inferior, quod alterius habeat manum, est tamen postremo præstantior, ob dictionem phrasimque Regis.* *Triplex scribēdi modus.* *Similitudo.*

His tribus scribendi modis, in veteri Iudæorum populo Deum vsum fuisse haud difficile erit *Scripturæ Iudæorum.*

lè erit intelligere, si vetus instrumentum cõsulamus. Nam ad primum modum pertinent duæ Tabulæ Legis, in quibus decem præcepta Decalogi digito Dei exarata fuerunt: Ad secundum referenda est tota vetus Scriptura, Legis & Prophetarum: quam tametsi non scripserit manu sua Deus ipse, Prophetis tamen dictauit, quos Spiritu sancto suo afflauit: *Si quidem a Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, ait Beatus Apostolus Petrus; & Dauid Propheta: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Ad tertium modum referri possunt Pontificum Decreta, quæ ex cathedra Moysis illi statuebant, quæ hac communi Dei sententia quasi sigillo roborabantur: *Qui noluerit Sacerdotis imperio obedire, ex decreto iudicis moriatur*: Et Christi voce: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Phariſei: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.*

a 2. Pet. 1. 21.
b Psa. 44. 2.
c Deu. 17. 12.
d Mat. 23. 2.

Scripturæ nouæ leg.

Palam est in Lege Euangelica Scripturam Noui Testamenti ad primum scribendi modum pertinere non posse, ad secundum posse, quod illam dictauerit Spiritus sanctus, non aũt scripserit suis, sed amanuensium manibus, Apostolorum, inquam, & Euangelistarũ. Cùm autem e gloria domus secundæ, hoc est, Ecclesiæ non sit minor gloria domus primæ, nimirum Synagogæ, debebit Ecclesia hac in re non esse Synagoga inferior, habebitque manum sui spõsi, & genuinam Scripturam. Et quidem Ioann. 8. scripsit digitis suis Christus, sed in terra,

e Agg. 2. 10.

terra, & non nobis, sed Iudæis. Eusebius refert Christũ dedisse literas ad Abagarum Regẽ, sed neque illæ propria Christi manu extant, neq; vnquã ab Ecclesia pro eiusmodi acceptæ sunt. Quærenda est igitur alia Scriptura, quam manu sua Christus exarauit. Eam nobis D. Paulus ex Ierem. Propheta ita manifestat. *Dabo leges meas, in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas*: Christus enim nec Ecclesiam suam à charactaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit (quod Moyses olim magna ex parte fecerat carnali populo) sed cùm spiritualem constitueret Ecclesiam, suo Spiritu S. informatam, vsus est sublimiori charactere, scribens digito Dei in corde Ecclesiæ. *Epistola estis Christi* (ait Apostolus) *ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*. Quam eandem Scripturam Christus his verbis promisit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Est aũt Scriptura hæc, Ecclesiæ Catholicæ consensus, & concors Christianorum omnium, qui sunt per orbem terrarum, doctrina: non horum modò, sed & eorum, qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos vsque fidem propagauerunt: quæ Scriptura (vt ait Apostolus) *a legitur ab omnibus hominibus*. Estque illa *b vnctio quæ docet nos de omnibus, quam qui percepit, non necesse habet*

lib. 1. Hist. Eccl. c. 13.

Dabo leges Heb. 8. 10. & 10. 16. Ier. 31. 33.

2. Cor. 3. 3.

Ioan. 14. 16.

a 2. Cor. 3. 2.

b Ioan. 2. 27.

habet

habet ab alio doceri, sicut Ioan. loquitur, cùm sit *a θεοδίδακτος*.

2 Ioan. 6. 45.

Huius Scripturæ præstantia multis partibus superat Scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt: Primò, quod illa sit exarata digito Dei, hæ calamis Apostolorũ: 2. quod illa sit antiquior, nempè cum Ecclesia data: hæ posteriores, quia constat totis duodecim annis, sine scriptis Apostolicis Ecclesiam fuisse: 3. quod hæ prioris illius indiguerint cõfirmatione; quia *b Euangelio non crederem* (ait B. Augustinus) *nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret*: 4. quod istæ sint litera mortua scripta atramẽto in membrana, vel charta, quam si quis, vel truncare velit, vel torquere, vel prauis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: Illa verò cùm scripta sit Spiritu Dei viui, in cordibus viuis Ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit, sed sui per omnia similis perseuerat. Proinde hoc est instar vaginæ, quæ quemlibet gladium admittit, nõ modo chalybeum, sed etiam plumbeum, ligneum, æreum: patitur enim se quauis interpretatione trahi. Illa autem retinet in vagina verum gladium, nimirum genuinum sensum scripturæ in cortice literæ, quia non in solis characteribus, sed in sensu cernitur Dei verbum. Quo fit vt vero Dei verbo careant hæretici, qui alieno sensu scripturę textum peruertunt. 5. Istę non omnia continent religionis mysteria explicitè, vtpote nõ ob id datæ, vt formulam exactam & omnibus numeris

Differentiæ inter Scripturas internas & externas.

1.
2.
3.

b cap. 4. con. Epist. Fundamenti.

4.

5.

numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis Sacramentorum, aliorumq; in Rep. Christiana necessariorum; sed occasione quadam, vel ad Iudæos & hæreticos confutandos, vel ad abusus quosdam tollendos, vel ad fideles consolandos, à quibusdam scriptæ, & nonnullis Ecclesijs missæ. Illa autem, quam Spiritus Sanctus in cordibus imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemq; rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia, quæ de fidei negotijs exoriri possunt, dissoluit. *a Spiritus sanctus* (inquit Christus) *docebit vos omnem veritatem*. A qua Scriptura hoc habet Ecclesia, vt ab Apostolo *b columna, & firmamentum veritatis vocetur*: Et de ea à Christo dicatur, *c Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus*. Ex quo sequitur, hanc Scripturam esse omnium Scripturarum interpretem, omnium opinionum iudicem, omnium errorum expultricem, à cuius iudicio ad alium iudicem non liceat cuiquam prouocare, immò cuius iudicium iudices omnes inspicere, & sequi tenantur.

a *Ioan.* 14. 26. & 16. 13
b 1. *Tim.* 3. 15.
c *Matt.* 18. 17.

Vnde quando in religione quæstio mouetur de Christi diuinitate, de Sanctorum inuocatione, de cultu imaginum, similibusque rebus, de quibus Scriptura diuina, in membrana relicta quædam ad aliorum mentem dicere videtur, veluti, *Pater maior me est. De die autem illa neque filius nouit, nisi solus pater. Dominus credidit me*

uit me initio operum (iuxta 70. interpretes.) *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, &c.* inspicienda atque peruolutanda sunt viua in corde Ecclesiæ diuinitùs impressa atque inusta monumenta, in quibus tanquam in clarissimis Commentarijs, accertissimis explanationibus acquiescere debemus, nimirum, quid de his quæstionibus Ecclesia per orbem sparsa, & nunc, & hactenus ad Apostolorum vsque tempora longa serie deducta crediderit, atque seruauerit, & quo sensu Scripturas in contrariam partem allatas intellexerit.

Decreta Conciliorũ.

Tertij generis Scriptura est in decretis Cõciliorum generalium, quæ Christus grauissimo suo testimonio, & authoritate communiuit. a *Qui vos audit, me audit*; Et, b *si Ecclesiam non audierit, si tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*; Et, c *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Quæ sanè decreta, si veritatem, si obsignationem Spiritus S. si præsentiam Christi spectes, idem habent pondus & momentum, quod sancta Dei Euãgelia, sicut d B. Gregorius pluribus locis fatetur, & B. Theodosius (apud e Niceph.) magnæ sanctitatis Archimandrita ante ipsum, publicè conscenso suggestu ausus est dicere: *Si quis quatuor Synodos quatuor Euangelijs non exæquet, anathema.* Quod idem Apostoli præ se ferre videntur, cùm ex primo suo Concilio Hierosolymitano, in literis Synodalibus ita scribunt: f *Visum est Spiritũ*

a Luc. 10. 16
b Matth. 18. 17.
c Matth. 28. 20.
d l. 1. ep. 24. l. 2. ep. 10. li 3. ep. 33. li. 5. ep. 2.
e libr. 16. cap. 33.
f Actor. 15. 28.

vitui S. & nobis. Si autem vetba ipsa decretorum consideres, nullo modo sunt cum sacris literis conferenda; cùm hæ dictatæ à Spiritu sancto neciota vnum, vel vnum apicem habeant, cui non insit suum pondus & efficacitas: vnde tanquam diuina eloquia mentem hominis admirabili dulcedine, & suauitate afficiunt, sicut toto Psalm. 118. beatus Dauid Prophera docet: Conciliorum verò decreta à sanctis Patribus conscripta fuerunt, qui suis verbis veritatem diuinam nobis loquuntur, non aliter atque scriptor, qui Regis voluntatem suo stylo literis mandat. Atque hinc rectè dixit [a] beatus Augustinus se nullius hominis libris tantum deferre atque diuinis literis, non quidem ob veritatem, quæ par est in vtrisque, sed ob verba & phrasim dictantis, qui fuit Spiritus Sanctus.

[a] Epist. 19.

AN OMNIA, QVAE CREDERE oportet, sint sacris literis expressa.

EX his facilè erit controuersias omnes de sacra Scriptura ortas dijudicare, & in primis illam, *Vtrum omnia, quæ ad fidem pertinent, sint scriptis expressa?* Dicendum enim omnia fidei mysteria cæteraque creditu, & scitu necessaria, in corde Ecclesiæ esse clarissimè exarata, in membranis tam Noui, quàm veteris Testamenti

menti multa desiderari. Vbi enim numerus Euangeliorum & Epistolarum Apostolicarũ? Vbi Euangeliũ Matthæi, & Marci, in Scripturis diuinis potiùs, quàm Nicodemi, aut Thomæ cõmendatur? vbi habetur duodecim articulos fidei ab Apostolis esse Ecclesiæ relictos?

Præterea formas multorum Sacramentorũ iustis de causis ait B. Dionys. Areop. esse suppressas. Eodem pertinent difficilium & dubiarum Scripturarum interpretationes, quas in varios sensus hæretici trahunt. B. Augustinus ad Apostolicam Traditionem extra Scripturam refert Baptismum paruulorum: B. Basilius alijque Patres multa alia enumerauerunt, in quibus ad hoc primum Scripturæ genus cõfugerunt, inuitis omnium ætatum hæreticis: qui cùm aliam nullã præter externã Scripturam agnoscant, in ea tamen omnia contineri valdè impudenter affirmare non verentur.

cap. vlt. Eccl. Hie. Inm. 1. ep. 1. lib. 10. de Gen ad lit. ca. 23. lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Aug. ep. 3. ad Volusia.

Cæterùm à Christo videtur cautum, ne omnia fidei dogmata scriptis cõmedarentur, dum ait: *Nolite sanctum dare canibus neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirumpant vos.* Quod scriptis libris vulgatur hoc (sine dubio) proponitur legendũ omnibus, tam infidelibus, quàm fidelibus, quorũ hi suscipiunt demissis animis diuina mysteria; illi rident & lacerant, quod in Porphyrio, Iuliano, Auerroë, Luciano, alijsque gentilibus cernimus, qui multa Christianis affinxerunt, vt de pueris mactatis, de humanis

Matth. 7.

manis carnibus voratis, de potato sanguine, de adoratis sacerdotum pudendis &c. propter Eucharistiæ & pœnitentiæ Sacramenta. Hinc Patres tum in cõcionibus, tum in scriptis suis, non nisi parcissimè, atque admodum tectè de nostris mysterijs agunt, non rarò addentes: *Norunt fideles, norunt initiati.* B. Dionysius Areopagita timidè hæc mysteria expoſuit, admonito tamen Timotheo, cui suum volumen de Ecclesiastica hierarchia dedicabat, ne cui hũc suum librum, quàm Episcopis & Præsbyteris committeret, quod sanè non à Timotheo solo, sed ab alijs quoque episcopis magna cura seruatum est; cùm liber ille totis 300. annis, quibus imperabant gentiles, in paucorum manus venerit; Romæ tamen in archiuo summi Pontificis, teste B. Gregorio asseruabatur. Nephas est enim sacra nostra, & nominatim sacramentorum formas prodere, vt B. Innocentius Papa admonuit. *Homil. 34. in Euang. ep.*

Cæterùm non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu sunt ad salutem necessaria, perspicuè satis esse Apostolicis scriptis comprehensa, cuiusmodi sunt mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis filij Dei, historia Passionis Dominicæ, remissio peccatorum, & promissio vitæ æternæ. Hæc enim vt firmius omnium mentibus inhærerent, varijs modis inculcari debuerunt, Concionibus, Euangelijs, Epistolis, & demùm Apostolico Symbolo. Quod ideò

diuini illi Principes Eccleſiæ ita breuiter, & perſpicuè poſteritati tradere voluerunt, vt nemo illius ignorantiam poſſet excuſare.

OBIECTIONES HAERETICORUM.

PRIMA eſt ex ca. 20. Ioan. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius:* ergo omnia, quæ ad fidem pertinent, ſcripta ſunt.

SOLVTIO.

Conſequentia non valet, ſed *inferendum* potius erat, ergo ea literis teſtata fuerunt à Ioanne de Chriſto, quæ ad ſalutem erant ſcitu omnibus neceſſaria: quod vltrò damus. Plura autem ad fidem pertinent, quàm omnes noſſe teneantur. Pauca capita nouiſſe ſufficit ad ſalutem, de reliquis ſatis eſt contrarium pertinaciter non tueri. His porrò verbis Beatus Ioannes indicare videtur, quid ſe ad ſcribendum Euangelium mouerit, nempè vt aduerſus hæreticos, maximè Cerinthum, & tunc Ebionitarum dogma conſurgēs, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, diuinam ipſius naturam commonſtraret, quod ait ſe abundè enumeratione miraculorum feciſſe.

SE-

SECVNDA.

Actorum primo: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere, & docere vsque in diem, qua præcipens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est:* Ergo omnia Christi facta dictaque literis mandata sunt.

Constat Beatum Lucam non omnia scripsisse, quæ Iesus fecit, aut docuit, cùm vix quicquam eorum, quæ B. Ioannes suo Euangelio comprehendit, ipse attigerit, veluti de *a* cœco nato, de *b* paralitico ad probaticam piscinam curato, de *c* aqua in vinum conuersa, de *d* Lazaro suscitato; Præterea insignia illa colloquia habita cum *e* Nicodemo, cum *f* Samaritana, cum *g* Caphernaitis Ioannis 6. & cum Apostolis absoluta nouissima cœna agni paschalis. Neque sic loquitur B. Lucas: Scripsi omnia, quæ Iesus fecit & docuit: *sed h sermonem feci de omnibus, quæ cœpit facere & docere*, hoc est, (vt Beatus Chrysostomus interpretatur) summatim aliquid de omnibus attigi, quibus satis constare omnibus possit, quis vir fuerit & qualis noster Iesus.

a *Ioan* 9 1.
b *Ioan.* 5. 5.
c *Ioan.* 2. 9.
d *Ioa.* 11. 44.
e *Ioan.* 3. 1.
f *Ioan* 4. 7.
g *Ioa.* 6. 26.
h *Acto.* 1. 1.

SITNE SCRIPTVRA FACILIS INTELLECTV.

MVlta in sacris literis esse perspicua negandum non est, omnia autem esse huiusmodi, vt sine labore à quouis

intelligi possint, etiam illa loca, quæ dogmata fidei continent, cum experientia pugnat: sufficient pauca exempla. 1. Pet. 3. 19 *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* 1. Corin. 15. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt?* Rom. 10. 6. *Quæ autem ex fide est iustitia sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere, aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo.* 1. Corinth. 3. 15. *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* a B. Petrus fatetur in Epistolis Paulinis multa esse difficilia, quæ indocti deprauant. Ac proinde (vt B. b Augustinus author est) Beatus Iacobus Apostolus ad correctionem eorum, qui Beatum Paulum malè intellexerant, de iustificatione ex fide loquentem, Epistolam suam conscripsit: Quod etiam reliquos Apostolos fecisse B. c Augustinus libro de fide & operibus affirmat his verbis: *Quia hæc opinio de sola fide tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ literæ Petri, Iohannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer asserunt fidem sine operibus nihil prodesse.* Porrò ipsimet hæretici fateri coguntur, multorum locorum obscuritatem, dum Scripturas quasdam contra Ecclesiæ totius sensum hactenus inauditis, adeoque inter se pugnantibus interpretationibus, exponunt. Vnica hæc sententia: *Hoc est corpus meum*, Catholicis significat verum Christi

corpus

a Vide B. August. li. de fide & oper. ca. 15. 2. Pet 3. 16.

b l. 83. quæstio. 76 & præf. Psal. 31.

c cap. 14.

corpus sub panis specie in Sanctissima Eucharistia adesse, Lutheranis verò adesse cum corpore panem: Caluinistis autem solum panem sine corpore Domini. Similis est ratio Scripturarum omnium, quibus ad suas hæreses confirmandas variè hæretici abutuntur, quas Catholica Ecclesia iam vsque ab Apostolicis temporibus ducta, pro fide orthodoxa interpretatur.

Veteres omnes Ecclesiæ Doctores agnouerunt Scripturarum difficultatem, ad quas intelligendas, B. Basilius, & Nazianzenus, tredecim annis in monasterio constiterunt: B. Hieronymus relictis negotijs Romanis, in Bethlehem se contulit: S. Chrysostomus ab ipsomet B. Paulo Apostolo institutus legitur; & B. Gregorius Pontifex, à Spiritu sancto quem Petrus diaconus in columbæ specie ei in aurem vidit suggerentem, quæ in Ezechielem dictabat B. Augustinus sic ait libr. 2. capite sexto de doctrina Christiana: *Multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legum Scripturas, aliud pro alio sentientes: quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur non inueniunt, ita obscurè quædam dicta caliginem obducunt. Obscuritatibus hisce*, ait idem B. Augustinus alibi, *non temerè à Spiritu Sancto Scripturas esse tectas, sed ob id maximè, ne vilescant, & exerceant, vt pascant.* Vult enim Deus orationibus, meditationibus, & studijs suorum verborum intellectum communicari, non vanis, non

Ruff. li. 2. hist. cap. 9.

Sententia. 67. Prosperi.

ambitiosis, non mundo addictis.

AN VVLGO PERMITTENDA sit Scripturæ lectio.

BEatus Ioannes Chrysostomus multus est in adhortandis suis ciuibus ad Scripturarum lectionem, vt quæ omnibus datæ sunt, ab omnibus legantur. *Nec recedat volumen legis huius ab ore nostro, sed meditemur in eo diebus & noctibus, vt custodiamus & faciamus omnia, quæ scripta sunt in eo, & dirigamus viam nostram, & intelligamus eam.* De modo autem legendi, est quæstio: An sic permittenda sit vulgò Scripturarum lectio, vt simul penes omnes sit ius eas interpretandi. Quem quidem nodum, non est difficilè ex ijs, quæ paulò superius diximus, expedire: *Si enim oracula diuina, multis magnisque sunt obstructa difficultatibus, non quiuis vnus è populo, sed ij soli, qui magno studio & labore difficultatem omnem superârunt, erunt ad ea explicanda atque euoluenda accommodati.*

Ioſue 1,8.

Oritur autem obscuritas & difficultas variis ex causis: primò quidem ex difficultate rei, quæ tractatur: quam ob causam Epistolæ B. Pauli præsertim ad Romanos, & Galatas, multa ingenia magnorum virorum non parum fatigârunt. Deinde ex phrasibus, vel Græcis, vel Hebræis, quibus plenæ sunt Scripturæ omnes. Præterea ex consuetudinibus qui-

Causse obscuritatis Scripturarum.

1.
2.
3.

quibusdam veteris Ecclesiæ, certas ob causas paulatim mutatis, quo modo totum caput decimum quartum primæ ad Corinthios est intricatum, & quod capite sequenti dicitur: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* varios habet sensus. Rursus ex profunditate rei ipsius cœlestis, & altitudine doctrinæ, quam mens imbecillis attingere nequit. Quis quæso intelligit, quod ad Ephesios scribitur: *Vt innotescat principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Et postea: *Vt positis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Denique ex mysterijs, quæ similitudinibus explicantur: quæ res facit, vt tota Apocalypsis B. Ioannis inexplicabili obscuritate lateat inuoluta.

1. Cor. 15. 29.

Ephe. 3. 10.

Ephe. 3. 18. 19.

Quemadmodum igitur ars nulla sine magistro discitur, neque author etiam prophanus sine studio intelligitur, ita nec Scripturæ cognitio sine labore & opera doctoris haberi potest: & sicut ne vilis quidem opifex, in his, quæ artis suæ sunt, ab imperito illius artis viro, alioqui doctissimo, admoneri se patitur: sic admittendi nō sunt ad sacrarum rerum interpretationē, qui non prius illis operā dederūt, ne meritò objiciatur illis tritū illud: Ne sutor vltra crepidā. Sicut. n. in hac Ecclesiæ Rep. distincta videmus officia sartorū, sutorū, fabrorum, lanionum, qui suis opificijs Christianos

Scripturæ à magistris discendæ.

Ephe. 4. in Eccleſia adiuuant, ita ex ſacris literis diſcimus, *Aliquos eſſe paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in ædificationem corporis Chriſti.*

Igitur aliquorum officium eſt ſacras literas tractare, earumq; intelligentiam Chriſtiano populo tradere, quos ait Scriptura eſſe *a Sacerdotes, quorum labia cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eorum. b* Sacerdotum in veteri lege erat tuba canere, *c* populum docere, *d* Dominum conſulere, eiuſque reſponſa etiam ad viros ſanctiſſimos deferre, denique ea omnia, quæ diuinæ legis erant tractare. Ad idem munus delecti ſunt Sacerdotes legis Chriſti, quibus Chriſtus ſic locutus eſt: *e Ecce ego mitto vos, f prædicate Euangelium omni creaturæ, g docete omnes gentes: h Qui vos audit, me audit. i Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Be. Paulus ſic loqui, & ſcribere ſolet Epiſcopis, & Presbyteris: *k Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Item: *l Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim facies & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. m Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, n Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam, verbũ ſanum, irreprehenſibile, vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur.*

a Malach. 2. 7.
b Ioſu. 6. 4.
c Deu. 24. 8.
d 1. Reg. 22. 10.
e Luc. 10. 3.
f Mar. 16. 15
g Matt. 28. 19.
h Luc. 10. 16.
i Ioan. 14. 26
k Actor. 20. 28.
l 1 Tim. 4. 13
m 2. Tim. 4 2
n Tit. 2. 1.

Hæc nuſquam mandata ſunt idiotis, quorũ eſt audire, & à peritioribus Scripturarũ intelligẽtiam accipere, B. Leo Pont. maximus

mus Antiocheno Patriarchæ sic scribit: *Illud dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue laicus, qui alicuius scientiæ nomine gloriatur.* B. Basilius in quæstionibus compendio explicatis, ait: *Superiorum esse illa scire ac discere, quæ alios doceant, aliorum autem non plus sapere, quàm oportet sapere.* Et B. Augustinus: *Quis mediocriter sanus non facilè intelligat Scripturarum expositionem ab ijs petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur? Fierique posse, immò id semper accidere, vt multa indoctis videantur absurda, quæ cum à doctioribus exponuntur, eò laudanda videantur elatius, quò abiectius aspernanda videbantur. & eò accipiantur aperta dulcius, quò clausa difficilius aperiebantur.*

Epist. 62. vide epist. 82. ad Iulianum.

Quæst. 23.

l. 1. de moribus Eccl. c. 1. Vide cã. 19. Trullian. & sess. 11. Cõcilij Lateranen.

Hanc sanè rationem discendi literas sacras secuti sunt Patres omnes Ecclesiæ, qui non prius sibi sumpserunt docendi officium, quàm ipsi à præceptoribus probè instituti essent. a B Hieronymus gaudet se Beato Gregorio Nazianzeno, & Didymo magistris sacras literas didicisse. B. Basilius, & Nazianzenus, vt ex b Ruffino superius dictum est, *in monasterio per annos tredecim omnibus Græcorum sæcularium libris remotis, solis Scripturæ diuinæ voluminibus operam dederunt, eorumque sensum non ex suo cerebro, sed ex maiorũ scriptis, & authoritate hauserũt, quos et ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam accepisse constabat.*

a ep. ad Dom.

b li. 2. c. 9.

Quæritur porrò B. Hieronymus, hæreticos,

Li.1.ad.Pel. vt fauorem sibi plebis concilient, scientiam
94.6. legis quibusuis, adeoque ipsis mulierculis tribuisse: Et ad Paulinũ: *Sola Scripturarũ ars est, quam sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant.* Neque hoc nostro tantùm, aut Hieronymi sæculo factum
Iaco 6.3.11. fuit; sed etiam temporibus Apostolorum: a
a l.2.de.Tri & li. 2. ad deò, vt Beatus Iacobus Apostolus eiusmodi
cõst. hominum temeritatem efficacibus verbis cõ-
b in c.1. ad primere debuerit: *Nolite*, inquit, *plures magistri*
Gal & cõtr. *fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumi-*
Lucif. *tis.* Et verè non aliunde tot hæreses & scis-
cli.12,cõf.c. mata proleminantur, quàm quod quilibet, ad suũ
25 iudicium Scripturas interpretetur, atque ad
d In 7.Syno. noua sua commenta accommodare conetur,
sess.6. vt veteres dixerunt, *a* Hilarius, *b* Hieronymus, *c* Augustinus *d* Epiphanius.

OBIECTIONES hæreticorum.

PRIMA.

CHRISTVS præcepit Auditoribus suis vt doctrinam Christianam ad regulam
e Ioan.5.39. exigant sacræ scripturæ: *e Scrutamini Scripturas.* Igitur permissum, imò mandatum est vulgò Christianorum iudicium de Scripturarum interpretatione, & de negotijs fidei.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia: primò quidem quia Christus non indoctæ plebeculæ locutus est,

est, sed Sacerdotibus, Leuitis, & Pharisæis, a qui clauem acceperant scientiæ, de quibus idē b dixit: *b Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati*, &. c *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ in solo Deo est, non quæritis?* quos constat non fuisse ex promiscua multitudine, sed principes viros, qui ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem legauerant, vt interrogarent eum, *Tu quis es?* Deindè verò quia scrutari Scripturas, non est Scripturas ad sensum suum, quò libet torquere, vel nouam atque hactenus inauditam interpretationem, ad nouum dogma confirmādum comminisci: sed est doctrinam cum Scriptura conferre, eo sensu intellecta, quem tradiderunt maiores.

a Luc. 11. 52.
b Ioan. 5. 33.
c Ioan. 5. 44.
Ioan. 1. 19.

SECVNDA.

Beroenses commendantur, quòd quotidiè scrutarentur Scripturas, an illa, quæ à Paulo, & Sila sa dicebantur ita se haberēt, ergo licet populo idem præstare.

Actor. 17. 11.

SOLVTIO.

Concedi potest ad eum modum, quo id fecerunt Beroenses, qui Scripturas ab Apostolis pro concionē expositas, cum ipsa eorum explicatione conferebant, considerabantque vtrum nouis modis, à veteribus ignoratis, Scripturas torquerēt, an verò maiorum doctrinę, & interpretationi consentanea dicerent. Hoc ipsum optandum est ab omnibus fieri, & ijs præsertim tēporibus, quādo noua dogmata in mū-

dum

dum inuehuntur, Scripturarumque centonibus comprobantur: tunc enim cõferendæ sunt nouitates illæ cum vetustate Ecclesiæ, & noua interpretatio cum antiqua interpretatione maiorum, cum qua si pugnat, reijcienda est, & iuxta beati Pauli admonitionem anathemate percutienda.

Galat. 1. 8.

TERTIA.

Matthæi 11. Christus patri cœlesti cõfitens, *quia abscondisset hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasset ea paruulis*, significare voluit, non minus inesse gratiæ imperitæ multitudini, quàm inflatis doctoribus: Non sunt igitur rudes ab interpretatione, & iudicio Scripturarum arcendi.

SOLVTIO.

Neganda est consequutio, quia paruulorum nomine, non quiuis imperiti, sed humiles, ac nullius rei cognitione tumentes intelligendi veniunt, quales erant Apostoli, piscatores, illi quidem, & demissi, nullo spiritu inflati, nullius artis inanis arrogantia subnixi ambulantes, non tamen indocti, vtpote qui totum triennium æterni Patris diuinam sapientiam docentem audierant, & mentem ipsam intus erudientem senserant. Gaudet igitur Christus, non tumidos peritia legis Pharisæos, non inflatos naturalium rerum cognitione Philosophos, sed humiles, & à mundo con-

contemptos piscatores, ad Christianam sapientiam primò quidem à se discendam; deinde verò alijs communicandam delectos, eo ferè modo, quo Beatus Apostolus Paulus: *Videte*, inquit, *vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Indocti, qui præ se maiores omnes pro nihilo putant, suumque iudicium totius Ecclesiæ sententiæ anteponunt, non sunt in istorum paruulorum, de quibus Christus loquitur, sed in turgidorum, non dico sapientium, sed sciolorum numero reponendi. 1. Cor. 1. 26.

QVARTA.

Ioannis 6. 45. affirmat Christus ex Prophetis: *Erunt omnes docibiles Dei*, siue vt Græcis est, θεοδίδακτοι, hoc est, docti à Deo: ait namque Isaias, *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*, & Ieremias, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo vsque ad maximum, ait Dominus.* Igitur non opus est plebi alio doctore, sed omnibus licebit interno Spiritus instinctu Scripturas exponere. Isa. 54. 13. Iere. 31. 33.

SOLVTIO.

Malè colligunt aduersarij; non enim Prophetę Scripturarum omnium intelligentiam, sine doctore externo, à solo Deo volunt Christianis

stianis omnibus infusum iri, sed duo alia prædicunt Messiæ temporibus euentura; alterum, quod omnes docendi sunt à Deo, hoc est, diuinitus communicandam omnibus scientiam: quod factum est à Christo Deo, & Patris Sapientia: primò quidem, quando per seipse Deus cum hominibus conuersatus cœlesti doctrina ore suo sacro sancto mortales imbuit, & per Apostolos, eorumq; successores, eadem mundum diuina scientia collustrauit: deinde verò dum quotidie per se ipse fidei virtutē Christianis infundit: Alterum quod nō docebit vnusquisq; proximum suum, nō quidem nihil, sed nosse Dominum. Significauit enim Propheta his verbis, temporibus Christianorum tam publicam fore, & omnibus manifestam orthodoxā fidem, tam conspicuā Ecclesiam Catholicam, vt ea neminē possit fugere: statim.n.cū lacte sugēdam Dei notitiam, & ipsis infantibus à parentibus instillandam; quod totis 1500. annis vidimus in Ecclesia per vniuersum orbem à Catholicis egregiè præstitum esse. Voluit igitur Propheta indicare, Ecclesiam Christi nō fore inuisibilem, sicut quidam docuerunt, neque vllo vnquam tempore ita supprimendam orthodoxā fidem, & ita abditā in occulto latituram, sicut his 1500 annis cogūtur hęretici fateri sua dogmata inuisa latuisse; ꝙ ne vnū quidem hominem ante sui hęresiarchę ętatem nominare possint, qui idem prorsus in omnibus,, quod ipsi, professus fuerit.

QVIN-

QVINTA.

Maiores nostri, & Ecclesiæ Doctores, cùm fuerint homines erroribus obnoxij, errare potuerunt: non igitur quicquid illi dixerint, ex oraculo editum existimari debet.

SOLVTIO.

Verum est singulos homines, tam doctos, quàm indoctos posse errare, & pro fidei regula accipiendũ non esse, quod singuli vel dixerunt, vel scripserunt; vniuersos tamen simul errare nunquam permittit ille, qui se suæ Ecclesiæ præsto futurum promisit, *vsque ad consummationem sæculi.* Mat. 28. 20.

Cæterùm quia hæreticis omnibus solenne est, Sanctorum Patrum, quod fuerint homines, authoritati detrahere, exponendum erit, quibus de causis ipsi in Ecclesia authoritatem habeant, & à Catholicis in dogmatum suorum confirmationem adducantur. *Cur Patres citentur.*

Prima est, quod sint certi testes eorum, quę suis tẽporibus Christianus populus per orbẽ vniuersum credidit: cùm enim lego B. Chrysostomum in Græcia, B. Hieronymum in Palæstina, Ambrosium in Italia, Augustinum in Africa, Hilarium in Gallia, Orosium & Prudentium in Hispania eodem sęculo ante 1200. annos eadem prorsus nobiscum sentientes atque scribentes, populos sibi commissos pro concione docentes, & libris instituentes: dubitare non debeo: eandem per omnem

Eccle-

Ecclesiam fuisse fidem ante 1200. annos, quæ hodie etiamnum à Catholicis retinetur. Sicut namque historicis sua debetur fides, ita multo magis his pastoribus atque doctoribus, qui nó tantùm quid Ecclesia crediderit, sed quid, & quibus modis concreditum gregem concionatores, & superiores docuerint, posteris tradiderunt.

Secunda. Quod viri sanctitate conspicui, miraculis clari, doctrina illustres, studio laboreque indefessi minus existimandi sint errasse, quàm nos noui homines, qui neque pietate, neque eruditione, cum ipsorum minimo sumus conferendi: nec enim credibile est, viros huiusmodi, præsertim in rebus quæ fidem attingunt, à Deo sic destitutos vt ipsi errarint, & concionibus doctrinaque sua in errorem alios induxerint.

Tertia. Quod qui ante annos 1200. ad Ecclesiæ gubernacula sederunt, ab Apostolorum temporibus solis 300. annis abfuerint, eorumque doctrinam, tanquam viciniores longè melius cognouerint, quàm nos, post mille ducentos annos sequuti: præsertim cùm non nisi per veteres illos maiores, ad nos Christiana nostra doctrina peruenerit. Ire igitur ad veteres nihil aliud est, quàm inuestigare, vtrum dogmata religionis pura, atque illibata, sicuti ab ipsis tradita fuerunt, ad nos sint delata.

Quarta. Quia, quod multò ante nostra sæcula vixerunt, incorrupti sunt iudices cõtro-

uersia-

uersiarum, quæ à posteris mouentur: *Nullas* (inquit D. Augustin.) *nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, neque nobis neque vobis irati sunt, neq; nos neq; vos miserati sunt: quod inuenerunt in Ecclesia, retinuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à parentibus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.* l. 2. contra Iulianum. Pelagianum.

DE NVMERO LIBRORVM SACRORVM.

NVllus ferè canonicus extat liber, cui nõ censoriæ seueritatis notam inusserint Nouatores, si quidem minus errori suo fauere videretur. Totum vetus testamentum damnauerunt Carpocratitæ, Seueriani, & Manichæi, tanquam à malo principio confictum. Euangelia præterquam Lucę negauit Cerdon. Cerinthus etiam Lucam abiecit, & cæteros, præter Matthæum. Seueriani Apostolorum Acta sustulerunt, & cum Ebionitis omnes beati Pauli Epistolas. Epistolam beati Iacobi Lutherus appellauit stramineam, & indignam Apostolico spiritu. Alogiani beati Ioannis Apocalypsim pro figmento Cerinthi habuerunt. Non pauci de posteriori Epistola beati Petri, & duabus beati Ioannis Apostoli dubitauerunt. Quibus omnibus si fides habenda sit, restabunt nobis in Scripturis, vnica B. Petri, vnica beati Ioannis, & vna B. Iudæ, quas tamen non esset difficile, prætextu aliquo cum cæteris expungere.

Cæterùm ne hoc malum orbi eueniret, in-

sculpsit in mentibus Ecclesiæ Deus, sacrorum librorum numerum, qui inspiciendus est ei, qui de libro aliquo dubitat. Ante 1200. annos, in Concilio Carthaginensi, cui B. Augustinus adfuit, & in Epistola B. Innocentij ad Exuperium, illi omnes nominati sunt, quos ante 150. annos celeberrimum illud Florentinum Concilium Latinorum, Græcorumq; patrum, atq; Armenorum legatorum consensione celebratum recensuit, & nostra ætate Trident. Synodus comprobauit.

Cap. 47.

Hæretici ac nominatim Caluinistæ, ne quid traditioni Ecclesiæ tribuere cogantur, affirmant iudicem diuinarum scripturarum esse spiritū Dei; ab eoque clarè discerni sacros libros à non sacris qui diuino spiritu ducitur: sicut enim lumen vt cernatur non eget alio lumine, vtpote claritate sua conspicuum, ita diuina verba ex se esse lucida, statimq; ab eo qui Dei spiritu sit præditus agnosci, ab alijs autem hoc spiritu non afflatis, tanquam à cœcis non discerni. At miseri non aduertunt hoc nouo commento se maiores tenebras offundere, & fidem scripturarum in dubium vocare. Cùm enim B. Ioannes Apostolus admoneat non omni spiritu credendum, nulliq; priuato homini promissa legatur spiritus sancti præsentia. Si iudicem scripturarum velis esse spiritum Luther, Caluini, vel tuum aut alterius, reddetur incauta scriptura ex incertitudine huius spiritus, quem vt singuli hæretici penes se esse iactant,

1. Ioan. 4.

ctant, ita eum alijs omnibus adimunt. Quocirca solius Ecclesię de librorum Canonicorũ numero, & intelligentia iudicio standum est, vt cui soli Christus sancti spiritus assistentiam manifestis verbis prædixit. *Alium* (inquit) *Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, qui docebit vos omnia.* Ioan. 14.

OBIECTIO PRIMA.

Concilium Laodicenum, eos libros veteris Testamenti omittit, qui non sunt in Canone Hebræorum: non igitur agnouit libros Machabæorum, Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, & Iudith.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia: non enim eò loci patres abiecerunt hos libros, tanquam non sacros, nec decreuerunt non esse Cononicos, sed non numerauerunt inter illos, qui in Ecclesia essent legendi, idque præsertim propter Iudæos ad fidem conuersos, & ferè Iudaizantes, quibus Phrygia ab Apostolorum temporibus abundabat. Hos nimirum sancti illi Episcopi irritare noluerunt, ijs libris veteris Testamenti in Ecclesia legendis, quos illi in Canone Hebræorum non habebant.

SECVNDA.

Beatus Gregorius. l. 19. Moralium, c. 17. de libris Machabæorum sic loquitur: *Non inordinatè*

agimus si ex libris licet non Canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis testimonia proferamus.

SOLVTIO.

Sed nec ille negat, esse libros illos sacros aut in canonem Ecclesiæ relatos, cùm virum doctissimum latere non potuerit, quid ante 200. annos, beatus Innocentius Papa, & Concilium Carthaginense, de his Machabæorum libris scripserit. Loquitur igitur de canone Hebræorum, in quem isti libri ascripti non fuerunt, & propterea non parem obtinebant apud omnes homines, præsertim Iudæos, authoritatem. B. August. multò ante ex ijsdem libris, tanquá sacris, & apud Ecclesiam canonicis, sacrificium pro defunctis confirmare minimè reformidauit.

l. de cura pro mortuis agê. cap. 1.

TERTIA.

Olim à plerisque dubitatum fuit, de nonnullis Scripturæ libris, de Epistola ad Hebræos, de altera Epistola D. Petri, de posterioribus capitibus Danielis, &c. Non sunt igitur hæreseos crimine condemnandi, qui eosdem nunc vel reijciunt, vel in dubium vocant.

SOLVTIO.

Consequentia neganda est: qui pari ratione efficietur, hodie à nobis dubitari posse, an sint de integro baptizandi, quos hæretici abluerũt, quod existimauit D. Cyprianus cum Concilijs aliquot

aliquot Aphricanis: Et, an Christianis obseruanda sit lex Mosaica, etiam istis, qui ex Gentilibus crediderunt; quod ante a Hierosolymitanum Concilium citra hæresim à plerisque agitatum fuit. Deniq;, vtrum ad Gentes quoq; pertineat gratia Euangelij, an verò ad solos Iudæos, sicut nonnulli in b Actis Apostolicis arbitrabantur. Tametsi namque Ecclesia vnam eandemq; fidem quouis tempore retineat, quædam tamen fiunt nunnunquam explicatiora, temporis progressu, quàm fuerint in principio: Sicut enim numero creuit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione, & perspicacior in illis cognoscendis, quæ ex primis articulis fidei manifestò notis, tanquam ex principijs necessariò colliguntur. Ecclesia igitur nullo vnquā tempore pro fidei dogmate recepit, quod priꝰ reiecerat, vel non esse credendum docuerat, (hoc enim est hæreticorum, qui fidē mutant) sed aliquando credit explicatius, quod prius crediderat in genere atq; obscurius.

a Act. 15.

b Act. 11.

Proinde quamuis nihil fidei contrarium sentiāt, qui de re nondum explicata, diuersam ab alijs opinionem tuentur; nulli tamen licet, citra notam hæreseos, in dubium reuocare rem semel ab vniuersa Ecclesia manifestè declaratam atque receptam. Itaque postquam ab Ecclesia explicatum est, etiam illos libros in sacris esse habendos, qui apud nonnullos in dubium venerant, nulli est fas ampliùs dubitare; cùm pari veneratione habendi sint,

atque si nulla de his vnquam dubitatio fuisset; quandoquidem ab eadem Ecclesia fidem authoritatemque accipiunt, quæ reliquos libros in sacris numerauit. Causa enim cur à plerisque Catholicis non fuerint sacris libris adnumerati, non illa est, quia tunc non fuerint sacri, sed quia nondum omnibus à tota Ecclesia pro sacris propositi. Ergo simul atque publicè proponuntur, sine vlla recusatione in diuinorum librorum numero ab omnibus colendi sunt, ac venerandi. Quemadmodum nummus aureus quibusdam initio suspectus velut adulterinus, si postea aurificis periti statera examinatus, & à magistratu approbatus ab omni populo recipiatur, non minoris est pretij, quàm cæteri nummi, qui talem suspicionem nunquà tulerunt.

Simile.

DE

Caput II.

CVM varijs erroribus & flagitijs mundus totus in maligno positus, ab vltimo fine creationis suæ, æterna salute, aberraret; Christus quosdam homines ex tota hominum multitudine, gratia sua & misericordia euocauit, eosque certis inter se legibus coniũxit, Societatemque seu Rempubl. quandam instituit (quam Ecclesiæ nomine appellari voluit,) quæ à cæteris hominibus separata, non tam res huius vitæ caducas intueretur, quàm ad beatitudinem perpetuam futuri æui mentis oculos intenderet. Et cùm maximus sit humani generis amator Deus, non vnius nationis, gentis, vel loci angustijs hanc suam congregationem concludi voluit; sed potestatem fecit quotquot sunt in vniuerso orbe hominibus, nullo sexus, ætatis, donorum naturæ vel fortunę discrimine, vt hunc suum cœtum adire, in eumq; cooptari possint. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Ioan. 1. 12.

Huic porrò Reip. eximia quædam priuilegia concesit, qualia extra hanc congregationem nusquam inuenias. *Proprietates Ecclesiæ.*

Eorum primum est, in Ecclesia sola veram esse notitiam Dei, diuinarumque rerum nullo 1.

permistam errore intelligentiam, eamque ita constantem Christi spiritu directore, in vera religione persistere, vt error in fide apud illam locum habere nequeat: *Est enim Ecclesia firmamentum & columna veritatis*. quæ veritatem fidei sustentet, eique testimonium & authoritatem præbeat: In hac sola igitur est syncera verbi Dei prædicatio, integra Scripturarum explicatio, diuinæque voluntatis interpretatio.

1. Tim. 3. 15.

2. Secundum ex primo sequitur, in sola Ecclesia esse verum Dei cultum, synceram Sacramentorum administrationem, sanctas Deoque acceptas ceremonias.

3. Tertium est Christum sacratissimæ passionis laborumque suorum merita in sola Ecclesia reposuisse, quorum illi tantùm participes efficerentur, qui se ad Ecclesiæ coniunctionem reciperent. In hac ergo Ecclesia sola accipitur peccatorum remissio, gratia Dei, iustificatio, sanctificatio: Soli Ecclesiæ filij bonis operibus merentur apud Deum vel augmentum iustitiæ, vel æternam vitam: Soli sunt grati & accepti Deo, amici & filij Dei; soli communionem habent cum Sanctis, Sanctorumque meritis; soli ornati sunt veris, seu Christianis virtutibus; soli promissionem habent, certamque expectationem vitæ æternæ. Magna vtique priuilegia & verissima: nam extra Ecclesiam nihil horum reperitur, nulla sanctitas, nulla virtus Christiana, nulla operatio Deo

tio Deo accepta, nullum meritum, nulla spes salutis; hæc quidem fortasis non ægrè admodum nobis assentientur hæretici.

Tota porrò difficultas in eo est, penes quos inueniatur Ecclesia ista, dum singuli ad suas congregationes eam pertrahunt. Cuius litis euidenter dirimendæ gratia Christus saluator pro sua in humanum genus charitate, aliqua certa indicia, & signa, notasque reliquit, quib⁹ hæc sua Republ. ab alijs cœtibus dignosceretur, ne, si quis ex infidelibus ad Ecclesiam se conferre velit, dubius hæreat, quam ex tanta congregationum diuersitate potissimum amplecti debeat, quarum quælibet se nomine Ecclesiæ tot priuilegijs instructæ iactat. Rerum autem, quę inquiruntur notę eiusmodi esse debent, quæ & clariores sint rebus ipsis, & à communi consuetudine non alienæ. *Vbi sit Ecclesia.*

Quocirca qui ex eo penes se esse verã Christi Ecclesiam contendunt, quod se verbum Dei syncerè interpretari, & Sacramenta purè administrare affirment, nõ satis id apertè demõstrant, cùm istud non minus in dubium vocetur, & omnibus sit occultum, atque illud, quod quærebatur: cùm enim, vt diximus, hæc sint Ecclesiæ priuilegia, & proprietates, quicunq; ad suum cœtũ Ecclesiæ nomen transfert, is vtique proprietates eius omnes se habere dicet; & qui de numero Gentilium Ecclesiam veram quæret, nihil certi inueniet, quando omnes audiet de syncera verbi diuini prædicatione, & *Ioannes Eusratus in Prat. 10 cap. 26.*

Sacramentorum administratione gloriati, alioſq; à ſe mendacij arguere. Nam Lutherani hæc penes ſe eſſe docent, non apud Caluiniſtas, Anabaptiſtas, Svvenckfeldianos: contra verò Caluiniſtæ apud ſe ſolos, non apud alios ea reperiri volunt, atque ita de cæteris.

Vnde manifeſtum eſt rectius ab illis fieri, atque, vt Philoſophi loquuntur, rem à priori oſtendi, qui ex hoc ſe docent prædicta habere, verum, inquam, Euangelij & ſcripturæ ſenſum, ſynceram administrationem Sacramentorum, &c. quod veram penes ſe habent Eccleſiam: Veram autem Eccleſiam eſſe clarioribus notis perſpicuum faciunt: quas ne ipſi quidem Aduerſarij poſſint inficiari.

Similitudo.

Notæ porrò iſtæ ſunt duplices: vna ab ipſa origine ſumitur, aliæ ex proprietatibus externis, re ipſa quæ quæritur, notioribus. Similitudine fiet res manifeſtior: Quæritur Colonia Agrippina, eadem illa quam condidit olim Agrippa, multis prærogatiuis atque immunitatibus donata, ciuitas imperij, Reſpublica libera, &c. Sint quidam antiquæ illius ciuitatis oſores, qui ab annis 100. vel 50. alijs oppidulis excitatis & nomen, & ius nobilis illius veteris Coloniæ, ab illa transferre audeant; & ſi quis hoſpes alium de recens aduentans de Colonia quærat, ſuas illi nouas à ſe nuper fabricatas ſedes monſtrent. Hoſpes ſanè iſte his duobus ſignis veritate docebitur: alterum eſt, vt conſultis annalibus

oppida-

oppidorum omnium inquirat originem: inueniet quippe in veteri Colonia continuatam ab ipso Agrippa historiam, cæterorum verò non poterit initium inde ab ipso Agrippa deductum ostendere; sed tantum à quinquaginta aut centum annis iacta esse fundamenta reperiet, atque adeò ne principium quidem vllius ædificij ante id tempus extitisse constabit. Alterum, quo in notitiam veræ Coloniæ veniet, est in externis signis, quæ sensibus ipsis sunt notissima, quibus ab historicis, indubitatisque authoribus, multis retrò sæculis descripta fuit Colonia, à situ loci ad Rheni ripam, in planitie, infra Bonnense oppidum, &c. ab ædificijs & templis, à consuetudinibus, &c. quæ notæ si non in recentibus illis oppidulis extent, sed in antiqua Agrippina, non ignorabit hospes, quò tandem se conferre debeat, quicquid reclament alij: quos vt impudentes bonorum aduersarios, & humani generis osores detestans, omni supplicio dignos pronunciare non verebitur.

Pari ratione in Ecclesia inuenienda vtetur vir prudens, qui vel recens ex gentibus Iudæisue, ad veræ Catholicæque religionis lucem conuertitur, vel (vt fit) in hac tanta Sectarum diuersitate dubio hæret, ad quam se debeat partem adiungere. Is enim nō ex doctrina Ecclesiā sed ex Ecclesia doctrinā metietur; neque sibi authoritatem vendicabit de doctrina iudicandi, sed certis notis deprehēsa Ecclesia,

ipsius

ipsius iudicio per omnia stabit, quam falli nō posse, neq; fallere ex diuinis Scripturis didicit. Primùm igitur ad suam originem singulos eos cœtus deducet, qui se pro vera Christi Ecclesia offerunt. Inueniet Lutheranæ Ecclesiæ à Luthero datum initium anno 1517. Caluinianæ à Caluino etiam posteriùs: Anabaptistis à Balthasero Pacimontano, sub annum Domini 1522. Svvenckfeldianæ à Svvenckfeldio, multo recentius; Domuī amoris ab Henrico Nicolai nauta, fortè sub annum 1550. Siqúe diligenter inuestiget, clarè deprehendet non statim primis illis annis totam fidem, vt nunc ab illis traditur, fuisse perfectam, sed paulatim cusam atq; recusam, vix tandem triginta annis integram, vti nunc colitur, fuisse seruatam. Sanè ex locis communibus Philippi & Augustana confessione, quæ singulis penè editionibus aliquid noui pro fidei doctrina vulgârunt, hoc mutabile incrementum discet.

Si porrò etiam attentius consideret, & historias veteres euoluat, manifestè cognoscet ante Lutherum, Caluinum, similesq; nouos doctores, ne vnum quidem fuisse toto terrarum orbe hominem, seu Catholicum, seu hæreticum, qui per omnia de rebus fidei ita vel docuerit, vel senserit, sicut illorum, sectatores hodie profitentur se credere. Et quod ad hæreticos quidem attinet, non est diffitendum, à nouis sectarijs veteres semper aliquos errores aliquid à veteribus habent. cum

Nouæ hæreses aliquid à veteribus habent.

cum habet, qui ab Aetio, & Eunomio doctrinam suam de sola fide mutuati sunt; à Manichæis de matrimonio; à Nouatianis de pœnitentia; à Vigilantio de Sanctorum reliquijs; à Iouiniano, & Heluidio de cœlibatu; à Berengario de Eucharistia; à Leone Isaurico, & Copronymo de sacris imaginibus, ab Husitis de necessitate vtriusque speciei: à cæteris deinde ferè omnibus aliud aliquid in fabricam suam prauorum dogmatum transtulerunt. Nam & Caluinum Arianizasse, & Bucerum cum Sebastiano Munstero Iudaizasse, non obscura fama est.

Cæterùm vt in aliquibus conueniant, in multis tamen dissentiunt, quia vel aliquos errores veterum hæreticorum detestantur, vel nouos adijciunt hactenus inauditos: Iustitiam imputari non inhærere: speciali fide, qua se quisq; credit iustum esse, peccata remitti: Peccatum originale esse substantiam, non accidens, aut priuationem: duo tantùm esse Sacramenta Ecclesiæ: Sacramentum Baptismi non dare gratiam; sed indicium esse, aut signum collatæ gratiæ: Christum in cœna præsentem nulla veneratione colendum esse, vel adorandum, nemini prorsus antecedentium hæretico rum, in mentem aliquando venit. Missæ sacrificiũ, quod tantopere aduersantur huius sęculi omnes sectarij, veteribus omnibus fuit sacrosanctum: eius namque explosio iuxta Danielis prophetiam, proximis Antichristi temporibus

Nullus vetorum hæreticorum cum nouis conuenit.

Daniel. 12. 11.

bus debebatur. His igitur manifestò efficitur, quod nemini vnquam eorum hæreticorum, qui ante vixerunt, quàm à veritate Catholica Lutherus desciuisset, cum vllo nostri temporis hæreticorum, in his qua fidei sunt per omnia conuenerit.

Nullus veterum Catholicorum cum Hæreticis consentit.

Sanctorum Patrum eadem est ratio, qui & vnanimi consensu veteres hæreses à Neotericis reuocatas condemnauerunt, & disertis verbis se illa credidisse sibique commissos populos docuisse scripserunt, quæ Sectarij nostri Ecclesiæ ROMANAE crimini & errori ducunt. Beatus Hieronymus grauissimè insectatur Vigilantium, quod sanctarum reliquiarum venerationem impugnarit. *a* B. Augustinus inter hæreses Eunomij recenset doctrinam de sola fide, quam tot annorum spatio decurso, rursus ab inferis suscitauit Lutherus. *b* B. Ambrosius eundem errorem de potestate clauium, & peccatorum remissione reprehendit in Nouato, quem docent sectatores Lutheri, &c. Fidem Romanæ Ecclesiæ de sanctissimo Missæ sacrificio ad vnum omnes maiores tenuerunt: Sanctos cum CHRISTO beato æuo fruentes omnes inuocauerunt: Romanum Pontificem magna veneratione & obedientia pro Christi vicario & B. Petri successore omnes coluerunt: operib. bonis merita, & æternæ vitæ mercedem omnes attribuerunt: Satisfactiones pro commissis peccatis omnes imposuerunt, & multa id genus se fecisse & cre-

a l. de hære. cap. 54.

b Libris de pœnitentia.

retico-

didisse docuerunt, quæ ex diametro cum hæreticorum nostri sæculi doctrinis pugnant. Nemo igitur ex his omnibus cum quoquam de nostris Sectarijs per omnia consentit, constatque manifestè neminem toto orbe mortalium ante Martinum Lutherum, hoc est, ante annum Domini CHRISTI 1517. extitisse, qui eam fidem teneret, quam Lutheri, Caluini, aut aliorum hæresiarcharum discipuli profitentur.

Qui hæc animo suo versat vir prudens, suæque salutis amans, non solùm his nouis hominibus salutem suam non committet, sed & vehementer admirabitur, atque ex animo deplorabit, inueniri aliquos, qui tam parui ducant animas suas, vt in certam earum damnationem non ita pridem, excogitatam fidem, & coactum nouorum hominum cætum, pro vera fide & Ecclesia venerentur, sequanturque.

Apostoli ea hæreticis non senserunt.

Atqui occurrunt Aduersarij, dicuntque Apostolos CHRISTI, ad mentem Lutheri docuisse, & passim toto terrarum orbe rerum credendarum sensum atq; intelligentiam exposuisse. Quos si doctrinæ suæ fauere demonstrent, nõ alijs argumentis op⁹ erit ipsis, vt dogmatum suorum integritatẽ, veritatemq; persuadeant. Sed ista pauca attendat vir prudens: primùm quidẽ cùm Sectarij omnes illi etiam, qui pugnantia tuentur dogmata, à se Apostolos stare quisque velint, Lutherani, Caluinistæ, Syvenckfeldiani, Anabaptistæq; quis me docebit

Quatuor attendenda.

Apostolos

Apostolos Lutheri potius, quàm Caluini fidem tradidisse? Deinde verò mirum omnino videtur, cùm tantos in instituendo orbe labores insumpserint Apostoli Christi, tot annis sudauerint, tot miraculis prædicationem suam confirmauerint, tot loca peragrauerint, eos ne vnum quidem hominem posteritati reliquisse, qui synceram doctrinam Apostolicam per omnia integram, incorruptamque tenuerit, posterisq; tradiderit. Atque id quidem admirandum amplius, quod statim à primis illis Apostolorum temporibus, non varij diuersis locis, sed ijdem prorsus per vniuersum orbem errores, ijque grauissimi irrepserint, nemine aduertente Episcoporum, quos sibi successores Apostoli constituerant. Certum est (vt testatur Beatus Irenæus) sacrificium Missæ in omni loco Deo oblatum statim à morte Apostolorum Christi fuisse: constat vbique inuocatos Sanctos, & satisfactiones pœnitentibus indictas, quæ dum non possunt inficiari hæretici, fatentur prima post Apostolos centuria introductos errores, quos Caluinus appellat hallucinationes Patrum. Cæterùm vir prudens ac cordatus statuet potius homines illos, qui 1500. annis post Apostolorum ætatem secuti sunt grauiter hallucinari, & falli fallereq;, quã sanctissimos illos maiores nostros, qui & ex Apostolorum docentium ore veram, puramque Christianę religionis cognitionem acceperũt, & ipsorum mentem probè assecuti sunt: præ-

Lib. 3. c. 3.

sertim

sertim cùm non pauci illorum fidem ab Apostolis perceptam sanguine suo consignârint. Intelliget certè vir prudens, non esse consentaneum diuinæ bonitati, vt totis 1500. annis vera fides doctissimos quosque pientissimosque viros, Apostolis vicinos, latuisse; & demum post tot sæcula innotuisse Luthero, Caluinio, ceterisque neotericis, asseratur. Si namque statim post Apostolos corrupta est fides, perierit vtique, cùm a fides sit vna, quæ sibi nec quicquam addi, neque demi patitur. Si fides perijt, interijt simul Ecclesia, quæ in vera fide innititur. Sublata fide atque Ecclesia, necessariò efficitur, æternis ignibus adiudicatos, quotquot alienam à Luthero fidem professi sunt, quia b *sine fide impossibile est placere Deo.*

a *Ephes. 4.5.*

b *Heb. 12 6.*

Ista si sepositis affectibus vir prudens expendat, non credet se nouis Doctoribus, qui licet fidem suam atque Ecclesiam ad Apostolos ipsos referre laborent, in primis tamen hæresiarchis suis subsistere coguntur, & totis 1500. annis successionem interruptam fateri, cùm ne vnũ quidem post Apostolos hominem afferre possint, qui per omnia cũ ipsis in doctrina consenserit. Si norint, edãt nomen, fidei que ipsius testimonia proferant.

Neq; mouebitur vir prudens, si dicant occultos aliquos extitisse omni tempore, qui Lutheranam fidem à se conseruatam ad posteros transmiserunt. Primò namque Lutherus ipse fatetur a nullo homine se institutum, sed à so-

An ante Lutherum occulti fuerint Lutherani.

lo Christo; agnoscitque se primum sui dogmatis inuentorẽ. Deinde argumento vel teste nullo occultos hos Lutheranos docere possunt; vt manifestè intelligas effugium esse eorum, qui se à veritate constringi sentiunt. Si occulti fuerunt, vnde norunt fuisse? Ego pari ratione, si nouam comminisci hæresim velim à cæteris omnibus alienam, & diuersam, ad Apostolos per occultos quosdam deducam: Sed ita occultos, quos neq; homo vllus vnquã nouit, neq; Deus. Et hæc de origine sectarum.

Antiquitas Ecclesiæ Catholicæ.

Conuertat porrò nunc se homo prudens, suæ salutis amans ad Ecclesiam Romanã, eius intueatur origenem, consulat annales, Græcasque & Latinas historias, inspiciat veterum monumenta, templa, mõnasteria, sacram supellectilem, ritus & ceremonias, & quicquid demùm aliquid antiquitatis refert: inueniet ante annos 100. 200. 300. & vsq; ad 1500. eandẽ doctrinam, eandem fidem, eandem Ecclesiam quouis tempore per omnes ętatum gradus extitisse. Siue.n. ascẽdat ad Apostolos, cognoscet eandẽ fidem in Catholicis hac nostra tempestate viuentibus, atq; in eorum parentibus ante annos 100. & in istorũ auis, abauis, cæterisq; maioribus, re nulla prorsus variata: siue descendat, manifestè videbit perpetuam ab Apostolis ad nos vsq;, nullo vnquam tempore interruptã successionem. Videbit ex Christi Domini mandato, primùm quidem prædicatum esse Euangelium Hierosolymis, tum in omni

Iudæa

Iudæa & Samaria, demùm ad vltimos terræ fines: Vt namque Orientales, & Meridionales prętermittamus, certũ est Germaniam vtramque & Galliam, nunquam aliam didicisse fidem, quàm quæ hodie à Catholicis seruatur. B. Petrus Germanis misit Crescentem, qui Moguntinis; Eucharium & Valerium, qui Treueris; Maternum, qui Tongris, & Colonien-sibus Euangelium prædicârunt. Ad Gallorum conuersionem ablegauit Sixtum, Sinicium, Amantium, Mennium, qui Rhemensem Ecclesiam fundârunt: Sauinianum & Potentianum, qui Senonensem; Altinum, qui Aurelianẽsem; Aduentinum, qui Carnotensem; Austremonium, qui Aruernensem; Martialem, qui Burdegalensem, pluresque alias. D. Petri successor Clemens in Gallias direxit Dionysium Areopagitam, cum Rustico & Eleutherio, qui Parisienses fidem docuit, & Virdunensibus Sanctinum Episcopum dedit: Exuperium, qui Baiocensibus primus præfuit: Taurinum, qui Ebroinensibus: Eutropium, qui Xanctonensibus: S. Photinum, qui Lugdunensibus. Hi porrò eandem quam à B. Petro atque Clemente acceperant fidem & religionem, ad posteros transmiserunt: populos nõ alia, quàm Catholica fide imbuerunt: & nouis Ecclesijs Episcopos præfecerunt: qua in re non paruam operam præstitit in Gallia, temporibus Clodouei B. Remigius Remẽsis Episcopus: & in Germania, B. Bonifacius Moguntinus primus Archi-

Act. 1. 8. & Hebr. 2. 6.

Propagatio

Successio.

episcopus, qui auctoritate Stephani Romani Pontificis, auxilioq; Caroli Magni Imperatoris, multas Ecclesias erexit, & Episcopales Cathedras instituit.

Nec cessârunt interea Romani Pontifices, qui sibi vniuersalis Ecclesiæ curam non ignorabant esse commissam, subinde nouos Doctores & Pastores emittere, Medardum, Peregrinum, Agricium, Amandum, VVilebrordum, Rumoldum, qui Gallicas & Belgicas aliquot prouincias ad Christi fidē adduxerunt. In Angliam primùm § S. Lupus & S. Germanus, tem-
§ Fuit tẽpore Lucij Regis. poribus Attilæ; tum à B. Gregorio Magno, Sanctus Augustinus cum socijs missi fuerunt.

Hos autem omnes non aliam in sibi designatas prouincias fidem atque doctrinam inuexisse ab ea, quam posteri coluerunt, primū quidem ex eo manifestum euadit, quòd à Romanis Pontificibus mandatum acceperint eandem prædicandi fidem, quam Romę didicerant: Romæ autem nunquam fuisse variatam fidem & religionem Christianam, Scriptores omnes fatentur. Deinde verò, quod ferè per monachos sit ad fidem conuersa Germania & Anglia, & id quidem maiori ex parte temporibus Caroli Magni, qui insigne Monasterium
Fuldense Monasteriū. Fuldense, doctorum hominum seminarium, in Buchonia maximis sumptibus erexit, atque fundauit: in quo nonnunquam præter Diaconos & inferiores Clericos, 400. vixerunt Sacerdotes monachi, ad Germanorum cóuer-

sionem

sionem expediti. Denique, quod eadem vbique religio eædem ceremoniæ, diuini cultus, eademque doctrina à posteris omnibus retineatur.

Iccircò vir prudens, qui fidem nullam, nullamq; Ecclesiam à prima origine in Germania & Gallijs agnitã fuisse aduertet, præter Catholicã, cui præpositus est Romanus Antistes, intelliget hanc esse verissimã Ecclesiã à Christo euocatam, & constitutam; non recentes illas, quæ tametsi nihil præter Apostolicam fidem atque doctrinam, & verbum Dei in ore habeant, quærentes tamen originẽ suã, in medio hærent, neque ad Apostolos deueniunt.

Hac nota semper vsi fuerunt maiores nostri aduersus hæreticos, & in Constantinopolitano symbolo pulchrè eam indicauerũt, quãdo Ecclesiam vocauerunt *Apostolicam*, hoc est, quæ sine interruptione originẽ suã ad Apostolos ducit. Itaq; sicut is de nobilitate nõ potest gloriari, qui licet iactet se à maioribus nobilibus prosapiã ducere, à patre tamẽ ignobili ex vili scorto est susceptus: Ita neq; hæretici veræ Ecclesiæ laudẽ, quę tot sæculis manifesta & incorrupta perseuerauit, sibi iure vẽdicare possũt. Atq; ista de priori genere signi sufficiant. APOSTOLICA.

Alia indicia sumuntur ex proprietatibus sensu notioribus, quæ multò antequam dubitatio à quoquam moueretur, certissimis scriptis fuerũt indicatæ; eiusmodi in symbolo Cõstantinopolitano, aut potius symbolo Apostolico Note Eccle-

tria exprimuntur, *Vna, Sancta, Catholica.*

1. Nota, VNA.

Ecclesiæ vnitas ab eadem doctrina fidei accipitur: cùm enim se habeat Ecclesia ad modũ scholæ (sumus quippe & vocamur in Scripturis discipuli) cernitur Ecclesiarum diuersitas, à varietate doctrinæ. Sicut enim quondam Academici, Peripatetici, Stoici, Cynici, ex opinionibus distinguebantur, ita qui discrepãtia de rebus fidei sentiunt, ad eandem non pertinent scholam, seu Ecclesiam. Vir prudens itaque, qui toties audiuit in sacris literis vnitatem fidei commendari, (a *Vna fides, vnum Baptisma* b *Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, &c.*) quos viderit in negotijs religionis acriter contendere, facilè intelliget non pertinere ad eandem Ecclesiam.

a *Ephes. 4. l. 5.*

b *1. Cor. 1. 10.*

Discipuli Lutheri qui Augustanæ confessionis doctrinam amplectuntur, de rebus grauissimis inter se vehementer pugnant, & dissentiunt: de peccato Originali, de præsentia corporis Christi in Eucharistia, deque alijs innumeris: nõ igitur Lutheranorum cœtus, vel Protestantium, aut Confessionem Augustanam profitentium est vera Ecclesia, quia non vna. Par ratio est Caluinistarum, qui in Caluinopapistas & Puritanos diuisi sunt; & Anabaptistarum, qui in plurimas sunt sectas dissecti, atque ita de reliquis.

Nulla hæresis est vna.

c *l. 1. cap. 3. de cõtra Iouinianũ, & ad Damasum.*

Sumitur præterea Ecclesiæ vnitas (vt est apud B. c Cyprianum & d D. Hieronymũ) ab vno capite visibili, sicut corpus animale non est nisi

nisi sub vno capite: atqui licet ab vno Lutheroceu primo fonte, hodiernæ hæreses omnes riginem ducant, singulæ tamen à diuersis in varios riuulos deductæ, omnem superiorem excluserunt: nemo sanè est, qui, ne dicam Lutheranis omnib. vel omnibus Caluinistis, vel omnibus Anabaptistis, &c. præsit, sed quem ex iguæ quarumuis sectarum familiæ pro capite agnoscant.

At verò Catholici omnes vbiuis terrarum, sub vno capite Romano Pontifice, cui omnes parent, & Principes & Reges, vt Christi Vicario, eandem fidem constanter retinent, idem dicunt, idem sentiunt, idem credunt per omnia, & ne in minimo quidē religionis negotio discrepant. est igitur apud ipsos verissima Ecclesia Christi, *a* vna illa columba, perfecta, & electa genitrici suæ, de qua in Canticis. Sint multæ *b* vulpeculæ, *c* multi lupi rapaces, multi accipitres, *d* multi singulares feri, hoc est, crudeles apri sylueſtres, multæ deniq; cōcubinæ: vna est certè regina dilecta, amica, speciosa.

a *Can.6.8.*
b *Cant.2.15.*
c *Mat.7.16.*
d *Psal.79.* 14.

2.

Secunda nota est esse Catholicam, vniuersalem, vbique diffusam. Hanc notam sicut multò ante Christum prædixerūt Prophetæ, (*e in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: f Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. g Omnes scient me à maiore, vsque ad minorem: h Erunt omnes docibiles Dei:*) ita eam agnouit B. Apostolus Paulus suo tempore impletam: *i Audistis,* inquit,

Nota CATHOLICA.
e *Psal.18.5.*
f *Psal.71.8.*
g *Ier 31.34.*
h *Isaiæ 54.* 13. *& Ioan.* 6.45.
i *Col.1.5.*

inquit, *in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos: sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit*: & iterum: *a Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum.* Si quis igitur certo indicio deprehendere velit Ecclesiam, mente percurrat orbem terrarum. Lutheranos inueniet in sola Germania, Caluinistas fere in sola Gallia & Anglia, Anabaptistas in variis obscuris angulis Hollandiæ & Morauiæ: sicut Donatistæ & Nouatiani ferè in Africa latuerunt, & Iconoclastæ in Græcia. Extra Europam nulla sectarum Lutheri, Caluini, &c. notitia ab orbe condito vnquam peruenit. Fieri igitur non potest, vt Nouatores nostri seculi ad veram Ecclesiam pertineant.

a Rom. 10. 18.

At verò Romana Ecclesia per orbem vniuersum fusa, hoc nomine (*Catholicæ*) perpetuò sola gloriatur. Et quidé primis illis maiorum temporibus, priusquam in Turcarum potestatem Patriarchales Ecclesiæ venissent, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, magna erat omnium in vna fide consensio, sub vno capite Romano Pontifice (sicut in sequenti capite demonstrabitur) Neque alia fides vsquam, quàm Romana prædicabatur. Hinc illæ voces in generalibus Synodis post lectas Romanorum Pontificum Epistolas: *Hæc est Patrum fides, hæc Apostolorum fides, ita omnes credimus: anathema, qui ita non credit.*

D. August. ca. 4. cont epi. Fund.

Chalcedo. act. 2.

Postquam verò, seu ante Turcarum aduentum, seu post occupatam Græciam, ab Ecclesia

Roma-

Romana ſeſe Orientales Epiſcopi ſegregâ- *Eccleſia eſt*
runt, erroremq́ue de Spiritu ſancto induxerũt: *Catholica e-*
non amiſit tamen Eccleſia nomen Catholicæ, *tiam poſt*
tum quod in regionibus illis non deſint Ca- *ſchiſma Gr-*
tholici, ſicut neque per Germaniam, Galliam, *orum.*
Angliam: tum quod eadem prorſus conſtanter perſeueret Eccleſia, eadem fide, eadem religione, licèt contractior: Arbor eadem eſt, ſi truncus maneat, tametſi rami alij excidantur, alij ſuccreſcant. In Apocalypſi prædixit Apoſtolus nouiſſimis temporibus a cœlum receſſurum ad inſtar libri inuoluti, hoc eſt Eccleſiam, quę prius latè patebat, in anguſtias cõtrahendam. [a] *Apocal. 6. 14.*

Non enim ex eo dicitur Eccleſia Catholica, quòd eodem tempore totius orbis ditiones occupet; hoc quippe ne in hunc vſque diem fortaſsis contigit, quando Antarcticis hominibus, & qui extremas remotiſſimaſq́ue Americæ oras incolunt, fides Chriſti nunquam innotuit. Sed his duabus potiſſimũ de cauſis, tum ꝙ nulli nationi, vt olim lex Moyſi Iudæis, ſit alligata, nulloq; loco concluſa, ſicut Donatiſtarum & Lutheranorum errores, quorum hi extra Germaniam nuſquam celebrantur, nec illi extra Africam reperiebãtur: tum quod iuxta veterum Prophetarum vaticinia aliquando per ſingula orbis loca ſeminandum ſit Euangelium, plantanda fides, atque extendenda Eccleſia, quod nulli alteri cœtui contingere potuit. Ariana quidem hæreſis Romanum orbem ferè peruagabatur, ſed prius *Catholicæ duabus de cauſis.* 1. 2.

extincta est, quàm latius serperet. Turcarum perfidia latissimè patet, sed Occidentem Dei gratia nunquam attigit. Caluinistę ante annos non ita multos tentabant ad Indos & Peruanos errores suos inuehere, sed auxilio Christi, & Catholicorũ industria exclusi fuerunt. Catholica verò Ecclesia primùm quidẽ ab ipsis Apostolis per oẽs ferè notas regiones est propagata, dum B. Petrus per se, suosq; discipulos Italis, Germanis, & Gallis prædicauit: Iacobus Hispanis: Andreas Thracibus, Scytis Europęis: Philippus Scythis Asiaticis: Matthæus Aethiopibus: Simõ, & Marcus Euangelista Aegyptijs, Lybijs, & vicinis Afris: Bartholomęus Armenis & Indis citerioribꝰ: Thomas Indis vlterioribus, Parthis, Medis, Persis, Brachmanis, Hircanis & Bactris, atq; ita de cęteris. Nam & Iosephum ab Arimathia volũt Apostolorum ætate in Anglia fuisse, & Simonem Leprosum in Gallijs Cenomanẽsem Ecclesiam rexisse. De Gręcia, Syria, minori Asia satis loquuntur Scripturæ, quod ab Apostolis, præsertim Petro, Paulo, Ioanne fidem didicerint. Itaque statim primis illis initijs dicta est Ecclesia Catholica, quod per cognitum orbem fides vbiq; seminaretur, passimque omnibus hominibus innotesceret veritas Euangelij, atq; ad Ecclesiam ipsam aliqui omnibus locis aggregaretur: non autem quod totæ ditiones Christum susciperent. Nam successoribus Apostolorum hoc relinquendum erat, qui inchoata ab Apostolis perficerent,

Temporibus Apostolorum fuit Catholica.

ficerent, quod in Occidente ferè per Romanos Pontifices, etiam primis illis temporibus præstitum legimus, quorum labore ad fidem venit Africa, Saxonia, & Britannica atque Scotica regna, & his postremis sæculis, in regiones Orientales, Occidentales, & meridionales motissimas atque vastissimas, fides importata est. In Iapanias insulas, Sinarum regionem, Brasiliam, & Peruana regna, paulatimq; ad Antarcticum polum deducitur fides illa eadem, quam à D. Petro acceptam, incorruptè constanterque retinet Ecclesia Romana, verè Catholica. Exeant à nobis Germani & Angli, Græci quoque, Afri, & Syri: satis nobis est, ad Catholici nomen tuendum, quod nostri fuerint, à nobisque exierint fidemque eandem nobiscum aliquando tenuerint, adeoque quod omnibus illis locis Catholici non desint, etiam vbi maximè vel hæreses nostræ ætatis vigent, vel schismata Græcorum: hoc enim sufficiebat Apostolorum ætate, quãdo regionibus omnibus Idolorum cultui deditis, pauci Christiani in omnibus locis Ecclesiam efficiebant Catholicam.

D. Gregor. lib. 7. epist. 32. ad Dominicum Carthaginensem de Africa.

Cæterum, quæ Dei est bonitas, hisce nostris temporibus, quando vel maximè impetitur ab Europæis hæreticis Romana fides, Orientalium oculi paulatim ad veritatem aperiuntur. Nã & Abdissu Armenorum Primas Tridentinæ Synodo subscripsit, Romamq; Archiepiscopum ad Pontificẽ misit: & Antiochenus

Patriar-

Patriarcha ipsemet Romam venit, obedientiam suo suorumq; nomine Pontifici delaturus: & Constantinopolitanus Patriarcha, (cuius gratiam ambiebant Lutherani,) duos ex fratre nepotes Romæ apud Pontificem habet, qui Romanam fidem edocti, paulatim dextreque Orthodoxam Religionem in Græcia restituant. Pontifex verò pro sua in omnes cura, Syrorum vnum, Græcorum alterum Collegium Romæ erexit, multosque ditionum illarum præclaros adolescentes magnis impensis in Romana religione instituit, atque in patriam plerosque iam institutos remisit. Effectum est igitur nomen Catholici in schismaticam nullam, sed in solam illam Ecclesiam competere, quæ per vniuersum orbem terrarum disseminata vni paret Romano Pontifici.

3. Nota. SANCTA.

Tertia nota consistit in sanctitate, quæ non ita accipienda venit, quasi interna hominis pietas, & congregationis sanctitas, externis oculis cerni ab aliquo possit: sed quod manifestis indicijs impietas & pietas deprehẽdi possint. Et quidem in agnoscenda impietate nulla est difficultas, cùm facta ipsamet eam de homine testentur: homicidia committere, latrocinia exercere, alienum thorum violare, tam manifesta sunt flagitia & scelera, vt is, qui talia agit, non solùm pronuncietur impius, sed grauibus publica sententia adiudicetur supplicijs. In sanctitate autem hominis agnoscẽda magis laboradum est, quod externæ actiones,

nes, quæ ab intentione rationem virtutis aut vitij sortiuntur, non satis certò de interna sanctitate testentur: itaq; nec multo ieiunio, nec eleëmosynis, neque productis orationibus suis fidem potuerunt Pharisæi facere Christo suæ iustitiæ. Opus est alio iudicio firmiori, diuino scilicet & supernaturali, qualis est reuelatio: quomodo de sanctissimæ virginis MARIAE sanctitate per Gabrielis Archangeli salutationem edocti sumus: *Aue gratia plena, DOMINVS tecum, benedicta tu in mulieribus*: qualia item sunt miracula in testimonium sanctitatis alicuius, diuina virtute edita.

Cœtus igitur illi, qui nihil sanctitatis habuerunt vnquam vel pietatis, sed contrà potius grauissima in Deum atque homines flagitia, & id quidem non ex humana infirmitate, sed ex professo atque ex instituto suæ doctrinæ & fidei, Ecclesia sancta dici nequeunt. Vbi verò manifestis iudicijs deprehenditur sanctitas fuisse, & manifestè colligi non potest ab omnibus abesse, quin potius verisimilibus rationibus iudicatur in multis inesse, hæc erit sancta Ecclesia. Tametsi namque eius plurima membra sint emortua & impia, non immittit tamen sancti nomen, quamdiu vel vnus pietatem ex animo colens, retinet sanctitatem, quæ tempore passionis Dominicæ in sola virgine sacratissima viguit: arbor namque viuere dicitur, quandiu aliquid habet vitæ, licèt multi sint aridi rami.

Hæres

Duo genera peccatorum in omnibus hæreticis.

Hæretici omnes ex instituto suæ doctrinæ duo habent grauissima peccata, blasphemiam in Deum, impietatemque in parentes, quantumcumque præ se ferant diuinum cultum, & parentum proximorumque amorem. Impietatem in eo loculenter est videre, quod maiores suos omnes, & quotquot hactenus ab Apostolorum temporibus addicti Catholicæ probitati vixerunt, grauissimi criminis accusent & damnent. Dicunt, eos non rectam fidem tenuisse, malè credidisse, infideles fuisse, Deo exosos & inuisos, ideoque iure æternis ignibus mancipatos: & hæc quidem Hæretici omnes. Quia porrò nulla est Hæresis, quæ non peculiare aliquid in Ecclesiâ Catholica detestetur singuli etiam Hæretici peculiare crimen maioribus impingunt. Ariani filium Dei in numerum ceaturarum referebant: Macedoniani verò Spiritum sanctum: Donatistæ affirmabant non esse Ecclesiam, quæ cum bonis etiam malos cõtineret: Hussitę alterius speciei communione dicunt Christi institutioninem violari: Lutherani Romanum Pontificem, verissimum Antichristum esse: Caluinistæ in Eucharistia merum panem & vinum dari: Anabaptistæ infantum Baptismum damnant. His itaque hominibus maiores omnes, totusque orbis grauissimis criminibus obligatus fuit: Arianis, & Macedonianis coluerũt creaturas potius quàm creatorem, quod inter maxima Gentilium mala refert Apostolus: Donatistis

Impietas in parentes.

Rom. 1. 26.

non

non fuerunt, in Ecclesia: Hussitis violârunt mandatum Dei, adeoque vt sacrilegi, peruerterunt Sacramenti institutionem: Lutheranis obtemperârunt Antichristo Christi aduersario neglecto Christo: Caluinistis pro Deo coluerunt & adorauerũt bolum exiguum panis, pauculasq; guttulas vini; qua Idololatria nulla fuit apud gentes sceleratior: Anabaptistis neq; baptizati fuerunt, neque Christiani: hæc quàm sint fœda, quamque enormia mala, nemo non intelligit. Si quis parenti vel auo nomẽ Turcæ, Iudæi, Idololatriæ, blasphemi, mãcipij Diaboli impingat, graue vtique supplicium meretur, iuxta legem, *qui maledixerit Patri vel matri, morte moriatur*, etiamsi perturbato verba eiusmodi excidant: qui verò illa deliberatè de maioribus omnib. suis, de Prelatis, de Principibus, deq; totius orbis Christianis & dicũt, & sentiunt, grauiori vtiq; scelere se astringũt. *Exod. 21. 16. & Leuit. 20. 9.*

Et quidem hæc eadem verba à multis non vsurpari, vt nimis impia, facilè crediderim: sed nemo ignorat rem aliquam efferri duobus modis, apertè, quando desertis verbis exprimitur: & virtute, quando alijs verbis, quæ idẽ valeãt; vel definitione, descriptione, proprietatibus, periphrasi; vel necessaria consecutione.

Qui hominem dicit aliena sustulisse, furem dicit, dignumq; de quo supplicium sumatur, si modò leges de furum supplicijs non improbet: ita qui verbis, scriptis, aut factis Papistarũ

(quos

(quos vocant) religionem & fidem detestatur, ij certè Papistas, seu Catholicos (de quorum numero fuere parentes) non rectè credidisse, seu, quòd idem valet, nullam fidem habuisse, atque infideles fuisse, Deoque inuisos, & æternis supplicijs dignos dicunt. Cùm enim sit vnica fides (vt inquit Apostolus) qui illam non habet, prorsus nullam habet: & quia (sicut est apud eundem) *sine fide impossibile est placere Deo*: non placens Deo, aduersatur Deo; *Qui*, inquit, *non est mecum, contra me est*; Aduersarius autem Dei, & impius est, & reus gehennæ: necessariò efficitur Papistas omnes, qui Hæreticorum fidem non tenuerunt, Hæreticorum testimonio & verbis, mereri gehennam, ad eamque descendisse quotquot hactenus sine ista eorũ fide, ex hac vita migrârunt; siue illi parentes fuerint aut necessarij, siue miraculis clari, siue Martyres Christi, siue Doctores Ecclesiæ, siue alij quicunque, nemine prorsus excepto: quia sine fide, impossibile est placere Deo. Martyres autem, quo pertinacius fidem non rectam tenuerunt, vt pro qua mori voluerunt; & Doctores Ecclesiæ, quibus nulla occasio fuit prætexendi ignorantiam, atque adeò, qui primis Apostolorum temporibus viciniores fuerũt, quando recens esse debebat Apostolicæ doctrinæ memoria, grauius in gehenna supplicium perferent. Neque excusabit quemquam Christianorum ignorantia magis quàm infideles Ethnicos Idolorum cultores, qui ignorantes

Ephes.4.5.

Heb.11.6.

Matt.12.30.

rantes a seruierunt creaturæ potius quam Creatori: quia tametsi, *b Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulet multis*; is tamen seruus, qui nescit voluntatem Domini, facitque digna plagis, vapulabit quoque, licet paucioribus: Et, si plagas meretur cultus Idoli argentei, vel aurei; merebitur vtique adoratio fructuli panis, obedientia Antichristi, violatio Sacramentorum.

a Rom. 1. 26.
b Luc. 12. 48.

Deum simili modo grauissimis blasphemijs lædunt, quem faciunt mendacem, crudelem, iniquum. Mendacem quidem, qui non præstet promissa. Per veteres quippe Prophetas de temporibus Ecclesiæ prædixit, veram Dei notitiam ita per orbem terrarum manifestam fore, *vt non doceat vnusquisq; proximum suum dicens, cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me, à minori vsque ad maximum.* Per seipsum quoque Christus perpetuam nobis suam Sanctiq; Spiritus sui præsentiam addixit: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Et: *Mittã vobis Peracletum, Spiritum veritatis, qui doceat vos omnem veritatem, & maneat vobiscum in æternum.* Hæretici admittere nequeunt hæc esse præstita, qui ne vnum quidem hominem exhibere possunt, à temporibus Apostolorum toto terrarum orbe eiusdem omninò fidei secum & religionis. Nusquam igitur manifesta fuit Christi vera doctrina, nec vbique recepta, desijt adesse Ecclesiæ suæ Christus, secessit Spiritus sanctus, successit spiritus erroris & Dæmoniorum.

Tres blasphemiæ in Deum. 1.

Ierem. 31. 34. et Heb. 8, 11.

Mat. 28 20.
Ioan. 14. 16.

Crudelem verùm faciunt Deum, qui paucu-
los quidem illos Christianos, quos puram
Euangelij scientiam Apostoli ipsi docuerunt,
participes esse voluerit sanguinis Christi, re-
liquos verò omnes excluserit qui à discipulis
successoribusq; Apostolorum imbuti errores
hauserint, non synceram fidei doctrinam.

Iniustum deniq;, qui nec ipsis sanctis Mar-
tyribus notitiam veræ fidei religionisq; dede-
rit, aut sanguinis Christi fructum communi-
cauerit, quos constat pro Christi amore de-
disse sanguinem suum. Hæc certè omnia ne-
cessariò consequũtur, si maiorum fides, quam
nostram esse docuimus, errorem habuerit, vt
Magdeburgenses pro Lutheranis fatentur, &
Caluinus ipse pro suis Sectationibus.

Peccata comitantia hæresim.

Præter hæc grauissima in Deum homines-
que peccata hæreticis omnibus communia, a-
lia etiam sunt, quæ hæreses comitãtur, vt sunt,
humanas leges violare, in proximos à sua Se-
cta alienos iniurios esse, persecutiones moli-
ri, seditiones mouere, bella ciere, omnia tur-
bare. Qui enim sibi persuasum habent in erro
re proximum versari, Deumque blasphemijs,
idololatrijs, impiaque religione offendi, non
dubitant sui pro fraterna charitate officij esse
salutem curare aliorum, nouam fidem alijs cõ
municare, suam doctrinam propagare, (*hæresis*
2. *Tim.* 2. 17. *quippè serpit vt cancer.*) omniaque nouo Euange-
lio replere: Et quia nouitatibus etiam vehe-
menter ad carnis oblectamenta commodis &

plau-

plausibilibus, non desunt impedimēta; existimant ad eundem charitatis feruorem, conscientiæque suæ quietem pertinere, pro viribus ad submotionem obstaculorum conari, & quiduis tentare potius, quàm vt veritas post tot annos reperta, diutius incognita hæreat in tenebris. Hinc bella, seditiones, perduelliones, Catholicorum persecutiones, Monasteriorum atque templorum euersiones, Sacramentorum violationes, rerum sacrarum profanationes, Sacerdotum neces, Sanctorū martyria, atque id genus alia, quæ non minus oculis nostris vidimus, quàm in codicibus nostris legimus.

Diuersa ratio prædicādi Apostolorum & hæreticorum.

Non sequuntur quippè Hæretici eam suæ doctrinæ propagandæ rationem, quam SS. Apostoli, & primi Ecclesiæ fundatores præmōstrarunt, qui non inferendo Regibus bella nō inuadendo Principum ciuitates, non occupando per vim alienas terras, non mortem minitando, non tormenta inferendo, Ecclesiā plantauerunt, & per orbem terrarum longè lateq; propagarunt: sed obediendo, patiendo supplicia, martyria, mortes tolerando, sanguinem suum fundendo, sancta stabiliaque Ecclesiæ Christi initia dederunt. Christus enim nō armis, aut humana virtute, sed humilitate subijcere sibi orbem voluit: hanc q; vim & efficaciam sanguini martyrum, Sanctorumq; afflictionibus dedit, vt semina essent multorum bonorum. *Et sicut granum frumenti cadens in terram si mortuum* Ioan. 12. 24.

mortuum fuerit, multum fructum affert, ita ex morte Martyrum magna sementis fiebat nouorum Christianorum: Plenæ sunt historiæ ad vnius Martyris mortem multa Gentilium millia quandoq; in Christianæ religionis lucem concessisse, atq; inter eos credentes aliquando etiam carnifices ipsos fuisse: Persecutionibus namq; crescit Ecclesia, non tollitur. Admirabilis pugnandi ratio, & nouum genus potentiæ, sustinendo cædere hostem; patiendo affligere hostem; moriendo prosternere hostem; iacendo triumphare de hoste. Non prius Imperatores & Principes fidem susceperunt, q̃ populus, ne humanæ potentiæ Christi gloria tribueretur, sed primò mundus ferè vniuersus Christum agnouit. Qui deinde humili obedientia, malorũ tolerantia, supplicorũ perpessione, innumeris, morib⁹ animorũ in vna fide consensione, sicut ad Christum accesserat, ita Principes, Reges, & Imperatores ad idem Christi ouile adduxit. Hæretici, quod non ignorent hoc priuilegium non sibi, sed Ecclesiæ datum, militari manu agunt more Mahometi & Principum improborũ, qui ram is inuadunt aliena regna: certissima enim sententia est, quã B. Augustinus se tãdem agnouisse fatetur, Hæreticos persecutionibus tolli, non augeri.

epi. 48. 50. & 68. l. 2. retra ca. 5.

Principes cur hæreticos puniant.

Neque hic moueat quemquam, quod constituta iam Ecclesia, Principes, & Reges edictis & legibus in Hæreticos sæuiant: non enim aliena inuadunt, sed sua conseruant; sibiq; i subiectos

iectos ad officium, & iuratam fidem adigunt. Sciunt Principes quanta blasphemia sit Hæresis, sciunt quàm irriquietum sit malum, quòd pacem publicam turbat, alios q; secum ad perniciem trahit. Seueras igitur pœnas statuerunt in Hæreticos, legibus q; grauissimis cauerunt omnem religionis innouationem: quæ leges iam olim à vetustissimis Imperatoribus vulgatæ, & multis retrò sæculis per orbem Christianum seruatæ, magnam pacem attulerunt Ecclesiæ. Certè non minus est Regum & Principum eos compescere & tollere, qui nouis dogmatibus Reipubl. nocumento sunt, q̃ qui furtis & homicidijs tranquillitatem, & libertatem publicam violârunt: Catholici igitur, qui Hæreticos infectantur, non rapiunt aliena, sed sua retinent, atque id non iudicio suo, sed authoritate legum. Et hactenus quidem de peccatis Hæreticorum, quæ vel necessariò semper, vel communiter & plerumque hæreses omnes comitantur.

Aug. epist. 146.

Aug. l. 3. contra Cresconium Grammat. ca. 51.

Lib. 2. contra Epist. Gaudentij ca. 26.

Sanctitatem verò in cœtibus eorum vel fuisse, vel esse, nullo certo indicio demonstrari potest: edunt illi quidem moralia nonnunquam bona, largiuntur eleëmosynas, Xenodochia erigunt, moderatè eorum quidam viuunt, à conuitijs & iuramentis sese abstinét: sed id genus virtutum etiam in plerisq; Philosophis Ethnicis reperias, & externa hæc officia ex mente hominis tam ad vitia, quàm ad virtutes referri possunt: Si enim vel eleëmo-

Sanctitas nulla in hæreticis.

syna, vel alio officio pauperi opituleris, vt tibi in hæresi consentiat, non minus est actio hæreseos, & graue peccatum, quàm ex superbiæ vitio proficiscitur, si idem præstes vt honoreris; vel ex libidine, si tali officio occasionem veneris luxuriæ. Quærenda sunt igitur alia sanctitatis indicia: Ea autem vel ex aperta reuelatione diuina sumentur, vel ex miraculis ad hominum vtilitatem sola potentia diuina editis, vt *a* excitare mortuum, *b* illuminare cœcum, & quæcunque creaturarum vires excedunt. D. Ioannes Baptista nullum quidē signum viuus edidit, sed testimonium sanctitatis à Christo accepit: *c Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*. Christus verò innumeris miraculis testatum omnibus fecit, se filiū esse Dei. *d Quē Pater (inquit) sanctificauit, & misit in mundū, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filium Dei sum? Si nō facio opera Patris mei, nolite credere mihi.*

Indicia sanctitatis.

a Ioan. 11. 4.

b Ioan. 9. 7.

c Mat. 11. 11.

d Ioan. 10. 36.

Miracula.

Miracula porrò duabus ex causis fiunt, altera est ad doctrinæ testimonium, vt indicia sint veritatis & sanctitatis doctrinę, quo modo etiam ab impijs miracula posse edi fatētur Scripturę. *Multi* (inquit Christus) *e dicent Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Et B. Paulus, *f fatetur magna fide transferri posse montes sine charitate.* Altera causa, in testimonium sanctitatis vitæ: *Si*, inquiebat Elias, *g homo Dei ego sum descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos.*

e Mat. 7. 21.

f 1. Cor. 13. 2.

g 4. Reg. 1. 10.

Hæ-

Hæreticis neutro modo cõcessum est miracula edere, vt vel de sanctitate doctrinæ suæ vel de sanctitate vitæ testentur. Aiũt Nouatianos quosdam olim miracula fecisse, sed in testimonium fidei Catholicæ apud Gentiles, non in testimonium sui erroris, ad instar illius Iudæi, *a* qui in Christi nomine Dæmonia eijciebat, nec tamen fidem amplexabatur, de quo B. Ioannes: *Præceptor, vidimus quendã in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eũ, quia non sequitur nobiscum.* Ferunt Anabaptistas idiotis suis, si baptisma suscipiant, legẽdi conferre peritiã, qua careant, simulatq; hæresim detestãtur: sed maiora præstant oppressi à Diabolo, qui & alienis linguis loquũtur, & absentia atq; occulta reuelant. Hæc.n. non miracula sunt censenda, quæ *Diaboli* potestatem non excedunt: faciet miracula Antichristus, sed opera Dæmonis, & inutilia, nihil enim ad hominum commodum faciet de cœlo ignem detrahere, & *b* imagini bestiæ dare sermonem: similia fiunt à magis non paruo Reipub. incommodo. Cæterum miracula quandoque à defunctis eduntur, ad eorum vel reliquas, vel inuocationem. Sicut ossa Elisæi sepulti occisum hominem resuscitarunt: & hæc testantur sanctitatem defuncti. Hæretici ergo, qui nec viui, nec mortui sanctitatem suam apud quemquam suorum confirmare possunt, (tametsi & veteres Ariani, & Lutherus, atq; Caluinus id non rarò conati sint) neq; manifesta & indubitata

a *Luc.9.49.*

b *Apoc. 13. 2.*

4. Reg.13. 21.

reuelatione docere, ad Ecclesiam veram non pertinebunt, cuius signum est sanctitas.

Ecclesiæ porrò Catholicæ nunquam defuerunt certissima argumenta sanctitatis, tot inquam miracula veterum SS. Benedicti, Antonij, Hilarionis Simeonis Stylitæ, Gregorij Thaumaturgi, & ijs recētiorum, Bernardi, Dominici, Francisci, Vincentij, Valentini, Antonij de Padua, qui vt viui sanctitatē suam, religiosiq; instituti sui, miraculis potentissimis docuerūt; ita post mortem cum Christo in cœlis regnantes, quo loco apud Deum semper fuerint, atque etiamnum sint, miraculis palam fecerunt, & plerique eorum non rarò adhuc faciunt. S. Andreæ Apostoli, S. Catharinæ, & S. VValburgis ossa sacra oleum sudant: B. Antonius in Francia & Belgio à Caluinistis impetitus conuitijs atq; blasphemijs, vindicta & nece impiorum, quid possit, non rarò his paucis annis docuit. Miracula porrò, quæ sanctitatem doctrinæ in Ecclesia testentur, vbique per orbem fiunt, ad Beatissimæ Virginis Mariæ, aliorumq; Sanctorum imagines atque memorias, & talia sanè, quæ neque humanis fraudibus simulari, neq; arte Dæmonis perfici queāt.

Reuelationes.

Si reuelationibus agendum est, quas pro somnijs Aduersarij reijciunt, non desunt vaticinia Brigittæ, Gertrudis, aliorumq; Sanctorum hominum, quibus quæ prædicta legimus, secuta vidimus: sufficiāt porrò stigmata S. Francisci in fidē sanctitatis viri à Christo impressa.

Rident

Rident hæc hæretici, vt omnia pia: Scriptum est autem: *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.* Pro. 3. 34.

Certè vir prudens, suæq; salutis studiosus hæc secum ruminans, non facilè inducetur, vt cogitet hæreticorum Synagogas ad veram pertinere Ecclesiam, quæ cùm recentes sint, & vel maximè testimonio egeant, nihil tamen exhibeant, quod fidem faciat vel sanctitatis vitæ, vel puritatis doctrinæ. D. Apostolus Corinthijs, *Vos ipsos*, ait, *tentate, si estis in fide, ipsi vos probate.* 2. Cor. 13. 5. Quasi dicat, ibi fidē cessare, vbi cessant miracula. Ecclesia verò Catholica & fundata est miraculis, & conseruata. Ad Gentium conuersionem miracula etiam hodie fiuntin remotioribus Orientis & Occidentis regionibus, India, Iapania, Brasilia, Peru: vbi ad haustum aquę benedictæ frequenter morbi pelluntur. Ad Catholicorū conseruationem in hisce partibus, Dęmones non rarò per Sacerdotes, Ecclesiæ ministros exorcismis eijciuntur. Ad Hæreticorū reductionem impij homines Iconoclastę & Blasphemi Sanctorū potentia conteruntur. D. Augustin. contra Epistolam fundam. ca. 4.

Iam verò, quod ad peccata attinet, habet Ecclesia peccatores, *quæ nigra est, & formosa*: multū tamen interest inter Ecclesiam atque Sectarios: primò quidem, quòd Ecclesia vnà cum peccatoribus multos alat insigni vitæ sanctimonia conspicuos, multosq; hoc vitæ spatio integrè pieq; confecto ad cælum præmiserit: Hæreses peccata habent, sanctum neminem Cant. 1. 5. Peccata Catholicorum.

vel habent, vel habuerunt, neque quemquam ad cœlos præmiserunt; deinde ex vi hæreseos peccata nascuntur, vt antea diximus. Vnde in terra hæreticorũ, videre est vastitatem & abominationem desolationis, deserta euersaque monasteria, neglectam virginitatem, exclusa ieiunia, prophanos sacrorum ministros, sine altari, sine sacrificio, sine sacerdotio: Peccata aũt Catholicorum, singulorum fragilitate vel malitia perpetrantur, non vitio doctrinæ. Et hactenus ex ciuitatis similitudine rationem docuimus, & methodum dedimus in tanta Ecclesiarum multitudine, veram Ecclesiã à Christo fundatam, priuilegijsque ornatam à falsis discernendi.

Similitudo. Iuuabit ad eandem rem *similitudo viarum*, quæ sicut ad ciuitatem ducunt, *ita fides*, syncera doctrina & vera religio, quæ in sola Ecclesia colitur, ad ciuitatem patriamq; cœlestem. Esto igitur mercator quispiam, cui in itinere Francofordiensi occurrant viæ septem vtcunque tritæ, hoc tamen discrimine, vt vna quælatior est, rectissimè ducat, & plena sit viatoribus, qui hunc eodem inuitent, dicantque multis ab hinc annis infinitam hominum turbam eadem præcessisse, quos Frãcofurtum attigisse certissimis nũcijs innotuerit: alias illas vias oliquas esse, non ita nuper stratas, & paucos quidem per eas ingressos, de quorum nemine hactenus certi aliquid relatum sit, an Francofurtum venerit, an potius in feras, aut latrones

nes inciderit. Quid hic facturus est mercator? Si sapit, demissis pauculis illis abire vias suas, vulgato ipse tutiori itineri sese committet, ridentibus licet misellis alijs.

In spiritali hoc itinere, quo in cœlos tendimus, viæ sunt multæ, vna regia, lata, vetus, sui similis, quàm infinita hominum turba iam mille quingentis annis ingressa est; Catholica inquam Ecclesia, per orbem vniuersum diffusa, quæ non Germanos tantùm, Gallos, Belgas, Anglos, & Septentrionales ducit viatores; sed innumeros per Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, Indiam, Iapaniam, Sinas, Peru, Brasiliam, Africam, AEthiopiam. Omnes enim Catholici, tam latè in orbe sparsi, eandem vbique retinent fidem, idem credunt per omnia, idem sentiunt, idem dicunt, eundem ducem sequuntur Christi in terris Vicarium, non præsentes modò, sed antecessores quoque totis 1500. anni, successione nunquam interrupta. Hanc porrò viam ingressos, certissimis argumentis compertum est, ad cœlestem illam, quo tendebant ciuitatem, non paucos deuenisse, euidentissimis (inquam) miraculis, quibus post mortem in fide sanctitatis claruerunt.

Origo hæresium.

At non defuerunt omni tempore homines, qui huius tam celebris viæ pertæsi, nouas sibi suisque sequacibus vias sternerent. Primus Simon Magus, tum Arius, Sabellius, Nestorius: Postea, Berengarius, VValdenses, & quotquot

quot à recto itinere deflexerunt. Sed quod posteris nullo testimonio, alicuius ex antecessoribus salus comprobaretur, paulatim obducta sunt vetera illa deuia, vt eorum ne vestigium quidem amplius relinqueretur. Anno autem Domini 1517. quidam Frater Martinus Lutherus, professione & habitu monachus, ordinatione Sacerdos, nouum quoddam & compendiosum iter in cœlum à se repertum docuit, ex regia tamen illa via ad latus eductũ. Noua igitur dogmata mundo proposuit, nouam fidem atque religionem excogitauit, ab orbe condito nulli vel auditam, vel vsurpatam: modumq; quo in illius notitiam primus venerit, ipse non tacuit. Scripsit enim cum Dæmone eam sibi consuetudinem fuisse, vt cum eo plus quàm modium salis consumpserit: sibique ab illo administrata recenset argumenta, quibus ad euertendũ Missæ sacrificium deinceps est vsus. Hanc viam cùm fraterculus ille primus strauisset, qui eandem secuti fuerant, ne, cùm duces ipsimet esse vellent, vnius illius hominis ducatum sequi viderentur, ex illius obliqua via multa sibi singuli diuerticula aperuerunt, populumq; Christianum in sectas innumeras diuisum, varios in errores abduxerunt. Neque tamen an illorum quispiam in cœlum peruenerit, mortalium vlli constare hactenus potuit.

Is ergo, qui seriò de salute æterna cogitat quos tandem sequetur? Videbit sectarios pa-

rũt

rum auſpicatò, conſilijs, inquam, Diaboli ſeductos, vitam regiam Catholicorum deſeruiſſe. Videbit paucos quoſdam homines in ſingulis diuerticulis: (quid enim ad orbem Catholicum Germania vel Gallia, quæ tamen nõ integræ eundem ducem ſequuntur?) videbit nunquam hactenus tritas vias, non ita nuper ab obſcuris quibuſdam apertas fuiſſe; neq; adhuc cuiquam conſtare, an eò quiſquam appulerit, quò proficiſcebatur: ſanè qui ſapit, nihil ſibi cum hæreticis commune eſſe volet, ſed veterem fidem, Romanamque Eccleſiam ſequetur. Vni enim Luthero, paucis hæreticis, nouis hominibus, quos conſtat ab Eccleſia deſciuiſſe, nec conſtat boni aliquid poſt hanc vitam conſecutos eſſe, ſeipſum, ſuamq; ſalutem committere, eſt plenum periculis.

SITNE ECCLESIA *viſibilis.*

Hæretici vt neceſſitatem effugiant, ſucceſſione non interrupta, Eccleſiam ſuam ad Apoſtolos deducendi, eò confugiunt, vt dicant, Chriſtum inuiſibilem inſtituiſſe Eccleſiam, in qua ſoli ſint boni; quorum cùm pietas lateat, ignorem etiam, quinam ad Eccleſiam pertineant.

Sed huic doctrinæ non modò Scripturæ ſacræ aduerſantur, ſed recta quoque ratio: Scripturæ quidem, quæ in *a* eadem ſagena bonos agnoſcunt piſces, & malos: in *b* eadem nuptia-

a *Mat.* 13. 47

b *Mat.* 22. 12

li do-

li domo homines vestitos nuptiali veste, & nō vestitos: in eodem agro triticum, & zizania: a expectantes sponsi aduentum sapientes virgines, & fatuas: in b Apostolorum Collegio Iudam Diabolum, cum reliquis viris sanctissimis. c B. Apostolus non existimauit Corinthium illum fornicarium prius ab Ecclesia alterum esse, quàm sententia excommunicationis excluderetur. In Apocalypsi grauissimè corripiuntur d Episcopi Sardicenſis, & Laodicenſis: ille quod Spiritu mortuus esset: iste, quod neque frigidus, neque calidus, sed tepidus, miser & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus, vterq; tamen agnoscitur Episcopus, & caput Ecclesiæ suæ, necdum eiectus ex ore diuino. Ratione verò idipsum confirmatur: Si enim inuisibilis est Ecclesia, videri non poterit, multò minus adiri, & consuli. Ignorabit igitur, quò se conferat, qui fortè ex infidelitate conuersus, Ecclesiam quærit. Impleri non poterit Christi mandatum: e *Dic Ecclesiæ*. Nulla erit Ecclesiastica iurisdictio, nulla potestas manifesta, nullus superior, nullus à quo f peccatorum remissio vice Christi petēda sit. Omnia occulta, incerta, dubia.

a *Matt.* 25. 2.
b *Ioann.* 6. 70.
c 1. *Corin.* 6.
d *Apoc.* 3. 2. 14.
e *Matth.* 18. 17.
f *Matth.* 18. 18. & *Ioan.* 20.

His igitur reiectis erroribus, docet orthodoxa fides, Christum Dominum in orbe hoc terrarum congregationem instituisse, in eamque homines euocasse, & Ecclesiā appellasse, eique, vt ante dictum est, eximia priuilegia contulisse. Hos autem homines, qui Ecclesiam con-

conficerent, digito demonstrasse, ne in incerto hæreremus: Sicut enim sensibili voce à magnifica gloria delapsa, Deus Pater Christum filium Apostolis exhibuit: a *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*: ita filius clara & aperta voce Apostolos ostendit: b *Vos estis lux mundi* c *Ecce ego mitto vos*. d *Qui vos audit me audit*. Apostoli deinde visibiles Ecclesias fundârunt, verbis & epistolis instruxerunt, Episcopos ordinârunt, politiam instituerunt, leges præscripserunt, eaque omnia præstiterunt, quibus externa atque visibilis Respublica constitui solet. Voluit enim CHRISTVS, non modò visibilem esse Ecclesiam suam, sed valdè conspicuam, vt omnibus innotesceret gratia Dei, quæ in hac sancta congregatione, & non alibi asseruatur, atque confertur; vnde eam e ciuitati, quæ in monte posita est, & candelæ supra candelabrum similem fecit.

a 2. Pet. 1. 17. & Matth. 17. 5.
b Matth. 5. 14.
c Matth. 10. 16.
d Luc. 10. 16.
e Matth. 5. 14.

OBIECTIONES HAEreticorum.

PRIMA.

Ecclesia fide creditur. Credimus enim sanctam Catholicam Ecclesiam: non igitur videtur oculis: quia f fides est rerum non apparentium.

f Hebr. 11. 1.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: quia id, quod videtur, credi etiam potest, quatenus habet aliquid, quod non videtur. Iesus videbatur oculis homo,

homo, credebatur fide Messias, & Deus. a Quia, inquit, *vidisti me, Thoma, credidisti*: hominem vidisti, Deum tuum & Dominum credidisti. Ita homines videmus oculis, qui ad Ecclesiã pertinent: eos autem homines credimus Ecclesiã esse sanctam, Catholicam, & Apostolicam: penes hos solos, peccatorum esse remissionẽ, gratiam, iustificationem, spem vitæ æternæ; extra hunc cœtum nulli mortalium expectãdam esse vel salutem, vel Dei fauorem.

a Ioan. 20. 29.

SECVNDA.

Christus Luc. 17. 20. *Regnum Dei*, inquit, *non veniet cum obseruatione, neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic.* Ergo demonstrari non potest Ecclesia.

SOLVTIO.

Eodem loco demonstratur sequentibus verbis Ecclesia: b *Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Non negat ergo Christus, vel regnum Dei videri, aut Ecclesiam demonstrari posse: sed irrisoriæ Pharisæorum quæstioni, qua toties à Christo & Apostolis prædicatũ regnum Dei, tanquam iam iam affuturum videre desiderabant, respondet, non ad ipsorum mentem se in hoc mundo regnaturum (c cuius regnum non esset de hoc mundo) vt instar Principum externos triumphos ageret, palam inauguraretur, & certo loco sedem regni collocaret; sed eo modo se regnaturum, quo iã tum incipiebat, nempe in cordibus hominum, atque in Eccle-

b Luc. 17. 21.

c Ioan. 18. 36.

Ecclesia, cuius vera membra inter eos erant Apostoli atque discipuli; quos alio loco digito signans: a *Beati*, inquit, *pauperes, quoniam vestrũ est regnum Dei.* Vos inquit, etiam sine pompa & fastu ciues estis regni, à quo procul absunt diuites Pharisæi. a Luc. 6. 20.

TERTIA.

Ecclesia creditur sancta, nulli ergo, nisi sancti ad Ecclesiam pertinebunt; & quia sanctitas non cernitur oculis, erit vtique inuisibilis Ecclesia, & incognita membra Ecclesiæ.

SOLVTIO.

Malam esse primam consecutionem. Nam inferendum erat: Ergo sancti sunt in Ecclesia, licet non soli. Arbori viuenti multi aridi rami adhærent, & in corpore humano multi insunt sine vita humores & sordes.

QVARTA.

Ad præsentis vitæ Ecclesiam refertur à Patribus, quod in Canticis dicitur: b *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Non sunt ergo mali & vitiosi homines membra Ecclesiæ. b Can. 4.

SOLVTIO.

Quamuis de cœlesti Ecclesia propriè loquatur Scriptura, quæ (vt proximè in eodem ca. sequitur) coronatur à sponso: tamen si cum B. Greg. ad viuentes in terris referas, eo sensu dicitur tota Ecclesia pulchra, & macula carere, quod viua eius membra per inhærentem gratiam

tiam sint illustria coram Deo, nec obfuscentur (sicut existimabant Donatistæ) præsentia improborum: & *licet nemo iustus aut sanctus peccato careat, non tamen desinit esse sanctus aut iustus, quia affectu retinet sanctitatem: & per assiduam pœnitentiam* (inquit D. Greg.) *assiduè seruat munditiam suam: dum quotidie peccata minuta lachrymis abluit, & à maioribus obseruat.*

Augustin. c 86. Ecclesiasticorum dogmatum.

In cap. 4. Cant.

DE SVMMO PONTIFICE.

Caput III.

IN qua re Ecclesia Christi admirabilem, plenamq; charitatis diuinam prouidentiam semper agnouit, venerata est, & amplexata; eam rem perpetuò insectati sunt, & persecuti omnes hæretici: nempè primatum & caput Christi vicarium, quo dei ius vice Ecclesiam vniuersam gubernat. Atq; vt in eandem secum manifestissimorum errorum caliginem rudiorem plebeculam adducant, multa comminiscuntur, ab omni veritate prorsus aliena. Aiunt nos Papam Romanum pro Deo, ac loco numinis venerari: Papam pro arbitratu religionem mutare, fideiq; articulos nouos condere, credendosq; orbi vniuerso proponere: absolutum sibi totius orbis dominium vsurpare: denique etiam ademptâ filio Dei potestatem ac honorem sibi arrogare, vt

Calumniæ Hæreticorũ de Pontifice.

vt Christo præferatur: atque ideo eum Antichristum esse, & meritissimo haberi debere. Atque hæc ita persuasa sunt populo, vt nemo sit, cuiuscunque hæresis sectator, vel author, qui non inter certissima dogmata, vel potius præcipua errorum capita habeat, Papam esse Antichristum. Fuerit igitur operæ pretium Ecclesiæ doctrinam clarè proponere, ne quis hæreticorum calumnijs à veritate aberret: ea autē his sex propositionib⁹ contineri poterit.

Sex propositiones.

PRIMA PROPOSITIO. Christus de cœlo ad nos delapsus, ex omnibus totius orbis gentibus atque nationibus homines euocans, Remp. quandam, seu congregationem instituit (quam rectè Ecclesiam appellauit) vt postquam mundus totus in maligno positus, peccatisq; deprauatus esset, & post huius vitæ finē innumeri mortales in æternam damnationem præcipites abirent, apud aliquos saltem, rectè pieq; viuendi ratio & modus inueniendæ salutis perseueraret: in hac igitur Republ. sola, quā vnicè dilexit, passionis suæ merita tanquā in thesauro reposuit, vt hic & peccatorum remissio, & gratia, & iustitia & quies animi, & quicquid ad æternam fœlicitatē commodum est, inueniatur. 1.

SECVNDA. Hæc Respublica quia omnis generis hominibus constat: Hominibus autem sint non solùm corpora, & bona fortunæ, sed etiam animæ capaces diuini præcepti atq; visionis: opus habuit duplici, qua illa augere- 2.

tur conseruaretur que Respublica, administratione: altera quidem, quæ ad externam pacem & quietem retinendam præcipuè referretur: altera verò, quæ potissimum homines ad supernaturalem illum cœlestem, inquam, finem nobis propositum perspicuè, nulloque errore dirigeret. Cùmque extra omnem controuersiam animarum salus, præstet quieti externæ, immò verò hæc ad illam, tanquam ad bonum maius atque perfectius sit referenda: nemini dubium esse debet, eos, qui hanc curam, inferiores esse, minusque vilius obire, quàm iis, quorum labor ex officio in animarum salute procuranda consumitur.

5. TERTIA, Politicam illam administrationem Christus suo aduentu non immutauit, sed Principibus reliquit, a *qui gladium portant, vt vindices in iram his, qui malè agunt.* b *Reddite* (inquit) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Quietem enim externam, aut ciuilem curare possunt, etiam qui à recta fidei via prorsus aberrant; quibus ius Imperij tunc auferri voluit, vt humilitate fundata, & per orbem dispersa Ecclesia, DEI potentiam redderet illustriorem.

4. QVARTA, Animarum curam Christus, dum in terris ageret, ipse suscepit, tanquam c Princeps Pastorum, & omnium d Magister, data ei e *omni potestate in cœlo & in terra* à Patre cœlesti Passionis merito. Et hactenus quidem nobis conuenit cum hæreticis.

a Rom. 13. 4. b Matth. 22. 21. c 1. Pet. 5. 4. d Matth. 23. 10. e Matth. 28.

Sed

Sed quæstio omnis & controuersia in eo versatur, an Christus profectus in regionem a illam longinquam, patriam cœlestem, sic sibi omnem authoritatem seruauerit in Ecclesiam, vt neminem in terris vicarium reliquerit, quem cum ampla & ad vtilitatem fidelium conuenienti potestate Ecclesiæ vniuersæ præfecerit. a Luc. 19. 12

Et quidem hoc in confesso est apud omnes, Christum Dominum non ita ex hoc mundo migrasse, vt abdicata potestate, vel in aliquem resignata successorem acceperit: cùm ipse b *Princeps Pastorum maneat, & Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*, eadem authoritate, & potestatis plenitudine, qua Ecclesiam mortalis, & rediuiuus in terris rexit. *Quinque postulata.* 1. b 1. Pet. 5. 4. c Heb. 6. 20.

Et id notum est, si quis datus sit Pastor Ecclesiæ, illum non tam summum absolutumque Pastorem, quàm Principis Pastorum dici, atq; esse Vicarium: quemadmodum absentibus Regibus, designantur Proreges, quibus vniuersa administrandi regni prouincia cum summa potestate concreditur. 2. *Simile.*

Est tum etiam istud manifestum, nulli mortalium delatam à Christo omnem potestatem, quam à Patre ipse acceperat. d *Dedit ei potestatẽ iudicium facere, quia filius hominis est, & omne iudicium dedit ei*: vsque adeò, e *vt sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & Filius, quos vult viuificet, & resuscitet in nouissimo die.* Hominum est hac ratione limitata definitaq; potestas; vt neq; tanta possint, 3. d Ioan. 5. 27. e Ioan. 5. 21.

neque tali modo, quo Saluator noster: Christu
quomodocunq; voluit, peccatis mortales li
berauit, homines verò non nisi per Sacramen
ta idem præstant: Christus authoritate sua; ho
mines potestate diuinitus accepta: imò non ti
homines ipsi, quàm Christus per homines, per
quorum ora dicit: *Hoc est corpus meum: Ego te ab
soluo.*

Nemo præterea negauerit, varijs diuersiſq;
in locis suos esse Ecclesijs Præpositos atq; Pa
stores, qui Christi ministri, eiusq; vice animas
ad perfectionem spiritalem, & æternam salu
tem ex officio dirigere ac deducere debeant.
Cùm enim nondum fidem suscepissent quisq;
vel Regum vel Principum *posuerat Deus in Eccl*
a *Ephes.* 4. *sia Apostolos, a Prophetas, Pastores, Doctores, & gubern*
11. *tiones, b ad consummationem sanctorum, in opus minis*
b 1. *Corin.* *rij, in ædificationem corporis Christi*: Quorum sanc
12. 28. munus non in sola verbi prædicatione, vel in
c *Act.* 20. sola Sacramentorum administratione positum
28. fuit, sed vt Scripturæ loquuntur, eorum erat c
d 1. *Pet.* 5. *regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit suo sanguine, pasce*
2. *re gregem d Dei, eique prouidere. e Peruigilare, tanquam*
e *Hebr.* 13. *qui pro commissis sibi subditis rationem essent reddituri*
17. *Præesse, causas accusationesq; audire, arguere, f increp*
f 1. *Tim.* 5. *re, Anathemate ferire: g* deniq; ea præstare, quæ a
2. gregem Christi auctiorem & sanctitate illustr
2. *Tim.* 4. orem reddendum faciunt.
20. Nullus item iustificari potest, non solùm
g 1. *Tim.* 1. Ecclesijs præesse Pastores, sed suos etiam e
20. Pastoribus Pastores, & Superiores, quibus ob
tem

temperent: quique ipsis mandandi & præscribendi certis in rebus, quid fieri debeat, ius habeant. B. Paulus S. Timotheo Episcopo: a *Præcipio*, inquit, *tibi coram Deo, qui viuificat omnia.* Et Tito mandauit b *constituere per ciuitates Presbyteros, atque Episcopos*, qui ipsi parerent. Præclara documenta, tanquam ex officio dedit c Episcopis dionis Ephesinæ, sicut & D. Petrus *d* Clero vniuerso.

a 1. *Tim.* 6. 13.
b *Tit* 1. 5.
c *Actor.* 20. 17.
d 1. *Pet.* 5. 1.

Quæstio porrò est maximè hisce temporibus, controuersa, An Ecclesiæ vniuersali præpositus sit à Christo Domino Pastor aliquis, qui non solùm specialis cuiusquam Diœcesis separatim, sed generatim vniuersæ Ecclesiæ curam gerat, in omnes Pastores inuigilans, omnibus superintendens, & communi vtilitati Ecclesiæ officij religione prospiciens.

An vnus totius Ecclesiæ Pastor.

Cui quæstioni ita responderi poterit: Christum æternam Dei Patris sapientiam, qui Ecclesiam sponsam vsque adeò dilexit, vt pro illa & sanguinem profuderit, & animam posuerit; talem constituisse in hac sua Republica politiam, talemq; ordinem ac gubernandi rationem sanciuisse, qualis & charitatem, & sapientiam tantam decebat, & tam dilecto populo ad quietem salutemque maximè conueniebat. Optimam autem esse Monarchiam ipsi quoque Philosophi Gentiles docuerũt. Præfecit igitur vnum, qui vice sua Ecclesiam vniuersam regeret, atque ad supremum finem æternæ fælicitatis appositè, & ex sacrarum literarũ præscriptio di-

Arist. 8. eth. 10. & 3. Polit. 5. & 12. Metaph. 10. Vide D. Tho. ibi. & op. 2a li. 1. cap

tio dirigeret. Quod ita maximè fieri oportuisse, & ex necessitate, & ex vtilitate luculenter probari, facillimeque intelligi poterit.

Rationes. 1. Si enim singuli priuatis Ecclesijs præsint, & nemo sit, qui ad generale totius Reipub. Christianæ bonum ex officio incumbat, hoc primum quidem fiet, vt dum suæ quisque Ecclesiæ commodis inuigilat, nec extra sibi commissum gregem cogitationem ponit, salus Reipubl. Christianæ communis neglecta intereat. Itaque nulli erit cura conuersionis Gentium, propagationis fidei, reducendorum Hæreticorum in alienis terris, vbi vel nulli sunt Pastores, vel desides; dum quisque tantum negotiorum habere se putabit domi suæ, aliena, peregrinaque vt curare non possit.

Deinde verò, si controuersia inter Pastores exoriatur de reb⁹ fidei, vel negotijs Ecclesiasticis, quæ ad sæcularium hominum cognitionē referri non debent, nemo erit ordinarius Iudex, qui componenda pace atque litibus discernendis, partes dissentientes ad concordiam consensumque reuocet.

3. Tertiò frequenter occurrunt negotia, quæ ad vniuersæ Ecclesiæ vtilitatem constituenda sunt, omnibusque Christi fidelibus denuntianda atq; mādanda: quæ nisi ab vno Pastore imperari cōmodè, & suscipi cū fructu nō possunt. Exemplum esto edito noui Calendarij, quę dissipatis toto terrarum orbe Christianis, nisi à totius orbis. Profecto aptè proponi non potuit.

Constat

Constat sæcularem nullum Principem, ne ipsos quidem Romanos, neq; hisce præsentibus, neque vllis retrò temporalibus vniuerso terrarum orbe imperasse, quibus nec Sinarum & Iaponiorum ad Orientem, nec Brasiliorum & Peruanorum ad Occidentem vastissima regna nota fuerunt.

Quartò ad generalia Concilia indicenda, & totius orbis Episcopos, Primates, & Patriarchas conuocandos necessaria est vnius omnium Superioris authoritas, qua conuentus diuersissimis ex orbis oris, ac regionibus conuocetur; qui cùm nullus, ne per Europam quidem sit sæcularis (Imperatori enim vix Germaniæ Proceres obtemperant, nedum Hispani, Itali, Galli) erit vtiq; vnus Prælatus Ecclesiæ sacrorum Antistes, cuius omnia nutu & piæ voluntati debeant inniti. 4

Quintò: Ni vnus sit, qui vnitatem contineat, peribit Ecclesiæ vniformitas, (quemadmodum B. Cyprianus notauit) quisque enim quod sibi rectum iudicabitur, id in Ecclesiam introducet, consuetudines mutabit, & in errores labetur, quod Græcis, Armenis, Aethiopibus, aliisq; nationibus, postquam se à coniunctione Romanæ Ecclesiæ separârunt euenisse nouimus: Paulatim quippè in obliuionem venerunt plerorumq; Sacramentorum, permissúm vxorum repudium, in aliaq; id genus dogmata non minus vitiosa inciderunt, sicut rectè Græcis suis obiecit Bessarion, Hæretici quoque 5. *Libro de simplicitate Prælatorũ.*

huius nostræ ætatis, dum ab arctissima, sanctis-
simaq; Ecclesiæ coniunctione recesserunt, sta-
tim in varias sectas diuisi, & singulæ iterum
deinceps sectæ, in longè plures distractæ, & hæ
demũ in minutissimas partes ita dissectæ sunt,
vt vix pagum inuenias, qui omninò cum alio
in religionis negotio, ceremonijsq; consenti-
at. Neque id mirum: Dum enim caput vnum
non agnoscitur, & quisque iudicio suo fretus,
sibi intelligentiam arrogat Scripturarum, se-
que arbitratur non minus imbutum Spiritu
sancto, quàm alium, vel superintendentem,
vel hæreticum, vel Hæresiarcham, (Cur enim
illis ipse plus tribuat, quàm illi sanctissimis
Doctoribus Augustino, Hieronymo, Nazian-
zeno, totiq; omnium ætatum & temporum có-
sensui?) fit vt quod animo mala quadam liber-
tatis cupiditate deprauato, & ad vitia deflexo
bonum videtur, id quisq; sequatur, alijsq; am-
plectendum proponat.

Hæc agnoscunt aduersarij, ideoque non pa-
rum adlaborârunt pro capite constituendo.
Cumque non ignorarent Lutherani secula-
rem aliquem Principem à cæteris Germanis
in tantum honoris atq; potestatis locum non
admittendum, confugerunt ad Constantinopo
litanum Patriarcham, cui Principem Eccle-
siæ suæ locum deferre statuerant, si Augustanam
Confessionem suo calculo comprobatam sta-
biliuisset: Caluinistæ Turcarum Imperatorem
solicitârunt, vt potentissimi Principis autho-

rita-

rnate hæresis tecta conseruaretur. Sed nec Patriarcha suam fidē, nec Turca suam infidelitatem cum Hæreticorum perfido errore mutare voluerunt.

Ex his discere non obscurè licet ita esse necessarium in Ecclesia caput visibile, vt si nullum à Christo constitutum foret, vehementer optari ab omnibus oporteret. Tametsi namque Christus in Ecclesia nobiscum vsque ad consummationem sæculi se futurum addixerit: *Sitque in medio illorum, qui in Christi nomine conueniunt,* vt spirituali præsentia animos consoletur; & corporali per sanctissimam Eucharistiam, totum hominem reficiat: abest tamen præsentia aspectabili, qua coram consuli, responsa dare, atque in occurrentibus negotijs conueniri possit. Nam spirituum, quos cernere corporis oculis non possumus, suggestiones adeò nō debent semper omnibus fidē facere, vt Beatus Ioannes Apostolus dixerit: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Manifestum enim est, etiam nostris temporibus, *Satanam non rarò transformari in Angelum lucis*, cùm omnes Sectarij se iactent Spiritu DEI duci ac moueri, quamuis contraria maximeque pugnantia dogmata tueantur. Sicut igitur Rex procul discedens Regno, optimè consuleret ciuibus, si vices suas alicui in Regno ad subditorum vtilitatem committeret, ne diuturna responsorum dilatione, & itinerū, vbi intercipi possent, periculis,

Mat. 28. 20. *Matt.* 18. 20. 1. *Ioan.* 4. 1. 2. *Cor.* 11. 14

nc-

negotia detrimentum paterentur; maximè ſi certis rationibus & modis caueret, ne abuti ea poteſtate cum ciuium iactura valeat: Ita Chriſtum ab Eccleſiam in cœlos abeuntem, decebat Vicarium conſtituere, in Eccleſiæ ædificationem, qui prodeſſet omnibus, & bonis non obeſſet: Nulla eſt enim ratio, cur in externis & publicis rebus ſint Miniſtri Chriſti Reges, conſilio diuino inſtituti, quibus & honorem & obedientiam deferre iubemur, non ſolùm
a Rom. 13.5. propter iră, ne puniamur, ſed etiã propter conſcientiam, a ne peruicacis & inobedientis animi crimẽ incurramus, & non debent eſſe eiuſdem Miniſtri, atque Vicarij, quicœleſtia diuinaq; curẽt, quibus animę ſaluté conſequamur.

Quid quæſo ſequetur incommodi, ſi quod in omni Republ. eſt optimum, id etiam fateamur Chriſtum in ſua Reipubl. conſtituiſſe? Scripturæ enim ſacræ id non aduerſatur, quæ in vtroque Teſtamento nihil horum vlla vnquam cautione vetuit. In Iudæorum nempe
Ex veteri lege. Synagoga, in qua tanquam primis lineamentis maieſtas Eccleſiæ Catholicæ adumbrata fuit, vnus Aaron cum poſteris ſuis, præfectus eſt ſacris, illisq; rebus, quæ ad populi inſtitutionẽ, & ſpiritualem directionem faciebant, non modò vt Doctor, vel inſpector, vel cæremoniarũ curator; ſed vt verus cum imperio & autho-
b Deu. 17.12 ritate Princeps: b *Qui* (inquit lex) *noluerit obedire*
Ex Noua Lege. *Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur*. In Euangelio, quæ fuerit mens Chriſti in conſtituen-

da

da Ecclesiastica politia, vel ex ipsa Apostolorum ambitione intelligitur: quoties enim Saluator discessus sui ex hoc mundo mentionem feciſſet, statim vel taciti secum cogitabant, vel inter se disceptabant, *a quis ipsorum esset maior,* vel etiam, *b quærebant, quis maior esset in Regno cælorum?* in Ecclesia nempè quam nomine Regni cœlorum toties à Christo vocari audierant, adeoq; primatus iste animis rudium cogitationibusq; adhuc insidebat, vt nouissima cœna, cum audita mentione Proditoris, & mortis instantis, mœrore affici debuissent; *c* facta sit tamen *c contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Intelligebant enim necessarium esse Pastorem, qui Christo discedente vniuerso gregi præesset. Audierant illi quidem aliàs Petro dictum: *d Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* Sciebant quoque staterem *e* datum Christi, & Petri nomine, tributum in ciuitate Capharnaum, *f* qui à Patribus familiâs pro domesticis pendebatur, vnde videri poterat committendam Petro Christi familiam. Sed quod obscurius Christus sæpè loqueretur, varijsque parabolis veritatem regeret, non apertè intelligebant. Petrum ad hoc munus obeundum designari, donec post contentionem in postrema cœna his verbis Petrum compellaret: *g Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:* & post resurrectionem à mortuis iterum: *h Simon Ioannis diligis me? Pasce*

a Luc. 9. 46.
b Mar. 9. 34.
& Mat. 18. 1.
c Lu. 22. 24.
d Matth. 17. 18.
e Matth. 17. 24.
Hieronym.
f Mat. 7. 24.
D. August. quæst. 75.
Veteris & Noui Testamenti.
g Luc. 22. 32.
h Ioã. 21. 15.

agnos

agnos meos. pasce oues meas. Ex eo enim tempore nulla amplius controuersia, vel quæstione mota, B. Petro omnes primas detulerunt: & ipse Petrus curam commissi gregis agnoscens, officio suo non defuit. Itaq; *a* Matthiæ electionem ipse proposuit, & (vt Beda scripsit) duodenarium Apostolorum numerum integrauit. Ipse præ reliquis locutus est & cum alijs stetit: *b* *Stans*, inquit, *Petrus cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis*, tanquam Pastor pro grege: *Quàm est feruidus?* (ait *c* B. Chrysostomus.) *Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro Princeps est? vbique primus incipit loqui: vbique tacet: e Petrus verò etiam pro illo rationem reddit.* Ipse quoque primus miraculum edidit, *f* erecti claudi, cui membrorum integritatem restituit: & *g* Ananiæ, atque *Saphiræ* vxoris, neglectæ obedientiæ peccatum grauiter castigauit. Vnde Beatus *h* Chrysostomus notauit ad ipsius pedes, tanquam qui gregi vniuerso Pastor summus præesset, à Christianis venditarum facultatum pretium poni consueuisse. *i* Idem Petrus non sine significatione authoritatis, primus sententiam in Concilio Hierosolymitano dixit. *k* Idem primus ad Gentium conuersionem missus est, tanquam Pastor Gentium, non secus ac Iudæorum: quorum peculiarem, ad exemplum Christi Domini sui, curam gessit.

a *Actor.* 1.
b *Acto.* 2. 14.
c *Hom.* 3. *in Acta.*
d *Hom.* 87. *in Ioan.*
e *Hom.* 8. *in Acta.*
f *Act.* 3. 7.
g *Act.* 5. 5.
h *Hom.* 7. *ad* 1. *Rom.*
i *Act.* 15, 7.
k *Act.* 10. 20.
Galat. 2.

Nec parùm ad rem facit, quod Euangelistæ quoties Apostolorũ numerum describunt, tami-

tametsi nomina cæterorum non eodem sem- a *Marc.3.16.*
per ordine recensеant, tamen Petrum vna mẽ- *Luc.6.14.*
te, eademque sententia a primo loco enume- *Ioan.1,42.*
rando collocat: qua in re non vocationis est b *Mat.10.2.*
habita ratio (si quidem primus est vocatus *D. Augustt.*
Andreas) sed dignitatis: vnde etiam dixit Mat- *Tract.56.in*
thæus: *b Primus Petrus.* Eodem pertinet quod A- *Ioannem*
postolus Paulus c Hierosolyma venerit, soli c *Galat.1.18.*
us Petri visendi gratia, honorisq; eidem defe- *Chrysost.o.*
rendi. Extat apud* Clementem Romanum in- *Homil.87.*
signis adhortatio Apostoli Petri, qua inter cæ- *in Ioan.*
tera docet, non fuisse parem inter Apostolos in * *Epist.1.*
stitutionem, sed omnibus vnum à Christo Do- *Patres.*
mino præpositum, qui oues (de quarum nume- *Epistolis*
ro etiam ipsi erat) pasceret. *suis primis*

Quam doctrinam non modò successores Pe- d *Epist.1.&*
tri vetustissimi Pontifices Anacletus Epistola *in rescripto*
3. Melchiades, Alexander, Pius, Pontianus, An- *ad Orientales.*
therus, Cornelius, fortissimi Martyres: d Iuli- e *Ad D.*
us, e Liberius, f Leo, g Gregorius, sanctissimi *Athanasiũ*
Confessores, præclariq; Ecclesiæ Doctores re- *& Epist. apost*
tinuerunt, posteriq; per manus tradiderunt: *Aegypti.*
sed aliarum quoq; Ecclesiarum Præsules, ipsiq; f *Epist.84.*
h Imperatores Beatum Apostolum Petrum A- g *Li.4.ep.32*
postolorum Principem, decretis publicis nun h *Cod.de*
cupârunt. i Chrysostomus in hac re frequens *summa Tri-*
est, & Cyrillus vterque k Hierosolymitanus, *nit Vide.*
& l Alexandrinus, m Ambrosius, n Augusti- *Niceph.li.*
nus, & quotquot fuerunt Orthodoxæ fidei *12.ca.6.*
professores.

Esto i *homil.9.*

de pœnit.hom.2. in Psalm.50. hom.66. & 86. in Matth.5. k *Cate-*
chet.2.11.17.11.2. in Ioan. m *Serm.47.* n *Tract.56.in Ioannem.*

Esto igitur hæc QVINTA PROPOSITIO. Christus in Cœlos ascensurus visibili specie, substituit sibi Vicarium vnum, qui eius vice Ecclesiæ Catholicæ præesset, omnesque oues ipsius regeret & pasceret, nimirum Beatissimum Petrum, quem vt cæteris omnibus Christianis; ita Apostolis quoq; ipsis Pastorem præfecit.

SEXTA: Hanc porrò vniuersalis Ecclesiæ curam non ita personæ B. Apostoli Petri demandauit, vt eo mortuo potestas eadem non posset ad quempiam alium deuenire: sed (quod in alijs item ordinarijs officijs vsuuenit) vt ad successores, Ecclesiæ suffragijs designatos transmoueretur. Notum est quippe duo esse officiorum genera ordinaria, & delegata: Hæc cum persona, cui demandata fuerunt, cessant, penitusque intereunt; vt legati, commissarij, nuncij: Illa verò eo vita functo, cui primùm delata fuerunt, successorem postulant, vt Pastor, Episcopus, Dux, Rex. Et quidem quod ad cæteros Apostolos attinet, fuerunt illi quidem Pastores atque Episcopi locorum illorum, ad quæ diuina voluntate missi, ibi vitam finierunt: quibus etiam in locis nacti sunt homines, qui inde mortuorum loco fuerunt suffecti, nimirum Archiepiscopos, & Episcopos: Andreas in Achaia, Iacobus Hierosolymis, Ioannes in Asia, &c. Apostoli verò, seu Legati à Christo missi ad vniuersum terrarum orbē, summa, & eadem prorsus, qua Beatus Apostolus

Duo officiorum genera.

lus Petrus, authoritate & potestate fuerunt, (sicut rectè à Beatis *a* Anacleto, *b* Cypriano, *c* Athanasio, *d* Ambrosio dictum est) his duobus tantummodò demptis, altero quod cæteris Apostolis Collegis suis non præessent: Altero, quod orbis non essent Episcopi, seu Pastores: sed Apostoli, hoc est Legati, quorum videlicet in totum orbem potestas non erat ordinaria, sed demandata, carens successore: Petrus verò & Princeps fuit Apostolorum, & totius Ecclesiæ ordinarius Pastor.

a *Epist. 2.*
b *De simplicitate prælatorum.*
c *Epist. ad Liberium.*
d *in 2. Cor. 12.*

Quæ discrimina Christus Dominus non obscurè significauit, quando *e* diuersis loquendi formulis ad Petrum atq; ad reliquos Apostolos est vsus: De omnibus quidem agens vsurpat nomen Apostoli & missionis. *f Ecce ego mitto vos.* Et: *g Non est Apostolus maior eo, qui misit eum.* Vnde à missione, seu legatione Apostolos seu Legatos appellauit. Meminit quoque functionum; docendi omnes gentes, baptizandi, ligandi, soluendi, peccata remittendi & retinendi, &cæt. quæ de commissione sua per vniuersum orbem, vt Legatos facere voluit. Petro verò loquens plurium curam committit nempè omnium omninò ouium suarum, de quarum numero erant ipsi quoq; Apostoli, de quibus dixerat alibi Pharisæis. *h Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me.* Et vocibus vtitur quæ permanens atq; perpetuum officium designant Pastoris nomine

e *Ioan. 13. 6. & Lu. 6. 14.*
f *Mat. 10. 6.*
g *Ioã. 13. 16.*
h *Ioan. 10. 27.*

atque Rectoris, *a Pasce oues meas, rege oues meas,*
2 Ioan. 21. 15. *Tibi dabo claues,* quod principibus sit in Republ. & Patribus familias in familia. *Tu es lapis seu saxum, & super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam.*
Matth. 16. 18. Fundamentum manet quandiu subsistit ædificium.

Et quidem non immeritò, neque sine ratione plenissima charitatis & affectu in genus humanum verè paterno, hoc B. Petri Apostolii officium voluit Deus esse perpetuum, cùm id instituerit non ad Petri commodum, vel gloriam, sed ad ouium suarum, dilectæque Ecclesiæ vtilitatem. Ecclesia sanè futura erat stabilis, & diuturna ad consummationem vsque
b Ioan. 10. 16. sæculi, erantque *b* aliæ multæ oues, necdum hoc ouili comprehensæ, quas adduci eodem oportebat; quibus non minus pastore fuit opus, atque primis illis Christianis. Si eadem ergo causa hoc tempore locum habet, quæ vnum Pastorem totius Ecclesiæ postulat, volue-
c Ioan. 17. 20. rit vtiq; Christ[s], qui *c* pro futuris quauis ætate Christianis Patrem rogauit, eisq; optimè prospectũ desiderauit, non in vnam hominũ ætatẽ sed ad finem vsq; Christianæ hic in terris militiæ Beato Petro Apostolo succedere Pastores Ecclesiæ, Summosq; Pontifices: qui, sicut ille Princeps fuit Apostolorum, ita hi Principes sint, supremiq; Patres omnium Pontificum, atque Episcoporum.

Ratio successionis. Vt porrò non lateat quis ille sit, inspicienda est successionis ratio, quæ talis esse consueuit,

vt is

vt is succedere dicatur; qui in demortui locũ sufficitur: sic namque cæteris Apostolis sui fuerunt successores, per orbem Christianum, quos Ecclesiasticæ Historiæ scriptores plerosque nominibus suis expresserunt B. Petrum Apostolum Romam Antiochia migrasse, & quidem diuino iussu: ibiq; mortem oppetijsse; non solùm a Marcellus Pontifex martyr (qui Petri sedem Domino iubente Romam translatam esse scribit) & b Egesippus Apostolis vicinus, atq; c B. Ambrosius testes sunt locupletes: qui historiam nobis reliquerũt Christi occurrentis Petro, cùm Neronis persecutionem, Christianorum rogatu declinaret: Rogantiq; Domine quo vadis? respondet is, Romam iterũ crucifigi: quibus verbis intellexit Apostolus, sibi Romę Crucẽ parari, quâ de voluntate sui Domini esset cõscensurus. Verũ (quantumuis pertinaciter omnes omniũ temporũ historias inficientur hæretici,) scriptores tum historici, tum Ecclesiæ Doctores, qui Beatũ Petrum Romæ & sedisse, & martyrio cum B. Paulo coronatũ fuisse diserte affirmant. Testantur hoc quoque eorum sacri cineres, qui non alibi, quã Romæ asseruantur; & loca passionum beati Pauli ad tres fontes, B. Petri in Vaticano. Est igitur Petri successor Pontifex Romanus, seu veteris Romæ non Constantinopoleos seu nouæ Romæ: vbi Petrus nunquam sedit, & quæ trecentis annis demũ post Christi mortẽ in Archiepiscopatũ est erecta, tẽporibusq; Bonifa-

a *Epist. 1.*

b *l. 3. exci. Ierosol. c. 2.*

c *Oratione de Basilicis tradendis.*

cij tertij Pontificis,& Phocæ Imperatoris sub annum Domini 605. primum locum post Romanam Sedem adepta;quod sub Leone primo in Chalcedonensi Synodo magna contentione Græci ambiuerant. Non item Alexandriæ,vbi non Petrus, sed Marcus Petri discipulus à Petro missus,in Pontificatu diem suum obijt. Nó Antiochiæ, vbi, migrante Romam Petro, nemo vnquam Episcoporum, primatum orbis sibi arrogauit, tertio loco post Romanum Patriarcham contentus. Non denique Hierosolymorum,qui primum habuerunt à B.Petro (inquit Chrysost.) totius orbis Magistro, præpositum Episcopum Iacobum fratrem Domini, B.Petro ipsi subiectum, etiam dum Antiochiæ præesset. Vnde & in hodiernũ diem Hierosolymitanus Patriarcha Antiocheno paret.

Act.16.

Hom. 87. in Ioan.

Hoc idem fatentur Patres & historici,a Ireneus,b Eusebius, c Augustinus, d Optatus,&c. qui dum seriem Romanorum Pontificum recensent, omnes à B. Apostolo ordiuntur, e D. Cyprianus, f Hieronymus, g Ambrosius, h Athanasius, Romanam Sedem, Petri Cathedrá, Eccleſiarum matrem: Romanum Pontificem, Piscatoris Petri successorem, & Rectorem Ecclesiæ,quæ est Domus Dei,appellant.

a Li.3.c.3.
b lib.5.c.6.
c Epi.165.
d Li.2. contra Dona.
e In multis Epistolis.
f ad Dam.
g in 2.Tim. 3.
h Epist. ad Felicem.

Constat ex antiquissimorum Romanorum Pontificum epistolis atque decretis, hanc eos sibi successionem vsurpasse, authoritateque in omnes orbis vniuersi Episcopos vsos fuisse, Præsules confirmasse, Patriarchas ipsos cómunione

nione priuasse, de sedibus suis deiecisse, exclusos restituisse, causas ab alijs dijudicatas ad se reuocasse, bonorum Episcoporum, qui calumniam patiebantur, patrocinium suscepisse; eaque omnia semper egisse, ad quæ soli illi incũbendum est, cui rerũ summa, suprema q; administrãdę Ecclesię potestas est permissa: idq; perspicuè ex ijs literis videre est, quas ad varias orbis partes, etiam primis illis temporibus, multò ante Constantinum, scripserunt Anacletus, Euaristꝰ, Alexãder, Sixtus I. Higinius, Pius I. Eleutherius, Zepherinus, Calixtus, Fabianus, Melchiades sanctissimi Episcopi & Martyres. Hi sanè, qui vitam cum sanguine pro Christi confessione profuderũt, nihil sibi arrogassent alienum, nihilq; præter Christi Domini mentem vsurpassent, nisi hoc sibi officij à Christo delatum commendatumque esse probè nouissent: &, si fortè ea erant quidam impudentia, & hoc agere minus fuisset veriti, non defuissent tamen alij vel Episcopi, vel Principes, vel doctores, qui authoritate, potentia, scriptis, hunc Romanorum Episcoporum conatum repressissent. At verò nemo hactenus fuit Catholicus, vel Princeps, vel Præsul, vel Scriptor, qui mendacij, aut malæ fidei Romanos arguerit: Quin potius ad ipsos Episcopi, primarumque Ecclesiarum Patriachæ, ab aduersarijs oppressi confugerunt, D. Athanasius Alexandrinus ad Felicem. B. Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus ad Innocentium: Calendion An-

tiochenus ad Felicem: Stephanus Afer cũ tri-
Lib.3.ep.13. bus Africanis Concilijs ad Damasum. Beatus Cyprianus Stephanũ Pontificẽ rogat, vt Martianũ Arelatensẽ Episcopatu deijciat, aliumq; eius in locũ sufficiat Aurelianus Imperator iussit Dominũ Antiochię, in locũ Pauli Samolateni suscipi, quẽ Romanꝰ Põtifex ei subrogârat.

De potestate Romani Pontificis. Quia porrò de Ecclesiastica potestate ita loquuntur aduersarij, vt eam velint sola prædicatione verbi diuini, & Sacramentorum administratione contineri: considerandũ nunc erit, quã Christus Vicario suo Beato Petro, successoribusq; eius authoritatem commiserit. Hoc autem aliquo pacto ex Christi Domini immensa in Ecclesiam charitate, summaq; eius sapientia cognoscemus. Voluit Christus fideles suos ad æternã fælicitatẽ, ad quam hoc vitæ spatio piè transacto consequendã creati erant, per Vicarios suos in via salutis, ne aberrarent, dirigi: quamobrem talem eis potestatem dedit, quæ ad hanc rem vel necessaria, vel vtilis
Duo necessaria. fore videretur. Duo verò sunt, quibus in cœlestẽ patriã ducimur: fides recta, & Christiani mores. In his igitur Christus, vt Ecclesiæ filij probè instituerentur, Vicarijs suis de auxilio prospexit. Error in fide, vt grauissimũ est malũ, ita facilè multisq; modis in eum incurritur, ingeniorum temeritate, quæ ad intelligẽtię iudicijq; examen omnia reuocant, & expẽdũt; & prauitate humana, quæ ad cupiditates suas omnia trahit & æstimat. Opus itaq; fuit

certam

certam constituere normam, & Iudicem veracem, qui & clarè ediceret omnibus credenda, & qui corrumpi, mutilari, detorquerive in alienos præposteroſque ſenſus ab alijs non poſſet. Ipſam Scripturam ſacram non eſſe hunc iudicem, ex varijs, qui in ea nitũtur erroribus, cuiuis manifeſtum eſſe debet: quam ſi ſolam nobis Chriſtus Iudicem reliquiſſet, hoc Iudice non ſatis prouiſum & conſultum fuiſſet Eccleſiæ; quòd (vt eſt res ſine anima, vel ſenſu) in varias pugnanteſque ſententias diſtracta, nihil queratur, nullóve externo iudicio ſe in falſum improbumque ſenſum detorqueri, & vſurpari coarguat. Viuum igitur hunc Iudicem eſſe conueniebat, qui ſuæ mẽtis eſſet interpres, erranteſque corrigeret.

Et quidem penes Eccleſiam Catholicam eſt iudicium veritatis: ſed quod ea per vaſtum orbem diffuſa, ſine grauiſsimis incommodis vnum in locum coire nequeat, & pro re nata quæſtiones difficiles non rarò exoriantur, neceſſum erat maiori compendio Chriſtianorũ commodis, fideique integritati proſpicere.

Chriſtus igitur ſumma ſapientia & charitate, vnum iudicauit in Eccleſia conſtituendum nominandumq; hominem, cui ſic ſuã pręſentiã, Sanctiq; Spiritus gratiam addiceret, vt de Quæſtionib. fidei & religionis diſcernens, nunquam erraret: ſed fidẽ ab Apoſtolis plantatam, inuiolatã, integrãq; ſemper cõſeruaret: Ad quẽ in dubijs recurrerẽt omnes, doctrinã

ſuam ad eius fidem collimarent, & eius, quem non poſſe errorem proponere noſſent, ſententiam ſequerentur.

Conſtantia in fide.

Hoc quidem tanto priuilegio donati fuerunt primis Eccleſiæ initijs Apoſtoli omnes, atq; Euangeliſtę, quando ſeminandum erat per orbem terrarum, & diuulgandum Chriſti Euangelium, vt conformis eſſet atq; conſentiens omnium doctrina, quam maior eorum pars ſine ſcriptis tradidit. Sed plantata vbiq; iam fide, ſufficiebat vnus (ad occultandũ miraculũ, & humilitatis obedientiæq; augendum in cæteris meritum) qui Chriſti vice, Doctor Eccleſiæ, Catholicam fidem tueretur, hęreſes omnes damnaret, & in ſe conuerſos haberet cæteros: à quo tanquam Dei Vicario, Chriſti ſententiã & veritatem omnes expeterent. Hunc ſanè non conueniebat alium eſſe, quàm illum hominem, cui cura totius Eccleſiæ cõmitten da erat, Beatum Apoſtolum Petrum, eiusq; ſucceſſores. Et ne dubitationi in quoquã locus relinqueretur, non erat tale donũ ſanctitati, doctrinæ, alijve id genus qualitati, totiuſve corporis vel animi alligandum, (quæ vtrum in homine ſit, ab alijs plerumque ignoratur) ſed homini ipſi, & officio: vt quiſquis in ea B. Petri Cathedra ſederet, ſeu pius, ſeu ſceleratus, ſeu doctus, ſeu imperitus, ſeu nobilis, ſeu obſcurus, dummodo ex officio pronuntiaret, Chriſtum haberet directorem.

O magnum beneficiũ in Chriſtianos collatum,

tum, quod cum summis beneficijs Dei merito conferatur: esse hominem in terris similem nobis peccatorem, quem in gratiam nostri Deus constituit veritatis suæ testem, sententię interpretem, & Christiani populi doctorem, cuius linguam sic mouet, vt non fallat: sermonẽ sic moderatur, vt errorem non doceat: calamum sic temperat, vt hæreses destruat: & hæc quidem non tam in hominis illius gratiam, quandoq; fortasis improbi, flagitiosi, & nullius pensi; quam Christi fidelium & electorũ, in quos beneficia sua omnia retulit Deus: *Omnia* (inquit Apostolus) *propter electos.* 2. Tim. 10.

Fatemur siquidem fieri posse, vt Petri successor Idola colat (quod B. Marcellinum feciſſe aiunt:) apud se fortè de fide non rectè sentiat, adeoque Diabolicis artibus operam nauet; quę vt sunt hominis peccata, ita nobis Dei benignitatem clarissimè testãtur, qui per tam putidos canales, sua ad nos dona transfundit, hoc vnum cogitans, vt commoda habeamus, cuiusmodicumq; tandem illi sint, per quos habeamus. Sed id constanter negamus, Vicarios Christi, Petriq́ue successores Romanos Pontifices, vel hæresim docere alios posse, vel errorem proponere.

Non condunt igitur illi nouum vllum fidei articulum, sicut hæretici calumniantur: neq; fidem nouam Christianis proponunt, à maioribus suis non acceptam: sed diuini Spiritus præsentia & ope, singulariq́ue beneficio, sic in

Apostolica fide retinentur, sanamque doctrinam conseruant, vt ex officio Christianos doceant, quid pro dogmate fidei sit hactenus creditum, & ab omnibus credendum, quid pro errore reijciendum.

Hanc Romanorum Pontificum constantem fidei doctrinam, duobus potissimum Scripturæ locis docuerunt Patres: alter est Lucæ 22.

Luc. 22. 32. *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* De qua, præclarissima quædam extat in Epistola S. Marci 1. Pontificis ad B. Athanasium & cæteros Episcopos Aegypti sententia: *Sancta* (inquit) *Romana Ecclesia semper immaculata mansit, Domino prouidente: & Beato Petro opem ferente in futurum manebit sine vlla Hæreticorum insultatione firma. Hæc est sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi, Ecclesia quæ per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis, nunquam errasse probatur, nec Hæreticorum nouitatibus deprauanda succubuit. Sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab authoribus suis, Apostolorum* CHRISTI *Principibus, illibata fine tenus manet, secundum ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem qui discipulorum suorum Principi in sua fatus est Euangelijs: Petre, inquiens, Ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos sicut qui cribrat triticum, ego autē pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Similia videre est in Epistola illa Agathonis, lecta in sexta Synodo Constantinopolitana, cui Romæ 130. Epi-

scopi

scopi, cum legatis Synodorum Galliæ, & Angliæ subscripserant: neque quisquam fuit Patrum sexti illius generalis Concilij, qui non summa veneratione literas tanti Pontificis susceperit. Damasus Episcopis Numidiæ: Iulius Episcopis Orientis: Euaristus martyr Episcopis Africanis, eadem inculcant: eademque agnoscunt trium Conciliorum AFRICAE Patres in Epistola illa insigni, quam ad Damasum Pontificem dederunt. *Act. 4.* *Epist. 4.*

ALTER locus est Matth. 16. *Ego dico tibi, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Syris (quorum lingua locutus est Dominus) eadem est vox sine generis mutatione כֵּיפָא quod est saxũ vel lapis ingens, vt dixerit Christus: *Tu es saxum, & super hoc saxum ædificabo Ecclesiam meam*, hoc est (sicut veteres omnes interpretati sunt) super Petrum, seu (vt ait D. Chrysostomus) super te B. Hieronymus, *super vnum montium*, ait, *fundauit Ecclesiam Dominus, & loquitur ad eum, Tu es Petrus, &c. Petrus Apostolorum Princeps fuit, super quem Ecclesia* DOMINI *stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur*: Origenes affirmat, *super Petrum, tanquam super terram, à* CHRISTO *fundatam Ecclesiam.* Appellat *Petrum magnum Ecclesiæ fundamentum, petramque solidissimam*. Idem scripsit Beatus Gregorius Naziazenus oratione de modestia *Hom. 55. in Matt. Isaiæ 2. Matth. 16. 18.* *Lib. 1. cõtra Pel. & in c. 6. Rom.* *Hom. 5. in Exod.*

modestia in disputationibus seruãda, & a Tertul. aduersus hæreticos. B. b Cyrillus Alexandrinus docet, *in Petro tanquam in Petra lapideque firmissimo Ecclesiam à Christo ædificatam* c B. Basilius, *Petrum piscatorem, quia fide præstabat, Ecclesiæ in se ædificationem suscepisse* d D. Hilarius, *ô in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, digna ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret!* e Diuus Ambrosius vocat *Ecclesiarum petram, qui tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat.* B. f Cyprianus in hac re multus est, præsertim ad B. Cornelium scribens, neq; dicere veretur, *super Petrum Christi Ecclesiam à Domino fundatam.* Eodem modo loquitur g B Augustinus in concionibus suis, quas ad populum habuit, aliisque in locis: & in Retractationibus agnoscit illud Ambrosianum, etiam illo tempore passim decantatum de gallo gallinaceo. *Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit.*

a *Lib. de præscriptionibus hæreticorũ.*
b *lib. 2. in Ioannem.*
c *lib. 2. de Spiritu Sancto.*
d *in ca. 16. Matth.*
e *Sermone 47.*
f *de simpl. prælatorum ad Iubaianum. tract. 2. de habitu virginum, exhortatione ad martyrium* g *Serm. 16. 26. 29. de Sanctis. Sermon. 124. de tempore. in Psalm. 30. 39. lib. 1. retractationum capit. 22.*

Pontificium Romanorũ plurima, locupletissimaq; testimonia superuacaneum est adducere: qui nunquam prætermiserunt ad suæ authoritatis confirmationem hæc Christi verba adferre: h Leo, i Gregorius, & vetustiores, qui ante Constantinum sanguine suo Ecclesiam rigârunt.

h *Epi. 29.*
i *l. 4. epi. 32. l. 6. epist. 37.*

Hæc

Hæc porrò cùm audimus, non est existimãdum, super homine fragili, peccatore, mutationibus, inconstatibusque consilijs & sententijs obnoxio, constitutam Ecclesiam (sicut rectè dixit B. Gregorius, atque ante ipsum B. Chrysostomus) sed super fide Petri, hoc est in Petro fideli, quem fidei Petram B. Hippolytus nominauit. Hac enim donatus est gratia cum successoribus suis B. Apostolus Petrus, vt ad Ecclesiæ totius commodum, in fide immobilis consistat; atque ad Romanæ Sedis fidem & doctrinam vniuersa per orbem Ecclesia, fidem suam religionemque conformet: & hoc quidem vsque adeò, vt qui ab hac fide B. Petri Romanæque Sedis discedunt, in errores abeant alienissimos, & ab Ecclesia Catholica vehementer aberrent: sicut iampridem Græcos, AEgyptios, & Afros, ceterosque cùm Schismaticos, tum Hæreticos fecisse suprà diximus: quam primum namque ab aliquibus ea fides deseritur, quam prædicat Petri successor, excidunt illi à communione societate; fidelium, perit illis Ecclesia, quæ in hac fide innititur: & quorum cœtus prius nomine Ecclesiæ honorabatur, nunc dici debet Synagoga Satanæ.

In Psal. 101. Homil. de Pẽtecost. lib. de consummatione mũdi.

Hoc Priuelegium Romanæ Sedis etiam ista ratione confirmatur, quod in tanto Pontificũ numero qui B. Petro successerunt, ne quidem vnus ad hunc vsque Gregorium XIII. adduci potuerit, qui vel hæresim docuerit, vel in

Nullus Pontifex hæreticus fuit.

in errorem sit lapsus. Multos nouimus in aliis sedibus Hæreticos, Sergium, Macedonium, Nestorium, Paullum, Pyrrhum Constantinopoli: Paullum Samosatenum, Seuerum, Petrum Gnaphæum, Macarium Antiochiæ: Dioscorum, Cyrum Alexandriæ: *a* Hilarionem cũ aliquot *b* Cyrillis Arianos, Macarium Origenistam Hierosolymis: qui hæreses, vel inuenerunt, vel secuti sunt, & communibus generalium Synodorum decretis communione fidelium priuati & excluſi, Sedibusque suis dejecti fuerunt: Romana Sedes nihil eiusmodi est passa: *in qua extra maculam* (inquit S. Eusebius Pontifex Martyr) *semper est seruata Catholica religio*; & ante Eusebium B. Sixtus item Martyr, *c memor sum* (ait) *me illius nomine præsidere Ecclesiæ, cuius à Domino* IESV CHRISTO *glorificata est confessio, & cuius fides nullum vnquam fallit, sed omnes Hæreses destruit.*

a Epiph. hær. 66.
b Hieronymus in Chronic.
Epist. 1.
c Epist. 3.

Quæsitum est à multis diligenter, nominatim verò ac maximè à Græcis, Romani principatus æmulis, & plerisque Hæreticis, laboratumque grauiter, vt vel minimus error in Romano aliquo Episcopo deprehenderetur, & id quidem non sine crimine fraudis ac mendacij. Accusatur Sanctissimus Pontifex Liberius Arianismi ex corrupta historia *d* Damasi; quem B. Athanasius eiusdem ætatis Alexandrinus Episcopus mirè prædicauit; & post ipsum D. Ambrosius *f* laudauit: *g* Epiphanius Beatum,

d In Pontificali.
e ad solitari vitam decentes.
f lib. 3. de virginit.
g Hæresi 75.

a San-

Sanctus Basilius Beatissimum appellauit; & Romana Ecclesia in Sanctorum numerum retulit. Sparserant enim mendaciter Ariani (vt est apud b Sozomenum) quod ad ipsos transisset. Adfertur Honorius vir integerrimus, & qui viuens nullius vnquam criminis, nedum hæreseos, fuit accusatus, quem propter inuentam post obitum epistolam quandam ipsius sigillo signatam c Synodus 6. Constantinopolitana dicitur hæreseos Monothelitarum damnasse; quam à Græculis postmodum vitiatam esse, vel ex eo constat, quod in eadem Synodo palam lecta, atque à Patribus omnibus approbata fuerit Agathonis Pontificis Epistola, qui inter alia etiam hæc de Romana Ecclesia scribebat; d *Quæ per* DEI *omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ Traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus depranata succubuit: quia dictum est Petro, e Ego pro te rogaui, vt* e *Luc.* 22. *non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Hic Dominus fidem Petri non defuturam promisit & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est cognitum.*

a *Epist.* 74.

b *lib.* 4. *c.* 14

c *Actione* 13 & 18.

d *Actio.* 4.

Nouum enim non est à Græcis hominibus diuersis erroribus imbutis, generales Synodos violari, quos constat ex 72. canonibus celeberrimi illius Niceni primi Concilij 52. erasisse, eos præsertim, qui penes Romanos Pontifices esse primas ecclesiæ testimonio luculento asserebant, atq; (vt patet in sexta Synodo generali)

Ep. 1. *Mar.* & *Iulij.*

rali) quintum Concilium vniuersale additio-
Actio.14. nibus Hæreticis vitiasse, adeoque Vigilio Pontifici Hæreticam Epistolam affinxisse. Cùm enim non rarò Sedes illæ primariæ Græcorum Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, ab Hæreticis obsessæ atque occupatæ fuerint, non fuit difficile scripta Patrum corrumpere, quæ apud A-
Epi. Zozim ad Afr. Leo 2. Epi 82. postolicam sedem Romanam, nullis vnquam hæresibus deprauatam, asseruabantur illæsa. Questi sunt de hac infidelitate suorum ipsimet Græci in Concilio Florentino, & Anastasius præfatione in octauam Synodum.

Anastasius secundus accusatur, tanquam Acatio hæretico familiaris, qui tamen ante eius electionem è viuis decesserat. Gratianus imperitè fabulatur Pontificem hunc ob Hæresim fulmine ictum perijsse, cùm non Anastasius Pontifex, sed Anastasius Imperator Hæreticus, vt est apud Paulum Diaconum, fulmine sit extinctus. Denique accusatur Pelagius primus & plerique alij, varijs de causis: sed quàm iniquè, Paschalis secundus eius nominis Pontifex, temporibus Henrici quinti imperatoris satis manifestum fecit: Cùm enim in Lateranensi Synodo obliquè à Brunone Sigino Episcopo hæreseos, ob priuilegium de pontificis electione Imperatoribus concessum notaretur, respondit his verbis: a *Fratres, Ecclesia ista*
a Abbas Vrspergensis in Chronic. *nunquam habuit hæresim, imo & per hanc omnes contritæ sunt hæreses: pro hac Ecclesia filius Dei orauit, cũ diceret,*

a ego

a *ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* a Luc. 22. 32.

Et si hæresim admisissēt Cathedra Petri, nō id tacuissent historiæ, non siluissent sacri Doctores, Hæreticorum omnium infectatores acerrimi, Romæ aliqua religionis mutatio secuta esset: Iam autem veteres omnes certissimi sunt testes, ne vnum quidem Romanorū Pontificum à suis maioribus in fide & religione quicquam variasse. Omnes iubent in fidem Romanam intueri, eam sequi, ab ea ne latum quidem vnguem recedere. Ita statuerunt Gratianus, & Theodosius Imperatores: Ita D. Hieronymus: Ita Patres octo generalium Conciliorum, qui ad sua decreta Romani Pontificis calculum accedere desiderârunt: sine cuius authoritate sciebant nihil firmum constitui posse, & nihil ab eo sciebant confirmari, quod non esset vsquequaque verissimum. Solis Hæreticis errant Pōtifices, per quos suas illi blasphemias dolent aperiri, conuinci, dānari. Ita quondā Ariani grauiter querebātur Conciliā sua per Iulium dissolui, & irrita fieri: tametsi enim non parum detestarentur hanc Romani Pontificis authoritatem: ob summam tamen, quæ apud omnes tunc de Cathedra Petri erat, opinionem, & dolebant sua dogmata ab ea damnari, & omnibus viribus adnitebantur, blanditijs, minis, exilio Beatissimum Liberiū in suam sententiam deducere. Et hæc quidem de his, quæ ad synceritatem fidei in Ecclesia retinendam Vicario Christi collata fuerunt.

Nicephor. li. 1. ca. 4. & 6.

In rescripto Orientalium ad Iuliū I.

Potestas Iurisdictionis.

Quod verò ad vitam, moresque Christianorum attinet; quibus in cœlum tendimus, necessum erat B. Petro omnem illam authoritatem concedi, qua & mali mores cohiberẽtur, peccataque tollerentur, & boni inducerentur, ipseq; perfectionis status adiri, & retineri posset: Quò enim Superiori plus potestatis in subditos committitur, eò commodius, faciliusq; ad omnem officij probitatisque rationẽ diriguntur. B. Chrysostomus non veretur dicere, *eam ad omnem potestatem, quam Christus Dominus à Deo Patre in Ecclesiam acceperat, ab ipso Apostolis communicatam, & in Apostolorũ successores transfusam.* Amplissima est igitur potestas Beati Petri, successorumq; eius, non in sola prædicatione verbi, & Sacramentorum administratione consistens, sed etiam in ijs, qui germanam, veramq; religionis institutionem amplecti volunt, in Ecclesiam admittendis, reijciendisque ijs, qui conscientiam scelere cõtaminârunt, nullamque vitæ melioris spem ostendunt: in peccatis item remittendis, ijsque qui deliquerint corripiendis puniendisque. Est quippe Petrus nõ solùm præco Euangelij, seu minister verbi, sed verus Ecclesiæ Pastor, verus Christianorũ Antistes, verus orbis Princeps: a *Constitues eos* (ait Dauid) *Principes super omnem terrã.* Hoc Christus significare voluit nomine clauium, b *Tibi dabo claues regni cælorum*: nempe omnem potestatem in Ecclesia, vt quiduis aperias & claudas, peccata, censuras, aliaque id genus vincula dimit-

Li. 3. de Sacerdotio.

a *Psal. 44. 17.*

b *Matt. 16. 19.*

tas

tas & retineas habebiturq; id ratum in cælis, quod tu vel ligaueris, vel solueris in terris. *Hilar. can. ne 16. in Matth.*

Post resurrectionem committens B. Petro Christianorum curam, a *pasce* (inquit) *agnos meos, pasce oues meas.* Quo loco obseruandum est, in trina illa commissione, tres esse Græcis diuersas sententias. In prima enim sic dixit: Βόσκε τὰ ἀγνία μου: *pasce agnos meos.* In secunda: ποίμανε τὰ πρόβατά μου: *rege oues meas.* In tertia: Βόσκε τὰ πρόβατά μου: *pasce oues meas*, significauit Christus agnos, hoc est, teneriores Christianos, pascendos, præbendum eis pabulũ, suauiter gubernandos: Solidiores verò nõ modò blandè tractandos, sed pro meritis etiã seueriùs corripiẽdos: hoc enim significat vox ποίμανε, qua etiam vsa Scriptura in Psal. b *Dominus regit me*: c *Reges eos in virga ferrea*: d *qui regis Israel, intende*. Data est ergo potestas arguendi, corripiendi, castigandi. Sanè B. Paulus magna authoritate in Christianos vtebatur: e *In prõptu habẽtes vlcisci omnẽ inobedientiã: & quid vultis, in virga veniã ad vos, an in Spiritu mansuetudinis?* B. Petri potentiã experti sunt f Ananias & Saphira.

b *Psal. 22. 1.*
c *Psal. 2. 9.*
d *Psal. 79. 1.*
e *2. Cor. 10. 6.*
f *Act. 5. 5.*

Itaque quod pastor in oues, vel paterfamilias domi suæ, id omne potest Petrus in Ecclesia: Admittere, excludere, offensas Dei ignoscere, cõmunia bona dispẽsare, nõ externa modò, quæ Ecclesijs donata sunt, sed spiritualia quoq;, quæ in Ecclesiæ thesauris ex Christi, Sãctorumq; meritis adseruãtur: pertinaces corrigere,

rigere, pœnas imponere, ad officium hortari & cogere, impedimenta sanctioris vitæ remouere, alios in auxilium correctionis impiorũ inuocare, atque impellere. Parere verò tenentur omnes, qui de numero ouium Christi haberi volunt, atque in familia Christi censeri: cui B. Petrum Dominus præfecit, seu Ecclesiasticus ille sit, seu sæcularis, seu diues, seu mendicus, seu Princeps, Rex, Imperator. Quid D. Ambrosius egerit Theodosio Imperatori, refert *a* Theodoretus: *b* B. Ignatius scripsit, à militibus, principibus, ipsoque Cæsare Episcopo obediendum: *c* Chrysost. publicè pro concione dixit, Regem esse Sacerdoti subiectum, atq; à Sacerdote pendere. *Se quoque in ipsum Imperatorem diademate redimitum, excommunicationis sententiã laturum, si à praua iurandi consuetudine non abstineat.* Pulchrè Gelasius Pontifex Anastasio Imperatori his verbis: *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tantò grauius est pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum, in diuino reddituri sunt examine rationem.* Denique Christiani omnes, qui vnquam extiterunt, agnoscunt, d *à Christo totius orbis* (vt ait Theophylactus) *ouium præfecturam B. Petro commissam, eumque à filio Dei super omnes, qui filij sunt, potestatem accepisse, non vt Ieremiam in gente vna* (ait e D. Chrysost.) *sed in vniuerso orbe*. Eleganter cecinit f B. Prosper Aquitanicus aduersus Pelagianos.

a *Lib. 5. cap. 17. & 18.*
b *Ep. 6. ad Philadel.*
c *Hom. 3. & 26. ad pop.*
d *Ioan. 21. 15.*
e *Hom. 55. in Matth.*
f *Li. de ingratis cap. 2.*

—*Pestem*

——Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non continet armis,
Religione tenet.

Quæ alibi sic exposuit: a *Roma per Apostolici Sacerdotij principatum, amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.* b B. Leo Pontifex: *Ciuitas Sacerdotalis & regia, per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsidens religione diuina, quàm dominatione terrena,* c S. Bernardus Eugenio sic loquitur: *Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex: Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.*

a *Lib. 2. de vocatione gentium, cap. 16.*
b *Ser. 1. de Apost. Petro & Paulo.*
c *Lib. 2. de consideratione.*

OBIECTIONES HAERETICORUM.

PRIMA.

Vetustissimi Scriptores, Anacletus, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, &cæt. affirmant Apostolos omnes pari consortio præditos, eandem potestatem accepisse: cum igitur (vt Patres loquuntur) Episcopi succedant Apostolis, par erit omnium Episcoporũ potestas.

Clemens Epist. 1. Anacletus epist. 2.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia: Superius quippe dictum est, in Apostolis duo fuisse: alterũ, quod Apostoli Christi, hoc est Legati erant: alterum, quod Episcopi, seu Pastores. Hoc cõ-

tinet ordinarium officium, atque in succeſſores tranſit: Illud autem, cùm ſit perſonalis cõmiſſio, moritur cum perſona Legati. Succedũt ergo Epiſcopi Apoſtolis Paſtoribus in Eccleſijs, vbi ex hac vita migrârunt, quarum fuerunt ordinarij Paſtores: non autem vt Legatis, quibus in orbem vniuerſum data fuit authoritas. Deinde, quod dicunt Patres parem fuiſſe Apoſtolorum omnium poteſtatem, hoc de illa intelligẽdum eſt poteſtate, qua in alios omnes vtebantur, non autem de illa, qua in reliquos Apoſtolos, in quos ſolus Petrus authoritatem acceperat, atque in Eccleſiam vniuerſam officium Paſtoris ordinarium.

Apoſtoli vt fuerint pares.

SECVNDA.

Nihil dictum eſt Petro, quod non ſimiliter Apoſtolis reliquis: claues enim acceperunt omnes, Matthæi decimo octauo: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* & Ioan. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:* peccatorum namque remiſſione aperitur regnum cœlorum. Omnes in Apocalypſi ſunt fundamenta Eccleſiæ. Ita B. Hieronymus aduerſus Iouinianum. *At dicis ſuper Petram fundatur Eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Simile quid habet Orígenes in Matth. & Eccleſia in antiquiſſima præfatione de Apo-

Apo. 21. 14.

Tract. 1.

de Apostolis canit, *quos operis tui Vicarios eidem tentulisti præesse Pastores.*

SOLVTIO.

Neque eadem sunt dicta cæteris (Alius enim nullus audiuit, *Pasce oues meas*, hoc est, Pastor esto totius Ecclesiæ, etiam Pastorum atq; Apostolorum, qui non sunt excludendi à nomine ouium) neque eodem modo. Alijs quidē per verba, quæ functionem significant, vt sunt docere, baptizare, peccata remittere & retinere, ligare & soluere: Petro verò per verba officij ordinarij: *Tibi dabo claues regni, Tu es Petra seu saxum, super te ædificabo Ecclesiam meam.* Nomen cla uium sicut nomen sceptri, proprietatem officij designat. Sicut igitur Iosephus, quondam præfectus vniuersæ terræ AEgypti, *ad cuius oris imperium cunctus populus obedire* iubebatur, eadem potestate cum Rege prędituS dici poterat, hoc vno excepto, quod sceptrum penes Regem esset, siue, vt loquitur Pharao, *vno tantum Regni solio præcedamte*: Ita Apostolis data est functio in totam Ecclesiam, non autem claues, hoc est, cōstans officium. Vocantur illi quidem Pastores Ecclesiæ, tum ab hac functione, quo modo Commissarij, Legati, Visitatores nomen habēt Superioris, curamque animarum, ad quas mittuntur: tum quia veri Pastores & Episcopi illarum Ecclesiarum, quas sibi adiūxerunt. Nomen quoque Petræ plus aliquid includit, quàm fundamentum: fundamenta quippe

Gen. 41. 40. Simile.

Apostoli vt pastores.

ædificium sustinent: Petra autem seu rupes, etiam ipsa fundamenta. Dicuntur itaque Apostoli fundamenta Ecclesiæ, in qua singuli suos populos tanquam muros & parietes totius ædificij sustentant; quomodo B. Iulius primus Episcopos omnes appellat columnas Ecclesiæ, quam proprijs humeris gestant: neq; quisquam in hoc ædificio habendus est, qui non his fundamentis innitatur: hoc est, qui nō alicui Episcopo Catholico pareat. Petrus verò, vt rupes solidissima (siquidem Christus sapientissimus Architectus *ædificauit domum suam super firmam petram*) etiam fundamenta ipsa continet, & ne in errores & vitia labantur, detinet authoritate pastorali, vsque adeò, vt qui in hac rupe non est, neque sustentet ædificium, neque ad verum Ecclesiæ ædificium pertineat. Qui enim cum Apostolica B. Petri Sede communionem in fide & obedientia non habet, neque verus est Pastor Ecclesiæ, sed lupus: neq; in Ecclesia, nisi vt lupus in ouium grege versatur.

Apostoli fundamēta. Epist. 1.

Petrus Petra. Matth. 7. 25.

TERTIA.

Actor. 8. *Cùm audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem:* nemo autem, nisi à maiore mittitur; non erat ergo Petrus caput Apostolorum.

SOLVTIO.

Neganda est assumptio, quia & Episcopi subin-

subinde à Capitulo mitti dicuntur, & Spiritus S à Patre & Filio, æqualis cum illis honoris & dignitatis. Subditi sunt, qui ex imperio mittũtur, alioqui pares & superiores ab illis mitti dicuntur, quorum rogatu atque consilio vadant: præsertim si eorum, à quibus veniunt, magna sit apud illos, ad quos mittuntur, authoritas, qualis erat apud Samaritas Collegij Apostolorum: multum enim ad eos mouendos fecit, quod Princeps Apostolorum cum dilectissimo Christi discipulo Ioanne, Apostolorum omnium iudicio, & sententia, ad illorum conuersionem venit.

QVARTA.

Beatus Petrus grauem ab Apostolo Paulo reprehensionem sustinuit: *In faciem*, ait, *illi restiti*, palam contradixi, obiurgando. Hoc autem nõ decet subditum. Non ergo agnouit B. Paulus Petrum superiorem, sed per omnia parem, similiq́ue in gradu dignitatis constitutum.

SOLVTIO.

Tametsi varient in huius reprehensionis expositione D. Hieronymus & Augustinus, dum hic omnia seriò vult gesta fuisse, Petrumq́ue graui peccato obstrictum; ille ex composito, ac Diuum Petrum nihil peccasse; & illud, *In faciem restiti*, seu vt Græcis est, κατὰ πρόσωπον, secundùm faciem, idem valere, quod non ex animo; sed iuxta externam apparentiam. Et: *Quia reprehensibilis erat*, vel potius reprehensus

κατεγνωσμένω, indicare, quod priusab alijs, qui sanctum Petri consilium ignorabant, monitus fuerit: Nihilominus concedendum est, Superiorem peccantem ab inferiore iure moneri, reprehendique posse, & pro fraterna charitate debere: quando vel ipsius, vel aliorum speratur emolumentum: atque id multò magis, si fortè aliqua in re sit inferior par Superiori, qualis res erat functio Apostolica, & conuersio gentium. In qua dum Paulus (cui non à Petro, sed à Christo hoc munus commissum fuerat) à B. Petro errorem, & quidem grauem committi cerneret, pro officio, quo sibi sciebat creditam Gentium conuersionem, putauit necessariò monendum Petrum coram alijs, cum graui, sed modesta, ac reuerenti reprehensione: error autem B. Petri non fidei erat, sed facti, dum se nunc Gentibus, nunc Iudæis accommodauit.

QVINTA.

Lib. 1 de doctrina Christiana c. 18. tract. 50. & 118. in Ioan. in Psalm. 108. li. 7. de Baptismo cont. Donat. ca. 5.

B. Augustinus varijs locis asserit Apostolum Petrum Ecclesiæ nomine atque in persona Ecclesiæ claues accepisse. *Quædam* (inquit) *dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum pertinere videntur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille cognoscitur in figura gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit. sicut est, Tibi dabo claues regni cœlorum.* Igitur claues non sunt eius, sed Ecclesiæ.

SOLV-

SOLVTIO.

Neganda est consecutio, quia & Petro sunt datæ claues, & Ecclesiæ: Petro quidem, quia audiebat Christus, *dabo tibi claues regni cælorum*, tibi, inquam, Simoni filio Ionæ, non alteri alicui: Ecclesiæ vero, quia non Petro sunt data, vt ab Ecclesia cogitatur separatus, sed vt Ecclesiæ capiti, & primario membro. Sicut enim toti homini datur galerus, quo tamen non vtitur, nisi caput: & toti regno sceptrum, quod est penes vnum Regem: Ita toti Ecclesiæ datæ sunt claues, quarum custodia, & dispensandi potestas esset penes Diuum Petrum. Vult ergo D. Augustinus non ita in Petro esse clauium potestatem, vt eo moriente illæ pereant, sicut Apostolica potestas cum Apostolis reliquis cessauit: sed quod ad successorem transeant, sicut sceptrum ad alium Regem, qui in demortui locum assumitur. *Ecclesiæ vt datæ claues.* *Simile.*

SEXTA.

Si quæ Ecclesia primatum gerit, ea est Ierosolymitana, cui Christus præfuit, quam morte sua consecrauit, & quæ à Synodo Constantinopolitana appellatur Mater Ecclesiarum.

SOLVTIO.

Christus non accepit successorem, sed Vicarium, quem non morte sua, sed viuus sic designauit, & nominauit, vt nulli loco dignitatē hanc adiūxerit: sed personæ cuius erat locū eligere, in quo esset ius atq; ratio successionis.

Dicitur

Mater Ecclesiarum. Dicitur autem Ierosolymitana mater Ecclesiarum, non ex Cathedra, sed ex loco & populo, vbi de mandato Christi, primùm fides prædicata, & in lucem prolata est, & Ecclesia plãtata; *Actor. 1. 8.* quæ exinde per Iudæam, Samariam, & vsque ad vltimum terræ est propagata. Romana verò Ecclesia, ab ipsa B. Petri sede atque primatu in vniuersum orbem hoc habet, quod sit *Epist. ad Felicem.* Ecclesiarum mater. *Cuius doctrina, ceu lacte* (vt ait B. Athanasius) *omnes nutriuntur, & protectione aduersus hæreticorum omnium insultus conseruantur.*

SEPTIMA.

B. Gregorius multis epistolis & rationibus docet reijciendum nomen Vniuersalis, seu Oecumenici Episcopi: Non est ergo Rom. Põtifex vniuersalis Ecclesiæ Episcopus.

SOLVTIO.

Differunt vniuersalis Episcopus, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus. Neganda est cõsecutio, siquidem ex mente B. Gregorij, & Sancti Pelagij antecessoris eius, & multum interest inter vtrumque. Vniuersalis Episcopi nomen, quod sancti Pontifices tantoperè detestati sunt; & ambitiosi Constantinopolitani, Ioannes, atque Cyriacus sibi assumpserunt, videtur cæteris omnibus Episcopis adimere authoritatem; vniq; soli, quicquid est omnium, tribuere, atq; si reliqui Episcopi vnius illius forent Vicarij: more Prorege gum, qui loco Regum præsunt. Beatus Cypria nus multo ante dixit, Episcopatum in Ecclesia vnum esse, *cuius à singulis Episcopis in solidum pars teneatur,*

De simplicitate Prælat.

neatur, hoc est, vnam esse Episcoporum ordinationem, vel vnum esse totius Ecclesiæ caput, singulos tamen Episcopos suarum quemque Ecclesiarum curam habere integram, non Vicariam: vt B. Hieronymus Episcopos omnes eiusdem esse Sacerdotij & meriti. Episcopus verò Vniuersalis Ecclesiæ, talem dicit in omnes Christianos & oues Christi curam, vt singulis tamen Præsulibus sua maneat administratio atque officium. *Ad Aeuangrium.*

OCTAVA.

Concilia aliquot Africana cauerunt, ne quis se Principem vocet Sacerdotum: Non est ergo Romanus Pontifex caput Ecclesiæ, vel Episcoporum Princeps.

SOLVTIO.

Non sequitur ista conclusio, non enim ab solutè sublatum est nomen Principis Sacerdotum ex vniuersa Ecclesia, sed ἐξάρχου τοῦ ἱερέως, nomen videlicet Exarchi, sæculare & prophanum, quo illi Principes vtebantur, qui pro Imperatoribus administrabant prouincias. Hoc nomen voluerunt Patres ex Africanis Ecclesijs prorsus tolli, quod exosum esset populis ob Exarchorum insolentiam. In Sardicensi tamen Synodo Metropolitanus dictus est Exarchus Prouinciæ. *Princeps Sacerdotũ.*

NONA.

Phocas Imperator post D. Gregorij tempora, primus constituit Episcopum Romanum Sum-

Summum esse Pontificem, primumque totius orbis Episcopum: Ergo non venit à Christo hæc potestas cathedræ D. Petri.

SOLVTIO.

Antecedentis vel ex eo cõstat falsitas, quod multò ante Phocam, adeoque ante Christianos Imperatores, Romani Põtifices & se agnouerint, & à fidelibus omnibus agniti sint Vicarij Christi, sicut plurimis testimonijs superius est confirmatum. Phocas litem solùm diremit, quæ ex ambitione Constantinopolitanorum Pontificum orta fuerat. Hi namque in Constantinopolitana secunda generali Synodo, inscijs legatis Damasi Papæ: & postea in quarta Chalcedonensi, reclamantibus Legatis Beati Leonis, secundum sibi locum vsurpârunt in Sedibus Patriarchalibus, atque post se reiectis Alexandrino, Antiocheno, & Ierosolymitano, contra omne fas, statim post Romanam sedem conscenderunt. Et quamuis huic Græculorum ambitioni obsisteret B. Leo Põtifex, sicut variæ ipsius Epistolæ ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum, atque ad Martianum & Pulcheriam Augustos, manifestum faciunt; non conquieuit tamen eorum superbia, quin cum iniuria Romanæ sedis, nomen sibi vsurparent vniuersalis Episcopi, & primum in Ecclesia locum vendicarẽt. Phocas de consensu Bonifacij III. qui post Sabinianũ, Beati Gregorij successorem, Ecclesiæ præfuit,

Phocæ Imp. decretum.

Acto. 16. Conc. Chalcedonens.

rem

rem ita composuit, vt Romanus Episcopus, sicut verè est Ecclesiæ supremum caput, ita ab omnibus quoque haberetur: Secũdum locum obtineret Constantinopolitanus propter dignitatem Imperatoriæ ciuitatis: Tertium Alexandrinus: Quartum Antiochenus; & demum quintum Ierosolymitanus. Græcos interim non puduit, neque in hac quidem, qua premũtur, seruitute pudet, Vniuersales se Patriarchas scribere, dissimulantibus, & fastum miserorum ridentibus Latinis.

DECIMA.

Episcopi Africani, temporibus B. Augustini, grauiter inuecti sunt in Cœlestinum Pontificem, qui sibi authoritatem post Zosimum in Africanas Ecclesias arrogabat & appellationes Clericorum à suis Episcopis ad se admittebat.

SOLVTIO.

Rectè & pro officio fecerunt Romani Pontifices: malè autem Africani, qui etiam tunc (vt testatur Bonifacius II.) meditati videbantur defectionem à Romana Sede, suo magno malo: vt qui paulò post in Vandalorum Arianorum potestatem venerint. Non subscripsit aũt acerbis illis literis B. Augustinus, qui summa semper veneratione Apostolicam Sedem Romanam coluit. Malè habebat Afros Præsules, quod à suo, ad Romani Pontificis iudiciũ prouocaretur, cùm id ignorarent in Nicæna Syno-

Epist. ad Eulalium.

De appellationibus Afrorum.

Synodo decretum, cuius tantùm 20. canones erant in manibus Afrorum & Græcorum: integri autem 72. Romæ asseruabantur.

VNDECIMA.

Petrus nunquam vidit Romam: tum quia nulla eius mentio fit in actis Apostolicis; tum quia ab Apostolo Paulo in Epistola ad Romanos non salutatur: tum quia Scriptores de tempore, quo Romam venerit, non idem sentiunt. Non est ergo Romanus Pontifex B. Petri successor.

SOLVTIO.

Petrum Romæ obijt.

Cùm tota antiquitas, ipsaque Romæ monimenta testentur B. Petrum Romæ & sedisse, & cruci affixum esse, neque toto terrarum orbe locus alius sit à quoquam hactenus exhibitus, vbi tanti Apostoli sacrum corpus asseruetur: mirum est inueniri homines, qui tam manifestam veritatem inficiari audeant. Quibus enim moueri videntur, vt contra sentiant, ea hac ratione non difficulter soluũtur: quod B. Petrus tametsi Pontificalem cathedram Romæ fixerit, frequens tamen in peregrinationibus fuerit, varijsque in locis Euangelium prædicauerit. In Iudæam redijt, *a* Claudij edicto cum cæteris Iudæis abire iussus. *b* Adfuit Ierosolymitano Concilio: *c* visitatus Ierosolymis ab Apostolo Paulo: *d* Astitit morienti sacratissimæ Matri Dei, vt testatur B. Dionysius Areopagita. Ex Babylone AEgypti non incommo-

a *Act.* 18. 2.
b *Act.* 15. 6.
c *Gala* 1. 18.
d *Cap.* 4. *de diuinis nominibus Niceph. li.* 14. *ca.* 19.

dè di-

dè dicitur ipſius prior Epiſtola ſcripta (quamuis plerique poſt Papiam, Babylonis nomine Romam intelligant) quod Petrus, Alexandriã deducto Marco, illam Eccleſiam primus fundârit. Ob has frequentes continuaſque profectiones, Linum & Cletum Epiſcopos conſecrauit, ſibique tanquam Suffraganeos, atque in Pontificalibus Vicarios Romæ conſtituit: Non mirum ergo, ſi à B. Paulo neque ſalutatus in Epiſtola ad Romanos, neq; Romę inuentus. *Linus, Cletus vicarij B. Petri.*

Quod Scriptores in tempore aduentus eius Romam diſſentiant, non arguit eum Romæ non fuiſſe. Pari namque ratione colligemus Chriſtum pro humano genere paſſum atque mortuum non eſſe, quia de tempore non conuenit inter omnes. a Beatus Ignatius, quem cõ a *Ad Trallianos.* muniter nunc ſequuntur, affirmat anno ætatis 33. b alij anno 30. c alij 46. d B. Irenæus multis b *Lactan.* contendit, ætatis anno 40. adhuc prædicaſſe. *libr. 4.* Vnum nobis ſufficiat, vniuerſam Eccleſiam c *apud Au-* hoc affirmare, B. Petrum Antiochiæ ſediſſe, *guſt. lib. 2.* Romam quoque veniſſe, ibiq; Pontificem vr- *de doctrina* bis martyrio affectum eſſe, ſiue prius Anthio- *Chriſtiana* chiæ præfuerit, quàm Romã vidiſſet, ſiue poſt *cap. 28.* reditum ex vrbe, quam totis ſeptem annis re- d *Li. 2. cap.* lictam, poſtea repetijt, vt nonnulli probabili- *39. & 40.* ter opinantur. Quæ diuerſæ eius profectiones fortè occaſionem præbuerunt Scriptoribus huius varietatis.

DVODECIMA.

Beatus Paulus iubet, *vt omnis anima ſublimioribus po-* *Rom. 13. 1.*

bus potestatibus subdita sit, de sæcularibus Principibus loquens: *Siue Regi* (inquit B Petrus) *quasi*
1.Pet.2.14. *præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis*, & ijs, vt Superioribus, dandum est tributum, etiam ab Ecclesia, sicut testis est Diuus Ambrosius, ad exemplum Christi, qui soluit didragma: ergo
De Basilicis tradendis. Episcopi, ipseque Summus Pontifex parere potius debebunt Imperatori, & Principibus
Mat.17.24. Christianis, quàm præesse.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia, interest namq; inter gentiles Principes, qui Christi & Apostolorum temporibus Rempubl. administrabant; & etiamnum in locis infidelium administrant: & Christianos, qui in Ecclesia viuunt.
Discrimen inter Infideles & Christianos Principes. Ethnici Principes, quibus nihil est cum Ecclesia commune, non parent Pontificibus, (*quid enim nobis de his, qui foris sunt iudicare?* ait B. Apostolus:) Et quia in his, quæ politica sunt, præsidet
1.Cor.5.12. omnibus, tenentur ijs etiam Episcopi & Pontifices, illis in locis vbi sceptra tenent parere in his, quæ ad Politiam externam pertinent, modò ne quid vel Euangelicæ Legi, vel Ecclesiasticæ disciplinæ contrarium imperet. Christiani autem Principes, quando ad Christi familiam accesserunt, simul etiam illius familiæ legibus se submiserunt, inter quas vna hæc est; Vt supremo Patrifamilias, vel Ecclesiæ Pastori, in his quæ salutis tum suæ, tum familiæ
Simile. sunt, obtemperent: non aliter, atque si quis in aliquam hominum societatem, certis legibus con-

constitutam referri velit: is vtique ijs legibus se subdet, quibus alij continentur, supremoque sodalitij Rectori parebit ijs in rebus, quæ ad sodalitij negotia pertinebunt. Et hic nihilominus, si quid ad sodalitij totius, aut Rectorum eius, vel conseruationem, vel vtilitatem suo labore, industria, impensis præstet, nihil præter officium suum facient Rectores, si laborem mercede compensent, & impẽsas quasi restituant, nisi fortè vel ab ipso, vel à maioribus eius, de rebus omnibus gratis, ac sine impensa sodalitij præstandis, aliquid decretum aut constitutum esset. Regibus igitur Christianis, quorum opera magnoque sumptu Ecclesiæ quies externa seruatur, pendebant olim tributa Episcopi, donec à sanctis Principibus lege lata omni eiusmodi onere Ministri Ecclesiæ liberarentur. Cùm enim intelligerent, qua erant pietate, salutem suam ab Ecclesiæ Prelatis pendere, iudicauerunt non immeritò decere, vt operam suam illis gratis impenderent.

DECIMA TERTIA.

Christus omnem principatum Apostolis interdixit: *Principes* (inquit) *gentium dominãtur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos*, hoc est, nec Domini eritis, nec potestate in alios præditi: igitur Episcoporum non est præesse cum imperandi potestate. *Mat. 20.25.*

SOLVTIO.

Negatur consecutio: Non enim dixit Christus, nemo vestrum præfuturus est alijs, nemo Ecclesiam reget, nemo cuiquam aliquid præcipiet; sed nemo profano more dominetur, sicut Beatus Petrus loquitur, *non dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Non tollit itaque principatum ex Ecclesia, sed modum præscribit, quo velit Superiores Ecclesiæ hoc suo principatu vti; humilitate, inquã, & exẽplo vitæ: non instar sæcularium Regum, quorum regnum est de hoc mundo: sed instar Patris, qui nutrit filios & castigat, ad Christi exemplum, qui docuit, solatus est, increpauit non modò Iudæos,

1. Pet. 5. 3.

a Mat 23. 13 (a *Væ vobis Scribæ, Pharisæi, Hypocritæ*) sed dilectũ

b Marc. 8. 33. discipulum Petrum: (b *Vade retrò me Satana*) denique c flagellis exturbauit vendentes & e-

c Ioan. 2. 15. mentes de templo; Ita beatus Paulus Tito: d

d Tit. 2. 15. *Hæc* (inquit) *doce & exhortare, & argue, cum omni imperio.*

DECIMAQVARTA.

Non potest esse Vicarius Christi, cuius mores maximè discrepent ab ea vitæ ratione, quá Christus instituit, quod in Romano Pontifice maximè vsu venit. Siquidem Christus humilitatem docuit, & præ se tulit. nũquam se adorari passus est: terrena imperia sibi oblata, etiam fuga inita declinauit: nusquam legitur eum equitasse, sed insidentem asino aliquando Ieroſolymam veniſſe; Apostolis magna animi sub-

submissione seruiuit, eorumque pedes lauit. Contra verò, Pontifex Romanus vult adorari, pedes suos osculari, magna pompa, non solum equis, sed humeris hominum gestari; triplici corona, tanquam Rex Regum ornari, &c. Igitur Romanus Pontifex non potest esse Vicarius Christi, sed potius aduersarius Christo, hoc est, Antichristus.

SOLVTIO.

1. Negatur Antecedens, quia officium Vicarij, non in imitatione vitæ, aut morum consistit, sed in authoritate & potestate sibi ab eo, cuius Vicarius existit, collata, est positū. Multi sunt Regum Vicarij, & Proreges, qui nihil minus quā Reges suos moribus referunt. Sunt tamen Proreges propter acceptam à veris Regibus authoritatem.

2. Neganda est assumptio, propterea Romanum Pontificem contrariam Christo vitam instituere, quod cùm ille honores fugerit, hic eosdem admittat & quærat: tum quia Christus ipse se à *a* Magis, à *b* Leproso, à *c* Centurione diuino honore coli & adorari permisit: qui honos nunquam est alicui Romano Pōtifici delatus: tum quia Pontifex nō sibi honorem illum vendicat: sed in Christū refert, cuius vices in terris gerit. Quemadmodum igitur Regis Legatus, quacunque tandem ex se conditione, vita, moribusq; fuerit, ab his quidē subditis, qui summo Regem amore prosequuntur, magno honore afficitur, & loco Re-

a *Matth.* 1.
b *Mat.* 8. 2.
c *Matt.* 8. 6.

Simile.

gis habetur, & honoratur; ab illis verò solis conuitijs & contumelijs proscinditur, qui in Regem alieno sunt animo; Ipse verò Legatus in Regis sui honorem, non tantùm se honorari patitur: sed etiam indignatur illis, qui vel ipsi honorem deferre recusant, vel in cõfessu primas partes occupant, aut alios digniori loco constituunt; sicut videre est in contentionibus Legatorum, dum de locorũ dignitate disceptatur: Ita etiam Ecclesia, Christi dilectissima sponsa, Vicario sponsi sui summum qui in terris homini potest cõuenire, defert honorẽ, quem illi inuident soli aduersarij & hostes Christi & Ecclesiæ. Ipsius verò Vicarij munus est, non quidem sibi, sed Christo Domino suo in persona sua honorem oblatũ nõ repudiare. Quod.n. Regũ Legatis, atq; Vicarijs laudi ducitur, cur solius Christi Vicario dabitur vitio?

At, inquis, Christus hoc exemplo non præcessit. Fateor: Christus in hac vita mortali, honorem non quæsiuit, regnum fugit, discipulis ministrauit; cùm venerit contumelias pati, & iniurias sustinere. At post mortem ad vitã reuocatus, ad dexteram patris confidens in cœlis, honorem sibi vult haberi ab vniuersa creatura, quia *Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*: vult igitur & sibi honorem deferri ab Angelis, Sanctisque in cœlo, & sacro corpori suo in Eucharistia, & sancto nomini suo Iesu, & sacris Imaginib. per quas repræsentatur, & Vicarijs suis, qui in terris eius munus

Phil. 2. 9.

munus & personam sustinent, hoc est, vult sibi honorem deferri in se, in nomine suo, in Imaginibus suis, in Vicarijs suis. Non enim in Vicarij persona conquiescit honor, sed per Vicarium transit ad Christum. Neque solis Pontificibus habetur iste honor, sed omnibus illis, qui in sacrorum administratione Christi personam gerunt. Reges & Imperatores sedenti Sacerdoti ad pedes supplices accidunt peccata confessuri, & remissionem accepturi. Solus Sacerdos in sacrificio Missæ erectus stat, cæteris omnibus in terram genibus prouolutis: data; benedictione omnibus bene precatur humi prostratis. Cæterùm notari debet, Vicario Christi nullum deferri honorem, qui creaturæ dignitatem superet: nam genua flectere, humeris gestare, pedes osculari, mitra aut coronis ordinari, & si quæ sunt aliæ externæ actiones, quia sine vitio quandoq; ex causa etiam alijs hominibus fiunt (nam filij genibus nixi à parentibus veniam delicti rogant, & infirmi sedibus gestantur, & nō minus ex demissione pedibus alicuius, quam manibus osculum imprimi potest) non sunt argumenta eius adorationis, quæ soli Deo debetur.

Quæris porrò, cur Beatus Petrus Apostolus pari ratione hunc tantum honorem non admiserit? Respondeo, quia id primis illis temporibus non conueniebat, quando paupertate & abiectione plantanda erat Ecclesia, & Infideles ad fidē humilitate & patientia trahendi.

Si enim maximos illos honores admisissent primi Pontifices, tantisque diuitijs abundassent; Infideles & Barbari, qui non in Christi, sed in Pontificum personam respiciebant, offendi poterant. Et Christi fides non potentia Dei, sed humanis opibus vbique terrarum disseminata, putaretur. Postquam verò explosso idolorum cultu, Ecclesia Christi orbem occupauit, debuit apud Christianos, Christi Domini sui amãtes etiam in ipsis eius Vicarijs, Christo summus honor haberi; & ille honor à Vicarijs ipsis pro Christo admitti, quem non repudiârunt sanctissimi Pontifices, Syluester, Leo, Gregorius, &c. & detulerunt Christiani Imperatores & Reges, Constantinus, Carolus, Henricus, &c.

Pontificia infula neminem offendere debet, tum, quod (testibus *a* Epiphanio, *b* Eusebio & *c* Hieronymo) B. Apostoli, Iacobus episcopus Hierosolymorum, & Ioannes Euangelista, caput aurea lamina cinxerint, & antiquitus episcopi mitras preciosas gemmis distinctas gestauerint, vt *d* Ammianus Marcellinus de episcopis Africæ & *e* Ennodius Ticinensis de B. Ambrosio scribunt, tum quod non minorem ornatum Christiani episcopi, quàm veteris legis pontifices mereantur. Constant Iudæorum summum sacerdotem diuino iussu thiaram hyacinthinam habuisse, circumdatã aurea corona triplici, vt testatur Iosephus, in typum diadematis summorum Pontificum Chri-

a Hæres. 29. & 78.
b Lib. 5. hist. epist. 23.
c Lib. de viris illustr. in Polycrate.
d Lib. 29.
e In carmine de eodē. Libr. 3. Antiq. ca. 11.

Christianorum tribus coronis distinctis (quale sub annum Domini 516. Clodouæus primus Francorum Rex Christianus, instinctu B. Remigij episcopi, Hormisdæ Papæ misit, vocatũ Regnum, vt ait Hincmarus) quo dignitas pontificia & Regia teste B. Epiphanio designatur. Numero autem ternario coronarum significatur plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, qua supremus Christi vicarius super omnes Ecclesiæ præsules eminet: nam ad eandem plenã in secularibus negotijs potestatem iudicandam, etiam Imperator triplici diademate coronatur. Ferreo, propter inuictam fortitudinem Argenteo, propter splendorẽ & nobilitatem. Aureo, propter supremam præ omnibus Christianis Regibus & Principibus dignitatem.

In vita S. Remigij.

5. Gloss. in Clement. de iureiurando cap. 1.

DE FIDE.

CAPVT IV.

FIDES est habitus, seu qualitas quædam, diuinitus menti infusa, qua intellectus firmiter assentitur ijs omnibus, quæ à Deo sunt reuelata. Ex qua definitione quator Fidei proprietates eluceſcunt: quarũ prima est, quod sit species quædã cognitionis, non minùs atq; scientia, & opinio, sicut Apostolus ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Secunda esse donum à Deo gratis donatũ, non aũt humana arte, vel industria acquisitũ: *Vobis*, inquit B. Paulus, *donatum est pro Christo non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*: siquidem quod diuersis eãdem Christi cõcionem audientibus, & eadem miracula videntibus, atq; admirantibus, alij crediderint, alij in sua perfidia obstinati perstiterint; inde prouenit, quod illorum corda Deus mouerit, istorũ non mouerit: sicut concionante B. Paulo commota est Lydia purpuraria, & Christo Lazarũ à mortuis suscitante, nonnulli Iudæi ad fidem sunt traducti. Tertia, quod quæ fide tenemus, certissimè cognoscamus, lõgè etiã certius, quã res eas quas sensu percipimus: vnde B. Petrus Apostolus, postquam narrasset se Christi gloriã in Transfiguratione oculis vidisse suis, & Dei Patris vocem auribus accepisse subiũgit: *Et habemus firmiorem* (seu, vt Græcis est βεβαιότερον, id est,

Quatuor proprietates fidei.

1. *Hebr.* 11. 3. *Epheſ.* 2.

2. *Phil.* 1. 29. *D. Aug. de præd ſanc. cap* 9.

Act. 16. 14. *Ioan.* 11. 45.

3.

id est, certiorē & magis compertū) *sermonē Propheticū*: Quasi dicat se certius ea nosse, quę Scriptura tradit, quam quæ oculis vidit. Quarta: Hanc certitudinē fidei ex nullo alio proficiscj, quàm à veritate diuina. Nam quæ per scientiam nouimus, ex rerum euidentia certò scimus, cum scire sit rem ex causis cognoscere: In rebus quas Fide cognoscimus, nulla est euidētia, sed potius summa obscuritas: vt in diuinitate vna tres esse personas, quarū quælibet sit Deus, & tamen non tres, sed vnū esse Deū: Et in Christi vnica persona duas naturas sustētari. Harū tamē rerū, & aliarū omniū, quas fide tenemus, sūma est in animis Christianorū certitudo, solū propterea quia fidelissimus veracissimusq; Deus ita nobis per Ecclesiā palā fecit. 4.

Ex hac definitione sic explicata multa colligi possunt, quę ad rē præsentē faciūt: & primò quidē in illo non esse verā Fidē, qui dubitat: sicut nec in illo, cuius Fides nititur arbitrio aut placitis hominū: tametsi. n. ad credendū inducamur ex Christianorū omniū consensu, quos per vniuersam Ecclesiā ita credere nouimus, aut ex miraculis, quibus nostra Fides cōfirmatur, vel alijs ex causis: Fides tamen nosti a neq; miraculis nititur, neq; tali Ecclesię conformitate, & conspiratione, sed diuina veritate: id est, credimus, quia Deus reuelauit: Deum autē reuelasse persuademus nobis ex dono fidei infuso, q̄ nobis Deus largitur, posi quā vel miraculis, vel cōsēsione Ecclesiæ, vel alijs modis ad cre- *Fides Deo nititur.*

credendum inducti sumus.

Fidei operationes duplices. 1. 2.

Deinde verò ex ijsdem consequitur, Fidem cùm sit cognitionis genus, ad eum modum operari, quo solent habitus Intellectus: constat autem eiusmodi habitus actiones habere duplices: vnam propriam, quæ est in operatione intellectus interna, sicut scientiæ operatio est contemplari veritatem: alias externas, quæ ab alijs potētijs animæ, imperante ac dirigente scientia proficiscuntur. Quemadmodum, verbi gratia, scientia Medicinæ primam & sibi propriam habet operationem cognoscere humani corporis constitutionem, eiusque iuuandi rationes: quæ actio est in intellectu Medici, ex qua deinde oriuntur alia, vt dare consilia, præscribere pharmaca, conficere potiones & medicamenta, atque id genus alia perficere, quibus recuperatur, vel conseruatur sanitas: quæ omnia dicuntur à Medicina proficisci, atque eius operationes. Nam Medicus dicitur arte sua, & Medicina præscripsisse pharmaca, & infirmum curasse: neque hoc solùm, sed quicquid præterea ex ijs sequitur, Medicinæ consueuit adscribi, nempè quod Medicus industrius, qui arte sua feliciter multos curauit, opes suas auxerit, in Principum notitiam & familiaritatem venerit, ad honores magnos euaserit, in pretio habeatur: quæ omnia dicimus illum per artem Medicinæ consecutum esse: & qui Medicinæ laudes celebrāt, eiusmodi bona solent commemorare.

Simile ex Medicina. 1. 2.

Eodem

Eodem modo de Fide iudicandum est, cuius proprium munus est credere, & ijs firmissimè adhærere, quę Deus reuelauit ijsque nobis firmiter persuasis, ex illorum præscripto vitam gubernare. Itaque Fides proponit Deum trinum & vnum, Christi incarnationem, vitam & passionem, futuri iudicij seueritatem, pœnarum inferni, & gloriæ cœlestis magnitudinem inexplicabilem, reliquaque omnia, quæ diuino verbo continentur: quæ dum homo contemplatur, sequuntur aliarum potentiarum operationes: nam audiens de stricto iudicio, & inferni perpetuis cruciatibus, concutitur timore, quęritque modum euadendi: cumque eadem fide intelligit Sacramenta esse diuinitus instituta, ad animi labes expiandas, & opera bona mercede vitæ æternæ compensatum iri: spe diuinæ misericordiæ erecta volũtas detestatur peccata, & homo susceptis Sacramentis edit opera pœnitentiæ, vitamq; in melius commutat: & eò vlq; nonnunquã progreditur, vt spretis mundi huius illecebris, Christum nudum & pauperem ipse nudus & pauper sequatur; ac demùm mercedem illam consequatur, quam discipulis suis, cæterisque, qui illos secuturi erant, interroganti Beato Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo nobis erit?* Respondens promisit: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes 12 iudicantes duodecim tribus Israel.* *Applicatio ad Fidem.* *Matt. 19. 27.*

Vnde

Vnde quemadmodum rectè dicimus arte Medica infirmum curatum, & Medicum ipsum ad magnas opes & honores peruenisse: ita quoque dicere rectè & verè possumus, per fidē peccatori datam iustitiam, peccatorum veniam, & gloriam cœlestem; item quod Fides Christi peccatorem iustificet, Christianum hominem ad perfectionem ducat, & denique beatum faciat.

Sola contemplatio non iustificat.

Cæterùm, quemadmodum scientia Medica, commoda superius enumerata non præstat sola contemplatione, lectione, meditatione, aut persuasione; sed alijs actionibus, quæ verè possunt dici actiones Medicæ, tanquam instinctu Medicinæ perfectæ: ita quoque Fides neq; iustificat, neque saluat, si tantum credas & cōtemplatione ac firmissima persuasione diuinis verbis inhæreas, nisi illa etiam perficias, quæ Fides præscribit; id est, nisi ex illius imperio & moderatione vitam tuam conformare studeas.

Tria principia actionū humanarum.

Ex hac declaratione facilè liquet, quomodo Beatus Paulus in Epistolis suis omnibus, ac nominatim in Epistola quam ad Romanos dedit, fidem tantoperè commēdet: in qua quidem Epistola videtur tria constituere humanarum actionum principia, naturam vel scientiam naturalem, quæ Philosophos in vita sua moderanda direxit: Legem Mosaicam, quę Iudæis data fuit; & Fidem, quæ per Christum fidelibus donatur. Natura seu naturalis cogni-

1. Naturalis cognitio.

tio in

tio in multis quidem magnum lumen Gentilibus ad bene beateque viuendum præferebat, quemadmodum primo capite ad Romanos pulchrè declarat Apostolus; sed quia peccatũ magnam illi caliginem offuderat, multa non solum ignorabat, verùm etiam veras virtutes in numero vitiorum reponebat, vt humilitatem, cuius vix vlla apud Ethnicos Philosophos extat mentio: & virginitatem, quam teste Beato Ambrosio damnârunt Romani. Ad ea autem exequenda, quæ naturaliter cognoscebantur, à natura non subministrabatur sufficiens auxilium, cùm in sola natura per peccatum corrupta non essent vires ad perficiendam legem naturalem. Lex Mosaica maiorem attulit notitiam virtutum, atq; vitiorum, quæ ad defectum Legis naturæ obtenebratæ à Deo hominibus data, de ijs instruxit homines, quæ apud Deum peccata erant atq; virtutes. Cæterũ quia & ipsa ex solis tabulis impressa, aut literis formata, nihil præter figuras & vmbras rerũ futurarum continebat, non potuit humano generi per illam dari auxilium ad perficiẽda mandata, & peccata, quę ostendebat aduersari voluntati diuinæ, vitanda. Fuit enim Lex data ad intellectũ humanũ illustrandũ, non ad affectum & cæterarum potẽtiarum vires corroborandas, quod multis verbis à B. Paulo in Epistola ad Romanos explicatur. Fides autem Christi instruit intellectũ nostrũ, vt intelligamus, quid sequi, quid vitare debeamus. Et quia

2. *Lex Mosaica.*

3. *Fides.*

nos

nos ducit ad Christum, in quo solo est causa, & meritum iustificationis nostræ, remedium-que omnium peccatorum, & medicina infirmitatis spiritualis, fit, vt per Fidem dicamur habere auxilium, ad deponēda peccata, vitanda mala, & consequenda bona, non quidem per meram fidei contemplationem, aut persuasionem, sed per gratiam, ad quam nos fides per Pœnitentiam & Sacramenta adducit. Lex enim Mosaica, tamesi, *a* vmbra esset futurorū in Ecclesia bonorum, & *b* Pædagogus ad Christum accedentibus, ex se tamen nō Christum, sed figuras Christi proponebat, & non spiritualia, sed corporalia bona adferebat: nam qui ex populo Iudaico remissionem peccatorum consequebantur, & peculiari gratia Dei ex Legis præceptis ac ceremonijs Christum cognoscebant, non tam ad legem Mosaicam, quàm ad legem nouam Christi sunt reuocandi, quemadmodum ad Hebræos Beatus Paulus multis exemplis declarat.

a *Heb.* 10. 1.
b *Gala.* 3. 24.
Hebr. 11.

Non erit, opinor, iam difficile intelligere, quo sensu accipiendæ sint Scripturæ, quæ nobis tantoperè fidem commendant, & nominatim verba Apostoli Pauli, quibus Romanos Gentiles à scientia naturali, & Iudæos à lege Mosaica ad Christum commendatione Fidei traducere conatus fuit.

Actor. 15. 9. Quando enim audis, *Fide purificari corda, Fide hominem iustificari, ex Fide esse iustitiam, iustum ex Fide viuere*, & si quæ sunt alia huiusmodi; non debes

debes cogitare, per solam persuasionem eorum, quæ fides præscribit, sine actionibus vllis iustitiam, vitam, salutem credentibus dari, sed hoc ideò ita dicitur, quia, quò non potuit ducere natura per se, vel Lex Mosaica, eò nos ducat Fides, ad CHRISTVM (inquam) cuius meritis per opera Fidei, id est, quæ dictante Fide eduntur, qualia sunt Pœnitentia, Sacramentorum vsus & opera bona, infundatur gratia, remittantur peccata, detur merces vitæ æternæ. Iustum verò ex Fide viuere, nihil aliud esse videtur, quàm iustum ad normã fidei totam vitam dirigere ac formare, quomodo dicere consueuimus quempiam medicè viuere, nempe ex Medicinæ præscripto. Homo quippè iustus in actionibus suis omnibus, dum præscripta. Fidei ob oculos habet, quæ sunt diuina mandata, diligenter cauet, ne quid vel verbo, vel opere, vel cogitatione committat, quod à norma Fidei, & lege diuina dissentiat, quam vult esse regulam vitæ & actionum suarum omnium, vt cum Dauide dicat: *Audi-* *Psal.* 118.
cijs tuis non declinaui, quia testimonia tua medi- 102.
tatio mea est, ad omnia manda tua
dirigebar, &c.

Quid sit iustum ex fide viuere.

Vide D. Aug. li. 4. contra Iulianũ c. 4.

SITNE FIDES IN Peccatoribus.

SI in similitudine de Medicina adducta permanere velimus, non erit difficile controuersias omnes dirimere, quæ passim de Fide adferuntur. Nam sicut optimi nobilissimiq; Medici, cùm nõ ignorantia, sed fragilitate naturæ præcepta artis, quam callent, intemperanter viuendo violant (iuxta illud: *doceo meliora, proboq; : deteriora sequor*) scientiam medendi nó amittunt: Ita Christianus, qui contra conscientiæ dictamen, in leges fidei peccat, nec fidé amittit, nec desinit esse Christianus. Nam hoc ipsum conscientiæ dictamen, quo peccator metu gehennæ terretur, est opus fidei, sicut interna Medici admonitio ab arte proficiscitur.

Scripturæ agnoscunt in peccatoribus fidé, vnde B. Paulus, *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* 1. Cor. 13.2. Et Christus: *multi dicent mihi in illa die, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nũquam noui vos.* Matt. 7. 22. Nunquam, hoc est, nec tum quidem, quando ex Fide miracula edebatis, sed vitam Fidei decretis consentaneam non ducebatis.

Præterea cum Fide Fideles ab Infidelibus distinguantur, si Fide careant peccatores, erũt vtique Infideles, & more Ethnicorum ab Ecclesia separati: cùm tamen Scriptura *multis*

locis

locis varijsq; parabolis testetur, peccatores ad Ecclesiã pertinere, *a* sicut zizania sunt in eodẽ agro cum tritico: *b* In sagena eadem mali pisces cum bonis: *c* In eadem domo fatuę virgines cum sapientibus: *d* In ijsdem nuptijs non habens vestem nuptialem cum habentibus: *e* Corinthius ille fornicator non prius ab Ecclesia alienus erat, quàm mandato Apostoli Pauli communione priuaretur.

a *Mat.* 13. 25
b *Mat.* 13 47
c *Matt.* 25. 1.
d *Mat.* 22. 11
e *1. Cor.* 5. 4.

OBIECTIONES.

PRIMA.

Talis Fides est in peccatoribus, qualis in Dæmonibus: in his autem non est, vel donum Fidei, vel virtus: ergo nec in illis.

SOLVTIO.

Neganda est propositio: Non enim Apostolus Iacobus Fidem peccatorum cum Fide Dæmonum confert, sed ipsum credere vtrorumq;: quia non dixit, q̃ tu Fidẽ habes, eandẽ & Dæmones habent, sed *tu credis in Deũ, & Dæmones credunt, & contremiscunt*, de operationibus loquutus, nõ de habitibus aut virtutib⁹. Cõstat autẽ operationes ex diuersis principijs oriri: loquitur homo, loquitur & coru⁹, cachinnatur homo, cachinnatur & psittac⁹; Ita credit homo, credit & Diabol⁹. At sicut bruta animalia, nõ ex ratione imitantur voces humanas, sed ex cõsuetudine; Ita Dæmones credũt, nõ dono Fidei, neq; inter na virtute, sed vi veritatis impulsi. Agnoscũt enim miracula, nõ à se, neq; ab alijs, sed a Deo

Iac. 2. 19.

Dæmones credunt sine Fide.

solo in testimonium veritatis edita : & sciunt mentiri Deum non posse: videntque multos tum Iudæos, tum hæreticos solo infidelitatis nomine damnari: quapropter coguntur credere verissima esse, quæ Ecclesia proponit. Peccatores autē, qui, vt homines occultorum ignari, de causis miraculorum dubitare possūt tametsi signis, alijsq; rationibus ad credendū inducantur, non coguntur tamen inuiti, sed Fidei donum diuinitus immissum intellectū inclinat, voluntatemque mouet, ad veritatem suscipiendam. Hinc est, quod Dæmones quidem omnes credant & contremiscant, non omnes tamen homines ijsdem rationibus atque miraculis, vt credant, moueantur. In duobus tamen homines improbi, & Dæmones credentes conueniunt: primò quidem, quod neutri rem intueantur (neque enim Dæmones vident essentiam vnam Dei in Trinitate personarum, neque Christi duas naturas in vna persona) sed testimonio Dei credant. Deinde, quod neutris sua Fides sit vtilis ad vitam æternam promerendam, cùm vtriusq; desit Charitas, & bonus motus cordis in id quod creditur.

Peccatores credunt Fide

In duobus conueniunt peccatores cum Dæmonibus.

SECVNDA.

Iacob. 2. 17. *Fides sine operibus mortua est.* Sicut igitur homo mortuus, non verus homo est: ita neq; in peccatoribus erit vera Fides.

SO-

SOLVTIO.

Neganda est consequentia: non enim Beatus Iacobus Fidem mortuam confert cum homine mortuo, sed cum corpore mortuo: quod verè est corpus, licèt non viuum: ita Fides Charitate vacua, est Fides vera, sed mortua.

TERTIA.

1. Tim. 5. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, Fidem negauit, & est Infideli deterior*: non igitur est Fides in malis.

SOLVTIO.

Hæc conclusio ex antecedenti non sequitur, sed potius ista: ergo peccator negat se Fidem habere, hoc est, ita se gerit, vt qui facta eius inspiciunt, meritò sibi persuadeant, illum Fide carere: quippè qui actiones planè contrarias Fidei exerceat, secundùm illud Tit. 1. *Qui verbis confitentur se nosse Deum, factis tamen negant*: quomodo diceremus de Medico intemperante, vir quidem iste Medicus est professione, vita tamen & moribus se Medicum negat, vtpote, qui contra documenta Medicinæ se ipse perditum eat.

QVARTA.

1. Ioan. 2. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est.* Non ergo est Fides in peccatoribus.

SOLVTIO.

Etiam ista consecutio vitiosa est: erat namq; potius inferendum, ergo peccator non nouit Deum. Multum interest inter nosse Deum, & credere Deum: cùm notitia Dei requirat Fidem, iuxta illud: a *Nisi credideritis, non intelligetis.* Est quippe notitia non sola apprehensio aut assensio intellectus, sed interna mentis affectio & sapor, quo *b* gustat & videt homo pius, quàm suauis sit Dominus, c *Rationabile lac concupiscite* (ait B. Pet.) *vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus.* De eodem loquitur Apost. Paulus: d *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus S. gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt: rursus renouari ad Pœnitentiam.* Hæc igitur notitia est sapor, & gustus spiritualis, peculiareque donum Spiritus S. interna dulcedo, mentisque quies, & abundantia pacis, qua fruuntur soli boni, carent omnes mali.

a *Isai. 7. 9.* *Quid nosse Deum.*
b *Psa. 33. 9.*
c *1. Pet. 2. 2.*
d *Heb. 6. 4.*

DE FIDE SPECIALI.

MOVETVR quæstio, debeatne Christianus certa fide tenere peccata sibi esse remissa, se iustificatum, sibi præparatam salutem æternam, se regni cœlestis hæreditatem aditurum. Doctrina Catholica habet, nihil horum ad fidem pertinere: primò quidem, quod illa sola credenda sint, quæ Deus reuelauit, & credenda proposuit: nusquam autem in

Catholicorũ orationes.
1.

verbo

verbo Dei de priuati hominis iustificatione quicquam legimus, vtpote cuius in literis sacris nulla fiat mentio: non est ergo Fide cuiq; tenenda peccatorum suorum remissio, vel iustificatio. Quid? quod Scriptura passim incertitudinem iustificationis testatur: a *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit.* b *De propitiato peccato noli esse sine metu.* c *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* d *Beatus homo qui semper est pauidus* e Et, *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* D. Paulus verò, f *Nolite*, inquit, *ante tempus iudicare, quoad vsque veniat* Dominus, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Atque vt de conscientiæ iudicio loqui intelligatur, adiungit: g *Sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me,* Dominus *est.* Et tametsi Hæretici suo more, ad mentem suam Scripturas istas torquere conentur, veteres tamen vno omnes ore reclamant, & de incertitudine iustificationis interpretantur: h Hieronymus, i Ambrosius, k Augustinus, l Gregorius, m Cyprianus, n Chrysostomus, & quotquot ante nos in Ecclesia vixerunt. o Author operis imperfecti in Matth. dum versatur in expositione verborum Sapientis (*Quis potest dicere, mundum est cor meum?*) *Nemo*, inquit, *tanta est firmitate suffultus, vt de sua iustificatione debeat esse securus.*

a Eccles. 9. 1.
b Eccl. 5. 5.
c Iob. 9. 21.
d Pro. 28, 14.
e Pro. 20. 9.
f 1. Cor. 4. 5.
g 1. Cor. 4. 3.
h Lib. 2. cõ. Pela. & in Eccle. 9. 1. et in Ier 3. et 13
i in 1. Cor. 4.
k epist. 121. & in Psal. 42.
l Li. 6. moral. c. 23. l. 9. cap. 17. & seq.
m serm. de eleem.

n Hom. 11. in 2. Corinth. o Hom. 38.

OBIECTIONES.

PRIMA.

In symbolo nobis proponitur credenda remissio peccatorum, non aliorum, sed nostrorum: ergo credere tenemur peccata nobis esse remissa.

SOLVTIO.

Credere remissionem peccatorum, non est credere sibi, vel priuato alicui peccata condonata, sed esse in Ecclesia, Christi meritis, potestatem remittendi peccata: quam remissionem credimus assequi, tũ nos ipsos, tum alios quoluis, qui dignè Sacramentorum participes fiunt, præsertim Baptismi & Pœnitentiæ.

SECVNDA.

Deus liberalissimè offert gratiam, & peccatorum remissionem: quicunque igitur vera Fide instructus accedit, in gratiam accipitur.

SOLVTIO.

Admittitur argumentum: quia qui recta Fide per Charitatem operante, auxiliũ & gratiam Christi implorat, fit voti sui compos: non enim in Deo, qui sine personarum acceptione, legitimè dispositis dona sua largitur, est causa incertitudinis, sed in nobismetipsis, qui mentem atq; intentionem nostram perspectam nó habemus. *Prauũ est cor hominis* (dicebat Ieremias)

& *inscrutabile, quis cognoscet illud?* & tanquam id soli Deo sit reseruatum, respondet in Dei persona: *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Frequenter occulta latent peccata, quorum recordatio conscientiam non pungit: quomodo Dauid Propheta totis nouem mensibus nullũ sibi scrupulum de *a* adulterio cum Bethsabee, & homicidio Vriæ mouit, donec à Nathan Propheta, diuino iussu correptus, in memoriam peccati venit: Et postea rursus sine omni molestia fuit mensibus ferè decem, nihil de peccato *b* numerati populi cogitãs, donec propheta Gad violati numinis iram afferret: frequenter corrupti sumus, & mali nostrarum cogitationum & intentionum iudices, & specie pietatis peccata velamus. *Sæpe* (inquit *c* B. Gregor.) *contra delinquentium culpas accendimur, & cùm vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum iustæ districtionis æstimamus.* *d* Saul inobedientiam suam, cultus diuini, & sacrificij studio excusari putabat. Ignoramus an veram habeamus peccatorum pœnitentiam solius Dei intuitu, an metu humano, vel timore seruili gehennę, qui ad peccatorum remissionem satis non est. Et quoniam peccata (quorum grauitatem solus Deus, qui offensus est, nouit) æstimare, suisq; momentis ponderare nequimus, ignoramus an pœnitentia nostra peccatis respondeat. Sæpè enim, quæ leuia sunt nobis, grauia sunt Deo, *e cuius iudicia abyssus multa: & f in cuius conspectu non iustificabitur omnis viuens, g & qui in Angelis quo-*

Causse incertitudinis.

Ier.17.9.

Aug. de perfect.iustitiæ. 1.

a 2.*Reg.* 11.

b 2.*Reg.*24. 2.

c *Lib.9.moral.c.* 18.

d 1.*Reg.* 15.

e *Psal.*35.7.

f *Psa.*142.2.

g Iob.4.18.

quoque suis reperit prauitatem. Et quod primos Parentes ob culpam, vt primo aspectu apparet, leuem de summo dignitatis, felicitatisq; gradu, in miserias & calamitates pene inextricabiles, cum vniuersa posteritate deturbauerit, terrere nos magnoperè debet, ne grauiora peccata nostra in iudicio Dei censeantur, quàm nos existimemus.

TERTIA.

Incertitudo excarnificat conscientias, adimit cordis quietem & gaudium, & adducit desperationem: ergo affirmandum est Christianos pro certo iustificationem, & peccatorum suorum remissionem credere.

SOLVTIO.

Antecedens falsum esse vita Christianorum, & quotidiana experientia docet. Apud Catholicos namq; tam præsentes, quàm qui ante nos vixerunt, pauciſſimos vel vidimus, vel legimus, qui eiusmodi conscientiæ carnificina laniati, de salute desperauerint: mali namque Christiani, tametsi conscientiam Deo ingratam, & peccatis onustam circumferant, alienis tamẽ cogitationibus mentem ab imminentium periculorum consideratione auertunt: Boni autem, quibus *charitas Dei diffusa est in cordibus suis*, spe certa nituntur, quæ non confúdit: cuius quidem virtutis hoc munus est, terroris illius cruciatus tollere, qui ex incertitudine hac iustificationis oriri posset, metumque minuere his, qui nullius peccati sibi conscij in

Rom. 5. 5.

Dei

Dei promissiones & misericordiam intuentur, iuxta illud: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Non enim sola Fides cruciatum tollit animi, vel anxiam dubitationem adimit: sed varijs modis potest citra Fidem haberi certitudo, nimirum indicijs & signis: ex aliorum testimonijs, ex spe & fiducia. Non exiguum est testimonium, conscientiæ quies, mens serena, internum gaudium. Certa indicia sunt, à peccatis abstinere, Pœnitentiæ opera assumere, perturbationes animi graviores, iræ, libidinis, inanis gloriæ, aliorumque similium vitiorum superasse, virtutum officijs delectari, à mundi oblectationibus abhorrere, vt multis locis pulcherrimè explicauit *a* D. Bernardus. Hæc sanè, quo plura in homine fuerint, eò timor magis adimitur, & augetur fiducia. Fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit Christus in nobis esse, quia (vt *b* D. Gregorius scripsit Gregoriæ cubiculariæ Augustæ) *Mater negligentiæ solet esse securitas* Scriptum est enim: *c Beatus homo, qui semper est pauidus, & d Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* voluitq; Deus spem nostram non solis diuinis promissionibus, sed testimonio bonæ vitæ fulciri. Ita D. Paulus, *e Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spē, spes autem talis non confundit:* nimirum vt secundū D. Petrum in studio virtutum, & mandatorum Dei decurrentes, *f* certam vocationem & electionem nostram efficiamus.

1. Ioan. 3. 21. Certitudinis causa.

a In Cant. serm. 16. 37. 68. 69. 94. & epist. 42. & 107.

b Lib. 6. epist. 280.

c Prouer. 28. 14.

d Ps. 2. 11.

e Rom. 5. 3.

f 1. Pet. 1. 10.

QVAR-

QVARTA.

1. Ioannis 3.14. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

SOLVTIO.

Vita non pro iustificatione accipitur, sed pro vita æterna, hoc sensu: Scimus nos hæredes regni cœlestis scriptos & institutos, dummodo proximos diligamus, vt vox (*quoniam*) pro (*si*) conditionali ponatur.

QVINTA.

Rom. 4.16. *Ideo ex Fide, vt secundùm gratiam firma sit promissio*, hoc est, vt certi simus de peccatorum remissione.

SOLVTIO.

Mala est interpretatio: non enim Apostolus ait, Fide iustificari credentes, non operibus Legis, vt de sua iustificatione sint certi: sed vt firma sit promissio, hoc est, vt promissi Dei effectum suum sortiatur. Si namque iustitia & peccatorum remissio his tantùm daretur, qui legem implessent, legisq; operibus hoc beneficium essent promeriti, (quod de se iactabant Iudæi) nemo vnquam particeps fuisset iustificationis, quia nemo legem obseruauit. Gratis igitur dimittit peccata Deus per Fidem, (quæ difficilis non est) sine legis operibus, quæ iugum erant adeò graue, vt diceret D. Apostolus Petrus, *Neque Patres nostri, neq; nos portare potui-*

Act. 15.10.

mus.

mus. Nec tamen necesse est hominem, qui gratis iustitia est ornatus, hoc ipsum certo cognoscere, quod iustus sit. Multa enim habet homo, tum naturalia, tum spiritualia dona, tum bona etiam externa, quæ se nescit habere. Sunt qui arbitrantur se superbos, cùm sint documẽtum humilitatis: alij se iudicant ad omnia officia & munera ineptos, omnibusq; ingratos, cùm ijs sint præditi naturæ dotibus, quas mirẽtur omnes: Alij putant se ludibrio esse omnibus, cùm sint potius veneratione.

SEXTA.

1. Corinth. 2. *Nos non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Igitur cui per Spiritum sanctum peccata remissa sunt, agnoscit se iustum.

SOLVTIO.

Non sequitur: non enim dicit ab eo, qui spiritum accepit cognosci, vel, vt aduersarij loquuntur, certa Fide credi debere omnia, quæ à Deo fuerunt ipsi donata, cùm constet plurima donari viris bonis, (sicut paulò ante diximus) quæ vtilius ab ipsis ignorantur, quàm cognoscuntur. Sed B. Apostolus hoc voluit: propterea datum Fidelibus Spiritum, qui ex Deo est, vt eius gratia adiuti conentur pijs meditationibus intelligere, & suaui consolatione gustare beneficia Christi, eius incarnationem, passionem, aliaque innumera nobis collata. Quò enim quis diuini Spiritus gratia cumulatior

Vide D. August. Tract.

tior exiſtit, eò ſolet in hiſce myſterijs & beneficijs cognoſcendis, plus operæ ſtudijque collocare, & in gratijs agendis eſſe diligentior.

Ch3. in Ioan. Oecumen. Theophyl.

DE CERTITVDINE ſalutis.

Hæretici opinione quidem ſua, non ſolùm ſciunt ſe gratia Dei præditos eſſe, verùm etiam certiſſima Fide ſubnixi, ſe beatos fore ſciunt, hocq; non aliter vnicuiq; Chriſtianorum credendum eſſe docent, quàm futuram carnis noſtræ reſurrectionem. Quam Fidem inde hauſerunt, quod exiſtiment promiſſiones omnes Dei, etiam generatim pronunciatas, ſic à nobis accipiendas, tanquam nobis ſingulis factæ eſſent (ſicut Magdalenæ & Paralitico dictum fuit, *a Remittuntur tibi peccata tua:* & Latroni, *b Hodie mecum eris in Paradiſo*) quicquid ſit de diſpoſitione noſtra. Et quidem non it inficias Eccleſia ad ſingulos pertinere promiſſiones diuinas, de peccatorum condonatione, ſalute æterna, & reliquas eiuſmodi, quæ generatim enunciantur, quantum quidem in Deo ſitum eſt, *c* qui ſine perſonarum exceptione dat omnibus affluenter, & *d* qui dilexit me (ait Apoſt.) & tradidit ſemetipſum pro me. Cæterùm quia promiſſiones hæ ſemper conditionem adiunctam habẽt, ratione noſtri exiſtit dubitatio, Promit-

a *Luc.* 7. 49. & *Mat.* 9. 2.
b *Lu.* 23. 43.
c *Iac.* 1. 5.
d *Gal.* 2. 20.

ti-

titur omnibus peccatorum venia, sed ea lege vt pœniteamus, a Si, inquit, *dereliquerit impius viam suam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* Promittitur vita æterna, mandata Dei ad finem seruantibus: b *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata:* & c *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Cùm igitur incertus sit homo de sua in virtutibus perseuerantia, incertus est & de salute. d *Raptus est iustus ne malitia mutaret intellectũ eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* e B. Paulus monet ne altum sapiamus, sed metuamus, ne excidamur. Monet Christus: f *Tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam.* g Beatus Augustinus, multus est in refutatione huius nimis absurdi erroris, qui cum experientia pugnat, quia & Salomon lapsus est, & Iudas excidit, & multi discipuli abierunt retrò, deserto Domino. Sancti multi peccârunt, Dauid, Petrus, Apostoli omnes in CHRISTI passione.

a *Eze.18.21.*
b *Matth.19. 17.*
c *Matth.10. 22.*
d *Sap. 4.11.*
e *Rom.11.20*
f *Apoc.3.11.*
g *De bono perseuer. De correp. & gratia c. 13. de pastoribus c.12. ep.321.li 11. de ciui. Dei. ca.12. & 22.*

OBIECTIONES.

PRIMA.

Rom.8. *Certus sum quod neq; mors, neque vita, &c. poterunt nos separare à Charitate Dei:* ergo Fide credenda est perseuerantia.

SOLVTIO.

Errant Aduersarij, nõ enim (*certus sum*) valet idem quod credo fide orthodoxa, cùm varijs

ex

ex cauſis alijs certitudo haberi poſſit, ex teſtibus fide dignis, ex perſuaſione, ex viſu. Hìc autem (*certus ſum*) ſignificat perſuaſum habeo: ſic enim vertunt alij vocem πέπεισμαι, quod
Rom.15. 14. eâdem Apoſtolus vti ſoleat, cùm loquitur de rebus, quæ ſub Fidem non cadunt. *Certus ſum* (inquit hac eadem Epiſtola) *fratres mei, & ego de*
2.Tim.1.5. *vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione.* & Timotheo ſuo, *Certus ſum, quod in te habitet Fides non ficta:* quorum certè neutrum Fide credebat.

SECVNDA.

Ioan.10. *Oues meæ vocem meam audiant, & non rapiet eas quiſquam de manu mea, & nemo poteſt rapere de manu Patris.* Ergo certus eſt homo de perſeuerantia.

SOLVTIO.

Non illud, ſed potius hoc efficitur, ergo nemo inuitus & contra ſuam voluntatem poteſt ex manibus Chriſti extorqueri. Nemo enim (vt ait B. Chryſoſtomus) læditur niſi à ſeipſo; poteſt tamen blanditijs mundi, vel carnis ad defectionẽ ſolicitari, & ſeductus ſponte Chriſto deſerto aduerſarium ſequi.

TERTIA.

1.Ioan.3 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet: & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt*: ergo certum habet ſe beatũ fore, quiſquis ſe nouit ex Deo natum.

SO-

SOLVTIO.

Si aduersarij quorsum & qua occasione verba ista ab Apostolo prolata fuerint, intelligerent, næ illi non tantoperè testimonij huius authoritate triumpharent. Disputabat enim aduersus veteres illos Hæreticos Ebionem, Cerinthum, Marcionem, qui cùm essent homines contaminatissimi omniumq; scelerum maculis notatissimi (quemadmodum B. Petrus & Iudas memoriæ prodiderunt) non tamen dubitauerunt se sanctos, ac diuina sapientia plenos, atque adeò filios Dei iactare. Contra quos quasi in hunc modum agit S. Ioannes: Si filij Dei, si ex Deo nati sunt isti, cur tot tantisque flagitijs, quæ in omnium ore atq; oculis versantur, notati sunt? Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est; qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Et omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, & non potest peccare: hoc est, Homo pius, & sanctus, qui est diuinæ gratiæ præsidio circumseptus, quamdiu retinet sanctitatem, non potest peccare.

2. Petr. epist. Iud.

DE LIBERO ARBITRIO.

Caput V.

Quid liberū arbitrium.

LIBERVM arbitrium hominis est eius volũtas, qua ex parte rem sibi propositam eligere potest, & recusare. Nam duobus modis aliquid volumus:

Duobus modis volum⁹.

1. Primò sine electione, vt quando res certa est, neque sub deliberationem cadit, quo modo volumus omnes esse beati, neque possumus non velle beatitudinem: & is, qui sibi finem aliquem proposuit, qui non potest nisi vnico *medio* haberi, necessariò debet velle hoc *medium*; vt qui constituit traijcere mare, necessariò vult nauem conscendere.

2. Secundò, electione, quando propositis varijs medijs, ad finem consequendum idoneis, pro arbitratu eligimus, quod rationi magis probatur; velut qui terra fact⁹ est iter eligere potest, vt vel curru vehatur, vel equo vtatur, vel pedes incedat, prout sibi cõmodius iudicauerit.

Vnde libertas voluntatis.

Estque in hac voluntatis electione libertas ex eo, quod intellectus non naturali instinctu, de rei bonitate iudicat, more bestiarum, quæ ad illud naturaliter feruntur, quod sensus apprehendit tanquam bonum; sed ratiocinatione, & discursu, vtrum melius

sit,

sit, deliberat, & id, quod præferendum arbitratur, voluntati proponit eligendum. Vnde discimus primò inter hæc duo multum interesse, sponte aliquid velle, seu voluntariè aliquid agere, & liberè velle. Illud enim in omni voluntatis actione, quamuis necessaria locum habet; volumus enim sponte beati esse, licèt aliter velle nequeamus: Hoc autem solùm in illis, quæ assumi possunt & repudiari. Secundò, tametsi Sancti diuina contemplatione beati in omnibus suis actionibus nihil contra voluntatem, sed sponte, & voluntariè omnia faciant; aliqua tamen ab ipsis necessariò fieri constat, quæ homines adhuc in carne viuentes præstant liberè: Siquidem homines liberè amant Deum, eique seruiunt, & à vitijs abstinent, sic tamen vt possint contrarium, nempè odisse Deum, atq; peccare: Sancti verò, qui summum illud bonum intuentur, & possident, toti in eius amorem absorpti ita amant, vt neq; odisse possint, neq; peccare. Quê admodum igitur ad naturam omnis voluntatis pertinet agere voluntariè, non coactè: Sic ad rationem liberi arbitrij requiritur, vt velle possit, & non velle, hæc eligere, illa reijcere.

Difficultas de conuenientia libertatis & prouidentiæ Dei.

Magna autem hac in re difficultas semper doctorum virorum ingenia torsit, quomodo hæc libertas arbitrij consistere possit cum prouidentia, & cooperatione diuina. Nemo enim adeò sine sensu, atque ratione fuit, qui non experiretur arbitrij sui in multis rebus

libertatem: vera etiam Philosophia manifestè docet Deum, qui cuncta moderatur, non solùm præscire omnia, priusquam fiant; sed agere quoque, & cooperari dum fiunt. Hic itaque versatur difficultas, quomodo liberè agam, vt possim non agere, si Deus non modò præuidit multò ante futurum, quod ago, sed etiam me iuuat in agendo, adeoque me mouet, vt agam? Quæ difficultas non solùm in nobis hominibus post peccatum sed in primo quoque Parente ante peccatum locum habet, atq; in ipsis etiam Beatis spiritibus, qui multa & liberè faciunt, & non sine Deo præsciente, mouente, & cooperante faciunt. Voluit sanè Deus hac difficultate palam facere nobis omnipotentiam suam, quod in his etiam rebus, quæ nos attingunt, plus possit, & faciat, quàm nos capiamus, aut intelligam⁹, vt omnis intellectus in obsequium Dei captiuum se reddat, neque plus sapiat, quàm oporteat sapere. Philosophi nonnulli, quod hæc non caperent, vel Dei præscientiam, vt Cicero, vel eius prouidentiam & cooperationem negauerunt. Non enim patiebatur manifesta experientia negari libertatem arbitrij, cùm nemo non aduertat, se multa, & posse non facere, quæ facit, & facere, quæ omittit. Qui loquitur, tacere poterat, sed placet loqui: qui inambulat, quiescere poterat, sed eligit deambulationē: atq; ita de innumeris alijs rebus, quas ex voluntate nostra pendere experimur. Hæc igitur est admirabilis potentiæ

Lib. de Diuinatione.

Aug. li. 5. de Ciu. c. 9.

Aug. lib. 12. de Ciu. c. 6.

tentia, & omnipotens sapientia Dei, humanũ intellectum superans, vt singulis rebus conuenienter, ad suas naturas cooperetur: naturalibus, vt agant naturaliter; rationalibus, vt agãt liberè.

Voluntas qualis ante peccatum.

Cæterùm annotandum est voluntatem humanam pro triplici hominis conditione varijs quoque modis fuisse affectam. Ante peccatum enim à primo parente commissum, cùm nulla in membris vigeret concupiscentia, & corpus hoc non grauaret animam, nec mentem ipsam obnubilaret, erat voluntas integra, sana, viuida, præsertim accedente auxilio iustitiæ originalis, poteratque non modò vitare peccata omnia, sed ea quoque facilè præstare, quæ ratio dictabat. Nullus quippe erat in intellectu error, qui nobis multorum peccatorum causam suppeditat, nulla deceptio in iudicio, nulla pugna in membris, insolentia nulla concupiscentiæ, nulla difficultas in potentijs. Admisso iam peccato, hoc hominis libero arbitrio accidit, quod ipsi homini, adeoque pleriſque propter hominis peccatum rationis expertibus his inferioribus creaturis, quæ naturam quidem non amiserunt; sed eam seruârunt vitiatam, læsam, infirmam, *quia omnis creatura ingemiscit propter seruitutem corruptionis*. Terra ipsa testis est, quæ propter diuinam maledictionem, etiam magno sudore culta, vix necessaria humanis vsibus aliquando profert. Bestiæ natura sua eædem affectum in homines

In peccato qualis.

Roma. 8. 22.

mutârunt, & quibus prius blandiebantur, & miniſtrabant, eos nunc metuunt, fugiunt, fugant. Humanum corpus non natura, ſed conditione mutatum multis infirmitatibus, & moleſtijs eſt ſubiectum. Peccatum enim non tollit naturam, ſed vitiat. Quia homo ille, qui in latrones incidit, & hominis peccatoris typum geſſit, non mortuus, ſed ſeminiuus relictus ſcribitur. Ita liberum noſtrum arbitrium per peccatum quidem graue vulnus accepit, ſicut & cæteræ potentiæ; ſed non eſt extinctum, vt nec cæteræ potentiæ: quod per ſe tam eſt manifeſtum, vt mirum ſit inueniri homines, qui hæc audeant inficiari: quibus vſu venire puto, quod Ariſtoteles de illis affirmat, qui contradicentia ſimul eſſe vera docuerunt, nempe vt mente non approbarent, quod verbis dicerent. Alioquin enim, ſi nulla ſit in homine libertas arbitrij, vt agere poſſit, & non agere: fruſtra (vt eſt apud *a* Beatum Irenæum, *b* Tertullianum, & *c* Clementem) eſſent ad bonum adhortationes, atque à malo dehortationes, fruſtra laudes & vituperia. Deus eſſet author peccati, ait idem Clemens, ſi homini libertatem adimiſſet peccatum declinandi. Deus etiam, inquit Tertullianus, nec vetaret, nec præciperet, nec iuſtè puniret peccatoribus ſupplicia. *Nullum eſſet peccatum*, ait innumeris locis Diuus Auguſtinus, *quod tam eſt voluntarium, vt ſi voluntatem propriam ſuſtuleris* (ait Diuus Bernardus) *infernus non ſit.*

Luc. 10. 30.

4. Metaph. 8.

a *Lib.* 4. *cap.* 78.

b *Lib.* 2. *cõ. Marcion.*

c *Lib.* 1. *c.* 4. *Stromatum.*

Tol-

Tolletur omnis consultatio, omnis anxietas, omnis sollicitudo in rebus agendis : nulla erit causa reprehensionis, nulla præmia, nullæ pollicitationes. Denique homo non erit homo ratione præditus, & qui ratiocinando possit veritatem indagare; sed similis belluæ, quæ sine ratione, quò natura impellitur, eò sine electione contendit. Hæc argumenta non apud Christianos tantummodo Patres, qui absurdum hunc Simonis Magi, Valentini, Marcionis, Hermogenis, Bardesanis, Manichæorum, & Petri Abailardi ad Iaxandas habenas peccatis excogitatum errorem, multis retrò sæculis confutauerunt, & damnauerunt; sed in prophanorum etiam, & Gentilium Philosophorum libris passim inuenies. Scriptura sacra permittit homini electionem: *a* Dauidi data est optio ex tribus malis propositis: *b* Salomonem iussit Deus, quod vellet, à se postulare: Moyses ait in Deuteronomio: *c se proposuisse populo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, benedictionem, & maledictionem, vt quò quisque vellet, eò se conuerteret.* Idem dicit per Hierem. Dominus : *d Ecce ego do vobis viam vitæ, & viam mortis.* & per Sapientem: *e Appositi tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* *f* Susanna ad peccatum minis solicitata, cùm in vtramque partem ratiocinata esset, tandem elegit in manus hominum incide-

a 2. *Reg.* 24. 12.
b 3. *Reg.* 3. 5.
c *Deu.* 30. 1.
d *Iere.* 21. 8.
e *Eccl.* 15. 17
f *Dan.* 13. 20

re potius, quàm peccare in conspectu Domini.
a Eccl. 31. 10 De iusto scribit Ecclesiasticus: *a Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala & non fecit.* Sicut contra, de peccatoribus queritur
b Matth. 23. 37. CHRISTVS: *b Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.*
c Pro. 1. 24. *c vocaui enim, & renuistis: extendi manum*
d Isa. 5. 14. *meam, & non fuit, qui aspiceret.* *d Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas.*
e Ioã. 19. 10. e Sanè Pilatus agnoscebat in se potestatem crucifigendi Christum, & dimittendi. Et Parens, apud Apostolum,
f 1. Cor. 7. 37 *f* non habet necessitatem, sed potestatem voluntatis suæ iungendi, & non iungendi matrimonio virginem suam. In potestate
g Acto. 5. 4. *g* Ananiæ, & Saphiræ erat agrum vendere, vel retinere, pretiumque vel Deo consecrare, vel sibi seruare, vt fatetur Apostolus Petrus. Infinitæ sunt Scripturæ, quæ hanc liberam hominum voluntatem testantur, ijsque, vt liberè virtutes sectentur, commendat. Ita Beatus Paulus Philemoni, *vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset; sed voluntarium.* Et *h* Moyses *i* atq;
h Exo. 25. 2. & 35. 9. Salomon voluntarias, & spontaneas oblationes admittebant. Dauid *k Voluntaria oris*
i 1. Par 28. 9 *mei* (inquit) *beneplacita fac Domine.* Semper enim illud inculcatur: *l Si volueritis, & audieritis me.* *m Et sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*
k Psal. 118. 108.
l Isai. 1. 19.
m Gen. 4. 7.

Igitur cum Ecclesia firmissima veritatis columna Fide tenendum est, nec contra experiẽtiam manifestam, rectamq; rationem pugnandum,

dum, quin potius cum vniuersis hominibus, qui aliquid iudicij habent, confitendum, naturam liberi arbitrij per peccatum in homine, neque interijsse, neque solùm à concupiscentia more bestiarum, ad ea quæ carnis sunt, impelli, neque à Deo instar stipitis, ad bonum moueri, sed ipsammet voluntatem liberè agere, Deique motiones posse repellere, aut admittere; & non Deum, sed hominem ipsum esse causam peccati, a *Deo etenim odio est impius & impietas eius*: qui tamen nihil b odit eorum quæ fecit. c Peccatum à Diabolo est, & d *Deus non est volens iniquitatem*, inquit Propheta.

a *Sapient.* 14.9.
b *Sapient.* 11.25.
c *Ioan.* 8.44
d *Psal.* 5.5.

Fatendum tamen est voluntati per peccatũ non paruum vulnus inflictum esse, multumq; diminutum de libertate. Nam primò natura ipsa voluntatis læsa est, & infirmata, vt nec sẽper, quod mens, & recta ratio dictat, sequatur, nec concupiscentiæ blanditias aspernetur, nec minas contemnat. Secundò: Intellectus, à cuius indifferentia pendet libertas arbitrij, non parum obscuratus est tenebris peccatorum, vt in plurimis erret, & non modò in rebus, quæ ad speculationem pertinẽt, sed in iudicio quo que rerum agendarum hallucinetur. Nullus vnquam Philosophorum veritatem sine errore docuit, quapropter in numerum virtutũ ea retulerunt, quæ à Christianis verè vitia habẽtur, & contra in numerum malorum, quæ sunt Christianis eximia bona. Magnanimitatem Aiacis commendat Aristoteles, quam Christiani

Vulnera voluntatis.
1.
2.

impatientem superbiam nominarent: vicissim humilitas, tantoperè nobis à Christo commendata, ne nota quidem fuit Gentilibus: virginitas, atque viduitas exosa Ethnicis, nobisà Christo consulta, sicut etiam paupertas, quam detestati sunt infideles, & sanè hoc experientia docet, quod quantò pluribus vitijs assueuit aliquis, tantò iudicium rationis magis offundatur tenebris errorum, longoq; vsu non aduertatur peccatorũ fœditas. Hinc apud Gentiles peccata, quæ B. Apost. ad Ro. enumerauit: Hinc apud Christianos nullus pudor ebrietatis: Hinc apud multos, qui nulla conscientia peccatorum tanguntur, tanta peccandi licentia: Hinc denique apud nostri sæculi Hæreticos tam absurdi, & cum ipsa natura, rectaq; ratione & experientia pugnantes errores, solam fidem, qui quis se iustificatum credit, iusticiam conferre, nullum esse in homine liberum arbitrium, hominem necessariò omnia facere, Deum esse omnium peccatorum authorem, non minùs, quã bonorum operum. In omni opere bono hominem iustum peccare. Nullum peccatum, tametsi enorme posse damnare hominem præter solam infidelitatem: ad pacem cum Deo constituendam, non esse opus dolere de peccatis, ad iustificationem consequendã satis esse credere. Hæc vt verà esse putentur (si tamen aliquo putentur, vix enim fieri posse videtur, vt tã aliena ab omni ratione quisquam seriò vera esse sibi persuadeat) peccati consuetudo, superbia, in-

D. Amb. li. de viduis.

Ad Rom. 1.29.

5.

bia, inuidia, libido facit. Tertio, Concupiscentia in membris nostris ex peccato generata, & peccatis in dies aucta debilem volũtatem grauiter oppugnat, & sæpe posternit, suisq; blãditijs infirmum hominis iudicium in suas partes trahit. Est igitur arbitrij quidem natura in peccatore, læsa tamen, & debilitata, non quod inuita cogatur, sed quod leuissimis blanditijs ad peccatum inducatur, & minimis impugnationibus cedat. Hinc dicit Christus, *illum esse seruũ peccati qui facit peccatũ*: & B. Paulus, *Peccatores teneri captiuos ad Diaboli voluntatẽ*. D. Petrus quoq; hæreticos sui tẽporis affirmat esse seruos corruptionis, *à quo enim quis superatus est, (inquit) huic & seruus est*. Proinde multa quidem potest ex se, naturaque sua liberum arbitrium, non solùm a ἀδιάφορα, quæ in vitijs, aut virtutibus nõ pob nũtur, qualia sunt ambulare, sedere, emere, nõ c emere, hisq; similia; sed moralia quoq; virtutũ d opera. a *Nã Ethnici (vt ait Scriptura) & diligentes se diligunt*, b *& naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*, c *& Deum quem naturaliter agnouerant, poterãt etiam glorificare*: Eorum multi fuerunt ad virtutẽ intenti, multaque præstiterunt laude, ac præmio aliquo temporali digna, vt agnoscunt veteres d Clemens Alexandrinus, e Iustinus, f Hieronymus, & g Augustinus, h qui etiam affirmant bona Gentilium opera valuisse ad inferni pœnas mitigandas. Nam cùm natura voluntatis bona sit, cur non velit, & operetur bonum: quãdoquidem i *Omnis arbor bona fructus bonos facit?* & tametsi

Voluntas quid possit.

a *Mat.5* 47.
b *Ro.2.14.*
c *Ro.1.21.*
d *Lib. 5. Stromatum.*
e *Apo.2.*
f *in Ezech.* 47. *& epi. ad Magnũ.*
g *Epi* 99. *& 103. l. 5. de Ciui Dei.*
h *Li. de literas & spiritu ca.27 & 28*
i *Mat.7.17.*

a *Gen.6.5.* tametsi a *cogitatio peccatoris prona sit ad malum omni tempore*; est tamen in eo igniculus virtutum. Nec enim omnes ad omnia vitia propendent, quin potius multi natura sua ad virtutes ferantur, hic ad misericordiam, ille ad sobrietatem, obedientiam, mansuetudinem, & id genus reliquas. Cæterùm peccator viribus arbitrij sui sine peculiari diuino auxilio, multa non potest. Primò, licet possit quædam virtutum moralium opera; non potest tamen omnia *b* quæ ob continuam impugnationem concupiscentiæ non sine Dei singulari dono, pleraque vitetur, ad quæ natura procliues sumus. *Nemo* (inquit Sapiens) *c potest esse continens nisi Deus det.* Idem petijt à se amoueri *d* elationem oculorum & Dauid rogat *e* poni custodiam ori suo. Secundò, peccator, in quo iam dominatur peccatum, nõ se continet multo tempore ab omni peccato mortali, quia cùm vires concupiscentiæ, & Dæmonis per peccatum augeantur, voluntas autem per id magis infirmetur, fit vt eorum imperijs facilius cedat. Tertiò, Peccator viribus suis non modò à peccato liberari non potest, sed neque ab illo potest resurgere, neque de peccato dolorem concipere, neque ad gratiam, aut peccatorum remissionem se disponere, neque piè erga Deum affici, aut pio affectu de Christo, vt redemptore suo loqui sine diuina motione & gratia præueniente, sicut post D. Augustinum aduersus Pelagianos, definierunt ex Scripturis Concilia, Mileuitanum, &

Quid non possit.

b *Rom.7. 21. & Gal. 5.17.*

c *Sap. 8.21.*

d *Eccl.23.5.*

e *Psa.140.3.*

Chrysost. ho. 22. in Matt.

August. in Psalm.77.

Arausi-

Arausicanum a *Sine me*, inquit Christus, *nihil potestis facere*: b Imò *nec sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et, c *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu S.* d *Postquam conuertisti me.* ait Ieremias, *egi pœnitentiam*, non quod peccator inuitus in peccato detineatur, vel necessariò hærere cogatur; sed quod in eo tanta sit intellectꝰ cœcitas, tantaq; voluntatis, & cordis duritia, vt nisi misericors gratia Dei præueniat, & mẽtem illustret, affectumque moueat, nunquam seriò pœniteat, vel ad Deum reuertatur. Debet enim Deus e præuenire nos in benedictionibus dulcedinis, iuxta illud. f *Misericordia eius præueniet me*, quam misericordiam vocant Patres post D. Augustin. gratiam præuenientem, aut operantem, sicut alteram subsequentem, vel cooperantem. Est autem gratia ista præueniens in homine peccatore motio quædam diuina, qua Deus intellectum quidem illustrat, vt magnitudinem peccati, periculum suum, Deique offensi indignationem; & iram videat, suadetque, & exhortatur, vt peccata deponat, voluntatem verò suauiter pia affectione mouet, & in bonum inclinat. Quæ gratia appellatur à Scripturis, g *Lux in tenebris lucens*, h *Lumen*, i *Vocatio*, k *Pulsus ad ostium*. Item, l tractus Patris, manus Dei auxiliatrix: de qua multa Beatus Augustinus. Experimur enim hoc nobis vsu venire, quod de Rege Dauide legimus vt peccantes videamur esse corde indurato, & neque

a *Ioan.* 15.5.
b 2.*Cor.* 3.5.
c 1.*Cor.* 12.3
d *Iere.* 31.19
e *Psa.* 20.4.
f *Psa.* 58.11.
Gratia præueniens. li. de natura & gratia c. 17. 32.33. *Enchiridij. ca.* 42.
g *Ioan.* 1, 5
h 1.*Pet.* 2.9.
i 2.*Pe.* 1.10.
k *Apo.* 3.20
l *Ioan.* 6.44

lib. 3. de libero arbitrio lib. de perfectione iustitiæ.

que pijs admonitionibus, neque increpationibus, neq; concionibus, commoueamur: Dei autem gratia animam tangente aduertamus, & miremur priorem illam cæcitatem nostram, mollescat cor, defleamus peccata. *a* Dauidà Ioab monitus, & rogatus noluit ab enumeratione populi abstinere, & in eo peccato totis nouem mensibus, & viginti diebus, nulla motus pœnitentia permansit; *b* sicut prius in peccato adulterij, & homicidio Vriæ alijs nouem mẽsibus sine sensu doloris fuerat, donec à Propheta obiurgatus, fœditatem sui sceleris vidit atque defleuit. Hanc Dei motionem appellant gratiam prævenientem & operantem, quod illam nullis meritis nostris exigentibus, nobisque nihil agentibus, sed in peccato securè quiescẽtibus, Deus pro sua misericordia in nobis sine nobis operetur, cor moueat, & mentem illustret: sicut de Petro legimus, quem negantem *c* respexit Dominus, & ad pœnitentiam induxit. *d* Ita Centurio, & multi alij moriente Domino salutari metu perculsi glorificauerũt Deum: Et multi prima B. Petri prædicatione *e* cõpuncti corde ad Ecclesiam accesserunt: *f* Lydiæ purpurariæ Dominus cor aperuit, vt intẽderet his, quæ à Paulo dicebantur. *g* Dionysius quoq; Areopagita, & Damaris à Spiritu S. impulsi B. Paulo Athenis adhæserunt. Hæc porrò gratia prævenies nõ est illa gratia, quæ in anima hominis inhabitãs iustũ constituit, & filiũ Dei efficit; sed impulsus tantũ, & motio Spiritus

b 2. *Reg.* 11. & 12.

c *Luc* 22. 61

d *Matt*. 27. 54. & *Luc*. 23. 47.

e *Actor*. 2. 37.

f *Acto*. 16. 14.

g *Acto*. 17. 34.

tº S. adhuc foris degẽtis, q̃ ſtat ad a oſtiũ cordis a *Apoc.3.20*
pulſans, nondũ admiſſus in eius domicilĩ. Sicut enim Dæmon tentatione mentẽ noſtram praua cogitatione, & concupiſcẽtiæ motu tangit, ac pulſat, afficereq; conatur voluntatẽ, vt in peccatũ cõſentiat, nullo vitio noſtro, quamdiu voluntas immota cõſiſtit, quæ ſua libertate motiones has omnes, & admittere poteſt, & reijcere: ita ſunt in nobis diuini quidã influxus, aliquando quidẽ repentini, qui ſubitò ad inſtar coruſcationis effugiunt, niſi foueantur; aliquando verò conſtantiores, qui cor noſtrũ pulſant relicta interim volũtati ſua libertate, qua fieri poteſt, vt vel ſuſcipiantur, vel repulſam patiantur: ſicut non rarò repellũtur ab his b qui Spiritui S. reſiſtunt, & prudentes, ſcientes b *Acto.7.51*
q̃ contra conſcientiã nituntur, vel auaritia irretiti, vt Balaã: vel ſuperbia inflati, vt Phariſęi vel libidinibº victi, vel alio ſcelere impediti.

At verò, qui hanc Dei Gratiam præuenientem admittit, vel vt loquitur B Paulus, in c vacuum non accipit, afficitur primò his, quæ proponũtur, tum eadem gratia adiutus, pgreditur vlteriº; vt credendo, ſperãdo, pœnitẽdo ad iuſtificationis gratiam ſe paret, & quem præuenerat gratia mouendo, & excitando, iam ſubſequitur adiuuando, & cooperando, vt inquit Propheta; d *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* d *Pſalm.* 22.6.

Gratia ſub ſequens.
c *2.Cor.6.* 1 *&* 1.*Cor.* 15.10.

Si quidem hominis liberum arbitrium auxilio Dei necdum inhabitantis, ſed mouẽtis & adiuuantis,

adiuuantis, se præparat ad iustificationem; nõ
solùm patiendo, sed etiam operando, & agendo. Ita enim loquitur Scriptura peccatoribus:
a *Zac.* 1. 3. a Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos:
b *Ioel.* 12. & iterum: b Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu. Cooperatur tamen ipse Deus, quem sic precantur
Psal. 84. 5. peccatores, *Conuerte nos Deus salutaris noster*, vt scilicet simul agant Deus, atque voluntas. Declaretur similitudine: Sit quispiam lapsus in fo-
Simile. ueam tenebricosam, ex qua neque cogitet egredi, neq; possit solus exire: sed in ea securus obdormiat, accedat ad eum amicus, qui hominis misertus de somno excitatum ad egressum moneat, multisq; rationibus, vt assentiatur, inducat, tum ei manum, vel funem porrigat, & simul conantem educat in lumen: *Sicut* igitur homo iste per se quidem est lapsus in foueam; sed per se solum euadere nequit, educitur autẽ ab alio non inuitus, nec patiendo tantùm, sed cooperando; Nam admonitionem admittit, funem porrectum manu sua apprehendit, & firmiter retinet, & quicquid in se est, pro viribus præstat, donec extractus in terram lumine solis illustratur: Ita liberum arbitrium, quod vitio suo in peccatum cecidit, vt de tenebricosa fouea peccati educatur, non suscipit tantùm, vel patitur, aut agitatur, sed cooperatur gratiæ Dei, præparat se credendo, fidendo, pietatis officia assumendo, donec ad solem iustitiæ ascendens diuino lumine gratiæ intus repleatur. *Sicut*

cut *a* Ieremias eductus de lacu, cooperatus est extrahentibus admotis sub axillas pāniculis & fune demisso, & *b* D. Petrus excitatus ab Angelo, calceans, & vestiens se secutus ductorem, egressus est carcerem. Scripturæ quando monent, vt *c* conuertamur, & simul *d* rogāt, vt nos Deus conuertat, videntur subindicare similitudinem hominis languidi, qui ab igne, vel à lumine solis facie auersus, se ipse solus nō potest cōuertere; sed si accedat amicus, qui iuuet, & languidus ipse conatum aliquem adhibeat, fit tandem, vt conuersus calore Solis, aut ignis fruatur. Rursus dum legimus: *e Aperi os tuum, & implebō illud*, & iterum: *f Domine labia mea aperies*, videtur indicari similitudo hominis, cuius os, & labia, vel spasmo, vel simili morbo conclusa sunt, vt ea solus aperire nequeat; adiutus autem ab alio, & similiter quod in se est faciens, aperto tādem orē susc ipiat cibum immissum. Deus namque ad conuersionē nos adiuuat, & nos operamur arbitrij nostri viribus, sed Deus nos primus monet, & mouet præueniente gratia, tum verò nos adiuti hac gratia, illud per liberum arbitrium aggredimur, & facimus, ad quod Spiritus Dei hortatur; nempe vt speremus, peccata defleamus, Sacramenta suscipiamus.

a *Ier.* 38. 11.
b *Act.* 12. 8.
c *Ioel.* 2. 12.
d *Psal.* 79. 4. & 84. 5. *Simile.*
e *Psal* 80. 11
f *Psa.* 50. 17. *Simile.*

Postquam autem hac gratia, & diuini Spiritus motione, arbitrijque sui libertate homo ad iustificationem, prout oportet, dispositus, atq; ad peccatorum remissionem paratus est, *In iustificatione.*

& quasi os suum ad accipiendum aperuit, vel manus extendit, tunc Deus menti, animoque ipsius per se gratiam, atque iustitiam, qua peccata omnia auferuntur, & homo ipse constituitur amicus, & filius Dei, gratis infundit homine nec operante, nec adiuuante, sed tantùm hoc beneficium liberè suscipiente, & admittēte instar mendici, cui manus ad eleëmosynam porrigenti, si à diuite vestis (vt ait D. Anselmus) vel eleëmosyna oblata fuerit, gratum est munus, quod gratis donatur: quæ tamē eleëmosyna ita liberè ab eo suscipitur, vt possit recusari: pari modo voluntas, pro sua libertate, oblatam à Deo gratiam iustificantem ita admittere potest, vt possit etiam repudiare.

Lib. de correspondentia gratiæ & liberi arbitrij.

In homine verò iustificato, qui iam à peccato liber Spiritum S. in se præsentem, & per gratiam inhabitantem habet, maior est arbitrij libertas: vtpotè in quo gratia; quę absoluit hominem à seruitute peccati, & veram adfert causam libertatis, cū anima & libero arbitrio coniungitur. Illa enim illustrat intellectum, ne errore deceptus mala pro bonis proponat eligenda: frangit vim concupiscentiæ, ne tanto impetu ad voluptatum illecebras, prauaq; desideria nos impellat; corroborat voluntatē, vt lenocinia, & blāditias cupiditatū spernat: cæteraſque potentias confirmat virtutibus, vt ad id, quod rectum est, magis propendeant: denique claritate sua, & eximia luce, qua mentē illustrat, Dæmonem ab anima procul, vt Sol noctuam,

In homine iusto qualis libertas voluntatis.

Gratia inhabitans.

noctuam, fugat. Estque hæc gratia in arbitrio voluntatis, vt ea vti possit, & non vti: retinere, & abijcere: Quemadmodum baculus in manu conualescentis, cuius auxilio, si velit, vtetur, sin minus, poterit eum remouere. Sequenti similitudine, quæ ad parabolam accedit homi- *Simile.*
nis, qui in latrones inciderat, res tota vtcunq; *Luc.10.30.*
illustrari posse videtur. Sit homo letalibus vulneribus prope confectus, qui media hyeme in tenebris noctis, omni destitutus auxilio, & frigore rigidus ferè deficiat. Accedat amicus cũ lumine, qui hominem semimortuũ, desiderantem auxilium, & quantum in ipso est connitẽtem iumento imponat, in domum introducat, luculento igne refocillet, certisque medicamentis vulnera curet, curatum vtcumque, sed ex præcedenti morbo adhuc languentem, in calefacto cubiculo manere iubeat; atq; vt incedat, scipionem porrigat; aliaq; auxilia ad plenam, perfectamq; sanitatem consequendam præbeat. Hac similitudine intelligimus primò miseriam hominis peccatoris, qui de- 1.
stitutus calore gratiæ Dei totus algeat, priuatus lumine diuino in dẽsissimis versatur tenebris, multisque peccatis animam, omnesq; potẽtias grauiter sauciatas habet, vt cuncta cogitatio eius prona sit ad malum. Secũdò modũ, quo ex 2.
his calamitatibus educitur prẽueniẽte, & accedẽte Deo cũ lumine quodã gratiæ, quo intellectus fæditatẽ peccatorũ, & Dei benignitatẽ aspiciẽs, illa detestare incipit, & ad hũc aspirare:

voluntas etiam adiuta modis omnibus cooperatur, vt tantis exoneretur malis, liberè tamé, quia non inuitus, sed cooperans sublatus est homo ille in iumentum. Adducto illo deinde in domum, apertis vulneribus infunditur ab amico oleum & vinum, præsertissima quædã pharmaca, nempe gratia iustificationis, qua vulnera desinant esse letalia, ad cuius infusionem nihil præterea agit homo saucius, quàm vt vulnera detegat, & vnguentum excipiat: quia remissionem peccatorum Deus solus in nobis operatur, nobis tantũ consentientibus, & gratiam atque iustitiam infusam excipientibus. Tertiò quid gratia in homine iustificato
3. efficiat; nempe à periculo mortis æternæ liberat: intellectum lumine diuino illustrat; calore charitatis voluntatem accendit: liberum arbitrium, cæteraſque animæ potentias confirmat: totumque hominem prius iacentem, & externo ad resurgendum auxilio indigentem, in pedes erigit, atque ad ambulandum vires, auxiliumque subministrat. Quartò discimus quonam modo præstet hæc omnia gratia
4. Dei in homine iustificato, nempe non cogendo, nec imponendo necessitatem, sed suam ipsi relinquendo libertatem. Afficit quippe hominis mentem, vt bonum agnoscat, & voluntatẽ, vt bonũ ei placeat, suauiterq; trahit, sicut trahit sua quẽq; voluptas: sicut puer trahitur pomo (inquit D. Aug.) & sicut filius à parẽte munusculis, & blandimentis ad literas discendas

Simile.

indu-

inducitur (vt est apud Methodium:) liberum interim manet arbitrium, vt vel sequatur, vel non sequatur suadentem, afficientem, trahentem: queritur enim sapientia se frequenter repelli. *Extendi* (inquiens) *manum meam, & non fuit, qui aspiceret*, hoc est, vocabam, monebam, trahebam, sed reijciebat. Afficitur quippe homo nonnunquam pulchritudine virtutis, sed quia magis mouetur delectationibus sensus, quas concupiscentia proponit, neglecto tractu, & impulsu spiritus, sequitur voluptates carnis. Quintò, hac gratia Dei, *quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, admirabilem fieri quidem in homine mutationem, non tamen plenam restitui sanitatem, & virtutum integritatem, simulatque peccator fuerit iustificatus. Sicut enim homo, qui ex graui infirmitate conualescit, membris est debilioribus, vt licèt scipione nixus ambulet, non possit tamen vel iter diuturnum conficere, vel grauem subire laborem, nisi peculiari auxilio aliorũ fulciatur, feratur, iuuetur: ita homo iustus, propter vitiorum habitus, quos ex peccatis contraxit, & cõcupiscentiam necdum exstinctam, præter gratiam inhabitantem, peculiari indiget diuino auxilio, quo & magna aliqua pro Christo suscipiat, qualia sunt irrisiones, iactura bonorum temporalium, tormenta, martyria, religionis ingressus, &c. & multo tempore resistens tentationibus in pietate perseueret; non quod ad malum voluntas co-

Prou. 1. 25.

5.

Rom. 5. 5.

Simile.

gatur, vel per Christi gratiam ad bonum necessitate trahatur; sed quod auxilio indigeat, vt liberè relicto malo, eligat & prosequatur bonum. Hoc Dauid significasse videtur his verbis: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me*, hoc est, in grauissimis meis tentationibus, atque periculis, singulari auxilio tuo protexisti me, atque vt à mandatis tuis non declinarem, iuuisti. Et, *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Proinde homini iam iustificato modis omnibus curandum est, primò, vt in actionibus omnibus diuinum auxilium imploret, quod amicis suis nunquam deesse patitur Deus, iuxta illud: *a Non te deseram, neque derelinquam*. Ita ait Dauid, *b Adiutor meus esto, ne derelinquas me*. *c Custodi me à laqueo, quem absconderunt mihi*. d *Expugna impugnantes me*. Secundò, vt frequenti Sacramentorum vsu, quotidiana virtutum exercitatione, & passionum mortificatione vires concupiscentiæ diminuat, & de virtute in virtutem eat. Talibus enim studijs restituitur liberum arbitrium sanitati, & concupiscentia frangitur, impedimentaq; bonarum actionum remouentur, & tunc voluntas verè est libera, quando sublatis impedimentis malorum desideriorum cum voluptate eligit bona, e *vt nos de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus Deo in sanctitate & iustitia.*

Psal. 72. 24.

Psal. 117. 6.

Homini iusto necessaria.

1.

a *Heb.* 13. 5.
b *Psal.* 26. 9
c *Ps.* 140. 9.
d *Psal.* 34. 1.

2.

e *Luc.* 1. 74.

OBIE-

OBIECTIONES Hæreticorum.

COntrouersia, quam de libero arbitrio mouerunt hæretici, non est in eo posita, vt disputetur, an voluntas hominis cogatur, cùm id omnes fateantur fieri non posse: Pugnant enim inter se voluntarium, & coactũ non aliter, quàm naturale, & contra naturam: Sicut ergo fieri nequit, vt quod contra naturam fit, naturaliter fiat: ita fieri non potest, vt voluntariè fiat, quod fit coactè, hoc est contra voluntatem. Neque quærunt, an voluntas libera sit à miseria, & peccato, cùm eam libertatẽ constet per primum Parentẽ amissam esse. Sed tota quæstio est, an post peccatum Adami protoplasti voluntas sic à Deo moueatur, vt sponte quidem hoc velit, quod proponitur, non tamẽ liberè, hoc est, non ita, vt possit non velle; sed ad eum modum, quo volumus esse beati, & quemadmodũ illi, qui in gloria cœlesti Dei vultum clarè intuentur, Deum amãt, nec possunt non amare. Hæretici variant, Lutherus pro ingenij sui vehementia, ademit homini in omnibus actionibus libertatem, scripsitq; liberum arbitrium figmentum esse in rebus, seu titulum sine re, omniaque euenire necessitate absoluta. Posteriores in humanis actionibus libertatem aliquam hominibus concedunt, non tamẽ in negotio iustificationis, in quo docent voluntatem hominis moueri à Deo instar

Status quæstionis.

Aug. l. 1. cõtra 2. epist. Pelag.

D. Bernard. lib. de libero arbitrio.

ſtipitis, vt patiatur tantùm, & nihil quicquam agat; nimirum peccatorem ita à Deo ad ſaniorem mentem conuerti, vt diuinam motionem neceſſariò ſequatur, nec poſſit nõ ſequi, adeũ ferè modũ, quo ouis naturali inſtinctu ramuſculum viridem ſequitur, & canis fertur ad oſſa. Proinde Deũ ſolùm in nobis agere omnia, eſſeque bonarum actionum ſolam cauſam atque etiam peccatorum, quæ à nobis committuntur. quandoquidem non poſſumus non ſequi impellẽtem, & trahentem ſiue ad bonum, ſiue ad peccatum. Argumenta, quibus hæc populo perſuadere conantur, ab hæreticis veteribus accepta, & à Patribus, multis abhinc ſæculis ſoluta ſunt iſta.

PRIMVM.

1. Deus omnia in nobis operatur; *Omnia noſtra operatus es nobis*, inquit Iſaias, & D. Paulus, *qui operatur in nobis velle, & perficere*: ergo nihil agit voluntas noſtra.

Iſa. 26. 12.
Philip. 2. 13.

SOLVTIO.

Neganda eſt conſequentia, quia ſic operatur Deus, vt voluntas ſimul operetur. B. Paulus plus omnibus laborauerat non ſolus; ſed gratia Dei (ait) mecum, & omnia poterat in eo, qui confortabat, hoc eſt, per Dei gratiam. Nõ eſt nouũ eandem rem à duobus ſimul fieri: Quem ſocius ex foſſa manu attrahit omnibus viribus connitentem, ſimul cum ſocio eſt cauſa huius ſuæ liberationis. Deus tribus modis in ho-

in homine operatur: primò, communi auxilio, quo modo res omnes cõseruat & perficit, *quia sine ipso factum est nihil*, neque vlla est cuiusquam creaturæ operatio vel bona, vel mala, quam non faciat Deus: Nam quod in actionibus bonum est, hoc facit Deus; quod malum, hoc non Deus, sed hominis liberũ arbitriũ facit: Quemadmodũ in cæde, quam cõmittit latro, Deus operatur cum latrone, hominemq; occidit, peccatum autem homicidij latro solus committit, non autem Deus. Peccatum enim est à recto deficere, quando nẽpe in actione, quæ in se bona est, aliquid deest, q̃ adesse debuerat. In illa igitur occidendi actione, quã facit Deus, omnia recta sunt, & iusta; fecit enim Deus, quod ipsi licebat. In eadem verò ex parte latronis deerat iustitia: Non enim latroni hoc opus permissum erat. Secundò, speciali auxilio, quo modo hominem ad bona opera mouet, primò quidem suadendo intellectui, vt bona iudicet; deinde verò afficiendo voluntatem, vt bona placeant, quo modo diximus Spiritum Sanctum etiam necdum inhabitantem per gratiam operari in homine, & cooperari voluntati more ductoris, qui in tenebris præeunte lucerna debilem manu trahit; pręterea cõfirmando hominis iusti liberũ arbitriũ, vt bona suscipiat, quę cõfirmatio tunc maximè cernitur, quando res magnas atque difficiles est aggressurus, ne difficultate terreatur. Tunc enim vel mulcet

Deus tribus modis operatur.

1. *Ioan. 1. 3.*

Simile.

2.

animum spirituali consolatione, vt factum est Martyribus, qui interno gaudio repleti minus sentiebant tormentorum molestias; sicut homo famelicus cibum sumens, eumq; dentibus terens, & masticans cum voluptate potius, quàm cum molestia os & dentes terendo mouet; quod sine magna difficultate non faceret, nisi suauitate cibi iuuaretur: vel internum addit robur voluntati, vt difficultates fortiter vincat, sicut defatigati hausto vini ad laborandū recreātur. Tertiò, cooperatur nobis Deus, per gratiam iustificātem, quæ idem est animæ, liberoque arbitrio, quod sanitas corpori.

His tribus modis agit in nobis Deus vt tamen neque solus agat; neque agendo naturam impediat; sed iuuet. Et primo quidem modo in omnibus rebus ita operatur, vt singulæ conuenienter, congruenterque naturæ suæ agant; ignis naturaliter calefaciat, homo liberè velit, &c. secundo modo, & tertio præbet auxilia bene agendi, quibus voluntas possit vti, si velit; vel non vti, si nolit: Illud enim, quo voluntas iuuatur, vt promptius, libentius, minoriq; molestia faciat, non adimit libertatem, sicut sanitas, qua homo robustior est ad agendum, vel delectatio ciborum, quæ laborem edendi minuit, vel vinum, quod debili vires addit, vel scipio, cui infirmus innixus ambulat, nullam necessitatem afferunt agendi; sed facilitatem. Gratia quippe non tollit naturam, sed perficit.

SECVN-

SECVNDVM.

Scriptura docet nos esse in manu Dei non aliter, quàm lutum in manu figuli. Isai. 64. *Nos lutum sumus, tu fictor noster:* & in Ecclesiastico, *Quasi lutum figuli in manu ipsius.* Igitur sicut figulus pro suo arbitratu vtitur luto, *& ex eadem massa,* vt inquit Apostolus, *facit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*, nihil cooperante luto, sed tantùm patiente: Ita Deus agit nobiscum, quia *sicut lutum est in manu figuli, ita nos in manu Domini*, inquit Ieremias. *Eccl.* 33.13. *Rom.* 9.21. *Iere.* 12.6.

SOLVTIO.

Quia sacræ literæ varijs locis affirmant nos esse *a* cooperatores Dei, *b* adiutores Dei, *c* collaboratores, *d* vinitores, *e* operarios, &c. certũ est nos non esse similes per omnia luto, quod patitur tantùm, & nihil cooperatur. Est igitur similitudo in eo, primò, quod sicut figulus est luti Dominus, vt de eo, quicquid lubet, faciat: Ita Deus sit Dñs noster, qui nos totos sicut de terra eduxit, ita plenè, perfecteque posfidet. Secundò, sicut totius massæ luteæ nulla pars vel meretur, vt in vas honestum componatur, cùm nulla ex se præclarum quid habeat; sed sit lutum sordidum, & fœdum, vel sine præstantis figuli opera inexcellens, & nobile potest vas aptari: Ita nemo mortaliũ ex se mereri potest, aut viribus proprijs assequi, vt in filiũ Dei adoptetur, cùm oẽs perinde nascamur peccatores, & filij iræ diuinæ. Tertiò, quem-

a 3. *Ioan.*
b 1. *Cor.* 3.9.
c *Phil.* 27. *et Tim.* 1.8.
d *Oseæ* 2.15.
e *Mat.* 20.1.

Similitudines figuli & Dei.
1.
2.
3.

quemadmodum figulus vniuersam massam neque abijcit, neque in vasa minus honesta, (sicut iure suo posset) conuertit. sed pro arbitratu suo quasdam partes eligit, ex quibus fingat vasa præstantiora, & honestis vsibus accommodata: Ita Deus, tametsi vniuersum genus humanum, à quo offensus est (*omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*) abijcere potuisset optimo iure, vt in peccatis suis progrederētur omnes, immorerenturque: Id tamen noluit misericordia motus, & singulis quidē hominibus tam Ethnicis, quàm Christianis tantum dedit auxilij, tum per naturam, tum per gratiam peculiarem, quantum eis sufficere posset, si industriam suam, conatumq; adhiberēt ad Christi notitiam accipiendam: cuius deinde fide, & doctrina imbuti, adipiscerentur suorum peccatorum per Sacramenta remissionem (quia & per orbem vniuersum prædicatus est ab Apostolis Christus, & cuique dictare potest recta ratio, Gentilium, ac Iudæorum religioné neque peccata condonare, neque salutem cōferre, aliamque inquirendam esse, quæ pacem det conscientiæ) sed quia per peccatum mens hominis occæcata rarò aduertit, quod rectum est, & à concupiscentiæ vehementioribus motibus, illecebrisque permittit se superari, fit vt præter hoc commune auxilium, alio adhuc maiori sit opus, quod intellectum illuminet, & voluntatē ad bonum amādum afficiat. Hoc auxilium nemini dare tenetur Deus, non omnibus

nibus tamen negat: sed confert aliquibus ex misericordia sua, nullis eorum meritis, alijs non confert ex iustitia sua, quia ad iustitiam pertinet, vt peccator, quia peccatis DEVM offendit, à Deo abijciatur, abiectusque sit vas ignominiosum, & sordidum. Cæterùm in hac similitudine est obseruandum, quod sicut lutũ à figulo non aliter, quàm iuxta naturam suam tractatur, nẽpe cùm sit corpus inanime, quod neque sentiat, neque intelligat, neque agere possit, sed tantum modo pati, ad nutum artificis formetur. Ita homo nõ debeat aliter à Deo tractari, quàm conueniẽter ad naturam suam. Cùm ergo sit ratione præditus, & libero arbitrio donatus, efficitur à Deo filius Dei, non solùm patiendo, sed intelligendo, ratiocinando, volendo, eligendo, quia Deus naturam non destruit, sed adiuuando perficit.

TERTIVM.

Deus dicitur, a *conuertisse cor Aegyptiorum, vt odirent populum suum*, b *indurasse cor Pharaonis*, c *commouisse Dauidem ad numerandum populum Israeliticũ*, d *tradidisse Gentiles in reprobum sensum, præcepisse Semei, e vt malediceret Dauidi, denique sic impulisse ad venditionem Ioseph fratres eius*, vt huic impulsui resistere non potuerint. Ita enim de hac re loquens Iosephus dicebat: f *Num Dei possumus resistere voluntati?* Ergo non est in homine arbitrij libertas, vt possit illud non agere, ad quod à Deo mouetur.

a *Ps* 104.25.
b *Exod.* 10.1.
c 2. *Reg.* 24.1.
d *Rom.* 1.28.
e 2. *Reg.* 16. 10.
f *Genes.* 50. 20.

SOLV-

SOLVTIO.

Neganda est consecutio. Si enim nulla istorum culpà hæc peccata accidissent, nulla meritò secuta esset punitio, non fuisset toties repetitum Pharaoni: Dimitte populum meum, cur non vis dimittere populum? Deus dicitur conuertere & indurare cor hominis, commouere ad peccatum, tradere in reprobũ sensum, & præcipere, vt maledicat, &c. eo modo loquẽdi, quo dicitur inducere in tentationem, non impellendo in peccatum, aut præcipiẽdo peccatum, sed hominem sublata gratia sibi relinquendo. Siquidem homo ex natura sua corrupta, vt sæpius dictum est, mentem habet obcæcatam, & affectum ad inferiora depressum, qui terrenis potius, quàm cælestibus rebus delectatur: vt hunc autem sursum attollat, opus est auxilio diuino, cui innixa voluntas cœlestia desideret. Quod auxilium quamdiu adest, sustentatur liberum arbitrium, & eleuatur: Si vero iusto Dei iudicio subtrahatur, relabitur, nec iam amplius delectatur cælestibus, aut diuinis rebus; sed peccatis, & vitijs: Sicque induratur, auertitur à Deo atq; ad peccata conuertitur. Proinde in Exodo non solũ dicitur Deus induraſſe cor Pharaonis: sed de ipso Pharaone sic scribitur: *Indurauit Pharao cor suum*, seu aggrauauit. Nam Hebræis eadem vox est. Deus itaq; indurauit, hoc est, iustè illi gratiã sustulit; Pharao indurauit, quia meritò suo priuatus gratia, ipse se ad mala conuertit: liberè tamẽ, quia gra-

Origenes li. 2 periarchon.

Exod. 8. 15.

gratiã retinere potuisset, si voluisset; aut recipere, si petijsset, cùm Deus petenti non desit.

Dicitur verò Deus præcepisse Semei, vt malediceret Dauidi; quod cùm vellet Dauidis adulteriũ & homicidiũ persecutione, & maledictione puniri, vsus sit ad hoc mala volũtate, & peccato Semei; nõ quidẽ iniungens illi peccatũ, sed cùm ille priuatus iustè gratia diuina libero arbitrio peccaturus esset, & Dauidi maledicturus, præcepit, hoc est, ordinauit, vt ad expiandum peccatum Dauidis hoc fieret, Ad eum modum, quo Paterfamilias, si ebrium quempiam videat flagrare desiderio aliquem percutiendi, neque cessaturum donec desiderio satisfaciat, iuberet ab eo vapulare seruum suum, qui alioqui pœnas daturus erat sceleris commissi. Quod in Genesi habet Latina translatio: Num Dei possumus resistere voluntati? legunt Hebræi: An pro Deo sum ego? quod verterunt 70. Nã & ego sum Dei. & Chaldæus. Nam ego timeo à facie Dei. Sensus igitur verus est: Nolite metuere, ego enim non sum Deus, aut Iudex vester, sed frater; Deũ timeo, in cuius manu sum, semperque fui, qui quod semel statuerat, nempe me ad hanc dignitatem euehere, hoc effecit; cuius ordinationẽ, quam vestro peccato impedire voluistis, potiùs promouistis. Igitur quod dicit noster interpres: Num Dei possumus resistere voluntati? non ad peccatum fratrum referendum est; sed ad dignitatem, & gloriam Iosephi,

quam

quam ipsi Deus decreuerat: Ideoque subiungitur, vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum.

QVARTA.

Si mouente Deo voluntatem nostram, esset in potestate nostra non moueri, aut sequi, Dei motio non esset efficax: quod videtur repugnare Scripturæ: *Verbum*, inquit, *quod egredietur de ore meo, non reuertetur in vacuum: sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Isai.55.11.

SOLVTIO.

Negatur propositio. Motio enim Dei semper est efficax, quia semper illuminat intellectum, & afficit voluntatem: nullam tamen necessitatem imponit, sed relinquit libertatem, quia hoc verbum Dei non mittitur, nisi vt iuuet voluntatem; non vt necessariò impellat, sicut manus porrigitur claudo, non vt inuitum trahat, sed vt ad ambulādum excitet, ingredientem sustentet, & iuuet.

QVINTVM.

Sacræ Scripturæ dicunt non esse in potestate nostra dirigere vias nostras: a *Scio Domine*, inquit Ieremias, *quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos:* b *& cor Regis in manu Domini sicut diuisiones aquarum*. Ergo non est liberum arbitrium. a Ier.10.23. b Prou.21.1.

SOLVTIO.

Scripturæ nihil dicunt aliud, quàm homini necessi-

necessarium esse diuinum auxilium, vt dirigat vias suas, hoc est, vt rectè ad Dei præcepta instituat vitam suam. a *Quia apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Homo enim ex se sine gratia Dei vel non videt, quod rectum sit, vel si videat, non afficitur ad bonum, iuxta illud: Meliora probo, deteriora sequor, vel si quandoque afficiatur, & bona multa poponat, ob voluntatis inconstantiam liberè à proposito resilit: vnde rectè dixit Sapiens: b *Cor hominis disponit viam suam; sed Dei est dirigere gressus eius.* a *Psa.* 36. 23. b *Prouer.* 16. 9.

Et quidem cùm cæteri homines indigeant gratia diuina ad rectè agendum, tum maximè Superiores & Reges, qui cæteris præsunt, partim quia grauius sustinent onus, quod maiori auxilio est subleuandum, partim quia non solùm pro suis, sed etiam pro populi meritis sùt dirigendi. c *Quia Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Hæc tamen nihil impediunt arbitrij libertatem; sed tantùm significant hominem, vt bene agat, & quidem liberè, egere Deo, cuius auxilio recedente soleat malum pro ferre bono. c *Iob.* 34. 30.

SEXTVM.

Scripturæ fatentur voluntatem hominis per peccatum amisisse libertatem. Dicimur enim d *serui peccati*, & e *corruptionis*, f *atq; iniustitiæ*, & g *captiui teneri ad voluntatem Dæmonis.* D. Augustinus fatetur quod liberum arbitriũ perdiderit hominem, atq; seipsum: Ac proinde non posse nõ peccare. Ergo nulla est libertas in homine. d *Ioa.* 8. 34. e *Rom.* 8. 21. f 2. *Pet.* 2 13 g 2. *Tim.* 2. 26. *Ench. ca.* 30 *De Spiritu & litera. cap.* 4.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia. Tametsi quippe magna libertas amissa sit per peccatum, non tamē omnis perijt. Perdidit quidem voluntas libertatem per se à peccatis resurgendi, bona inchoandi, & perficiendi, multò tempore sine nouis peccatis perseuerandi, Dæmonis concupiscentiæq; tentationibus resistendi; quæ concupiscentia nomine peccati, & corruptionis significatur. Retinuit tamen libertatem, primò in rebus adiaphoris, & politicis: Secundò, vt gratiam à Deo oblatam recipiat, vel reijciat: Tertiò, vt gratiæ admissæ cooperetur libere. Sicut homo, qui in puteum incidit, caret quidem facultate in loco spatioso ambulandi, neque potest se ipse educere: Multa tamen potest, vt loqui, clamare, immisso fune se cingere & ligare, vt extrahatur, cooperari. Igitur liberum arbitrium non perdidit naturam suam, quæ est in libertate posita, sed aliquam libertatem amisit, natura seruata; dicitúrque à D. Augustino perdidisse seipsum, non quidem se occidisse; sed graue malum attulisse, eo loquendi modo, quo diuitem hominem dicimus perijsse, qui in extremas calamitates, & seruitutem peruenit, etiamsi non sit occisus.

1.
2.
3.

DE

DE IVSTIFICATIONE.

Caput VI.

NOMEN Iustificationis à prophanis Scriptoribus non legimus vsurpatum, sicut nec verba ipsa iustificare & iustificari: sunt enim hæ voces Christianorum propriæ, vtpote qui soli iustificantur, & quid Iustificatio sibi velit, soli cognoscunt, & experiuntur. Vnde ab illis vera harum vocum significatio petenda est & discenda. Itaque iustificatio propriè mutationem significat ad Iustitiam: Iustificare iustum facere, seu Iustitiam dare: Iustificari Iustum fieri, seu Iustitiam accipere. Sicut calefactio est motus ad calorẽ; calefacere calidum facere, seu calorem dare: calefieri, calidum fieri, seu calorem recipere: similis ratio est de frigefactione, dealbatione, similibusque motibus vel mutationibus, quibus omnibus aliquid datur actione, & accipitur passione, habentque nomen à termino ad quẽ tenditur, hoc est, à forma vel qualitate, quę acquiritur, Calefactio à calore, Dealbatio ab albedine, Iustificatio a iustitia, quod in omni motu & mutatione solenne est, propterea quod termini à quib⁹ (vt Physici loquuntur) hoc est formæ, seu qualitates, quæ deseruntur, sint

Iustificatio est nomen Christianorũ.

variæ; quia paries, qui albedine tingitur, potuit vel nigrum colorem, vel rubeum, vel viridem, vel vnum ex inter medijs prius habuisse: & aqua calefit, quæ frigida prius erat, aut pida: quinimò prius calida, calefactione fit calidior, Ad eundem modũ dici solet, du-

Duplex Iustificatio.

1. plicem esse Iustificationẽ, à duplici termino, à quo: vnam quam Theologi primam vocant, quando ex iniusto quis fit iustus, ex peccatore bonus, ex inimico Dei, Dei amicus & filius; de qua Iustificatione ferè D. Apost. Paulus in epistolis suis contra Iudæos disputare consueuit:

2. alteram, quã Iustificationem appellant secundã, quando iustus maiori Iustitia & sanctitate augetur, iuxta illud quod est in Apocal. *qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctꝰ Sanctificetur adhuc.*

Apoc. 22. 11.

Cæterùm quia nostri temporis Hæretici, nullam agnoscunt in Iustificatione mutationẽ internam, cùm dicant hominem peccatorem tunc iustificari, non quando sordes peccatorũ eluuntur, hoc enim nobis dare nolunt, sed quando remanentes in hominis anima per Christi iustitiam, quæ illi per Fidem imputatur, veluti conteguntur, vt homo ex eorum sẽtentia nunquam fit reuera Iustus aut sanctus, sed propter velum Iustitiæ Christi, à Deo Iustꝰ aut sanctus tantùm habeatur, instar a *sepulchri dealbati quod foris mundum apparet, intus verò plenum est ossibus mortuorum*: & sicut res quæpiam, quæ per vitrum inspecta rubrum apparet rubra, cùm in se alio sit colore imbuta.

2 Matth. 23. 27.

Explican-

Explicanda erit conditio hominis peccatoris & hominis iusti: constat quippe ex Scripturis, ipsaque experientia comprobatur, diuersissimam esse vtriusque constitutionem. Homo enim peccator à Deo auersus est, volũtate ad creaturam conuersa, ex qua auersione creatur in anima tenebræ quædam, & fœditas admirãda, nõ secus atq; in corpore omni lumine specieq; destituto: quæ deformitas in Scripturis à luminis priuatione nomine tenebrarũ a nuditatis, turpitudinis appellari solet: b Es (ait Christ⁹) *miser & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* A fœditate etiam vocãtur peccatores varijs bestiarũ nominibus, c *serpentes, genimina viperarum,* d *lupi,* e *canes,* f *scorpiones,* g *porci,* h *sues,* etc nullum enim reuera monstrum est tam horrendum, & tetrum atque deforme, vt anima peccato contaminata: accedit enim ad deformitatem Dæmonis hoc solũ si excipias, quod illa per Pœnitentiam ablui possit, ista tanquã iam in naturam versa, & vt accidens inseparabile abstergi nunquam possit. Est præterea in anima peccatoris læsio & vulnus, iuxta illud, i *qui in me peccauerit, lædet animam suam*: siquidem p peccatum tollitur integritas virium internarum, & debilitas quædam ingeneratur, qua fit vt homo ad bona complectẽnda animo langueat: ex qua læsione efficitur deinde intern⁹ quidã dolor nẽpe cõscientiæ inquietudo, quia k *non est pax impijs, dicit Dominus,* & reatus atq; obligatio ad pœnam, quam mens ipsa homini

Constitutio peccatoris.

Fœditas animæ.

a *Apo.16.15*
b *Apoc.3.17*
c *Mat.23.33*
d *Actor.20.29.*
e *Phili.3.2.*
f *Eze.2.6.*
g *Mat.7.6.*
h *2. Pet.2.22.*

Vulnus animæ.

i *Pro.8.36. Luc.10.*

Inquietudo conscientiæ.

k *Isai.48.22.*

dictare solet, quæ obligatio nomine a *vermiculi*, & *coccini*, apud Isaiam indicatur. Et hæc quidem libenter concedunt aduersarij, qui toti in eo sunt, vt hominis conditionem deprimant, miseriamque extollant: sed de statu interno hominis iusti non perinde nobiscum sentiunt, aut loquuntur. Nolunt enim hominem per iustificationem reuera in anima mutari sed tanquam assumpta veste, foris tantùm apparere mundum, sanum & bonum, cùm intus sit non minus fœdus, languidus & impius, quàm ante Iustificationem fuerat.

a *Isai.* 1.18.

Constitutio hominis iusti

Catholica certè Fides ex Scripturis nos docet, hominem Iustum non amplius à Deo auersum esse, sed ad Deum conuersum voluntate illi intima & charitate adhærere. Ita Beatus Petrus. b *sed conuersi estis*, inquit, *ad Pastorem & episcopum animarum vestrarum*: Et D. Paulus: c *qui eratis longè, facti estis prope.* Hinc toties in Prophetis: d *Conuertimini ad me*, e *Conuerte nos Deus salutaris noster.* f *Conuerte me Domine, & conuertar*, nempe quia peccator per Iustificationem mutat voluntatem suam, Deumq; respicit, ad Deum accedit, intus mutatur: qua ex re sequitur in anima insignis quædam pulchritudo, non secus atque in Luna, qua parte Solem aspicit: Dei enim est lux vera, quæ g *illuminat omnem hominem* sine qua nemo illuminatur. h *Eratis aliquando tenebræ* (inquit Apostolus) *nunc autem lux in Domino*, hoc est, tanta claritas in anima hominis Iusti fulget, vt anima eius non solùm iam luce illu-

b 1. *Pet.* 2. 25.
c *Ephe.* 2.13.
d *Ioel* 2.12.
e *Psa.* 84. 5.
f *Iere.* 31.18

Pulchritudo animæ.

Chrysost. hom. ad baptizandos, & hom. 10. *ad Rom.*

g *Ioan.* 1.9. h *Ephes.* 5.8.

ſtrata, ſed ipſa prope lux eſſe videatur: deponitur igitur ſimilitudo Dæmonis, ſuccedit ſimilitudo Dei: & imago illa Dei, cui per peccatum magna labes aſperſa fuerat, iam abſterſis illis ſordibus, ad priſtinam redit pulchritudinem: ad eum ferè modum, quo pulcherrima Regis ſtatua varijs picturis, multaque nigredine defœdata, & adiectis ad caput cornib⁹, productoque naſo, & manibus vngulatis deformata, ſi abluatur, & his additamentis liberetur, nitorem ſuum, ſplendoremque recuperare ſolet. Redit tunc pax conſcientiæ, lætitia mentis, internũ quoddam gaudiũ & ſerenitas, ſumma que quies, quam toties vtriuſque Teſtamenti Scripturæ commendant: & ſi nullæ de ea Scripturæ loquerentur, mens & conſcientia illorum loqueretur, qui per Sacramenta Eccleſiæ cum Deo in gratiã redierunt. Experientia enim docet, quod hominis animus depoſita per Pœnitentiæ Sacramentum peccatorum ſarcina, longè quietius lætiuſque ſe habeat, quàm paulò ante, cùm peccatorum ſarcinam ſecum ferret, nempe quia iam reconciliatus eſt Deo, & à peccatis liberatus.

Simile.

Pax conſcientiæ.

Gratia Dei.

Siquidem in hominis peccatoris iuſtificatione, immittit Deus pro ſua miſericordia in animam diuinum & admirabile quoddã Spiritus S. donum, videlicet gratiam, quæ eſt quædam diuinitus infuſa animæ, qua non aliter fugãtur peccata, quàm tenebræ aduentu luminis: hanc accipit anima nitorẽ, diuinam

que pulchritudinem, qua non modò iam dicatur, sed reuera fit grata Deo, & homo gratia præditus iam nominetur, vt sit amicus, imò filius Dei a *Nihil* (inquit Apostolus) *nunc damnationis est ijs, qui sunt in* CHRISTO *Iesu.* hoc est, nullum peccatum quod damnationem mereatur: sed b *hanc charitatem dedit nobis pater, vt filij* Dei *nominemur & simus,* nempe per Spiritus sancti donum & gratiam, qua c *Spiritus S. testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij* Dei. DEVS sanè fœditatem non amat, neque peccatum, d *quia odio sunt* DEO *impius, & impietas eius :* vt ergo nos amet, & pro filijs habeat, reddit nos amabiles immisso in nos cœlesti dono.

a *Rom.* 8.1.
b 1. *Ioa.* 3.1.
c *Ro.* 8. 16.
d *Sapient.* 14.9.

Varia nomina gratiæ.

Quod donum propter suam excellentiam illustriaque officia sortitur in Scripturis varia nomina: dicitur enim primò gratia: e *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* multò magis gratia Dei, & donum f in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit: vbi abundauit delictũ, superabundabit & gratia, alijsque innumeris locis. Vocaturque hoc nomine duabus de causis: altera, quia gratis datur, quomodo etiam alia Spiritus S. dona hoc sibi nomen vendicârunt, h gratia sanitatum, miraculorũ, linguarũ, i prophetiæ, &c. altera quia gratos nos efficit Deo: k *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* Non enim DEVS est instar hominum, qui indignos amare solẽt, vel quod ipsi vitiosi sint, vel q iudicio & æstimatione fallantur; Deus ipsa bonitas non potest malos

1. *Gratia.*
e *Ro* 3. 24.
f *Ro.* 5.16.
g *Ro.* 12. 6.
h 1. *Cor.* 12.9
i *Ephe.* 4.11.
k *Eph.* 1.6.

diligere,

diligere, quia a *abominabile est Domino cor pravum:* & ipsa Sapientia non potest quicquam ignorare, quia b *scrutatur & intuetur renes & corda omnium:* ergo vt aliquem Deus diligat, efficit eum ipse amore suo dignum, hoc dono gratiæ, quod animum hominis prorsus immutat, prius immisso.

a Pro.11.20
b Apo.2.23.

Secundum nomen est Spiritus sanctus: c *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem,* d *Abba pater:* & e *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,* &c. f *repleti sunt omnes Spiritu sancto:* ob hanc potissimum causam, quod efficiat filios Dei, iuxta illud: g *quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* h *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater:* i &, *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.* Quemadmodum enim filius hominis dici nequit, qui hominis animam aut spiritum non habet: ita neq; filius Dei esse potest, in quo non est Spiritus Dei: k *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius:* & quia homo Iustus non solùm dicitur, sed reuera est filius Dei: l *Dedit enim Deus potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius,* necessum est, vt spiritum Sanctum in se habeat reuera per hoc diuinum donum inhabitantem.

c Gal.4.6.
d Rom.8.16
e Ioã.14.26
f Actõ.2.4.
g Rom.8.14.
h Gala.4.6.
i Rom.8.6.
k Rom.8.9.
l Ioan.1.12.

Tertiò vocatur Arrha seu Pignus hæreditatis: m signati enim sumus Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, quia confert homini ius ad vitam æternam. n *Si enim*

3. *Pignus hæreditatis.*
m Ephes. 1. 13.

n Rom.8.17. & Gal.4.5.7.8.

nim filij sumus, vtiq; & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Itaque qui hoc donum à morte sua secum feret ad tribunal Dei, non minus iuris & dignitatis habebit ad æternam gloriam adeundam, quàm ad mercedem plenam & solutionem habet is, qui post officium præstitum arrham exhibet. Non id quidem propter vim & dignitatem suorum meritorum, sed propter hoc cœleste donum, quod ei gratis est à Deo communicatum: sicut pauperculus quispiam è vulgò mendicorum, cui Magistratus Colonienſis signum Senatorium dedit, ius habet ad petendũ vinum Senatorium, non vi opum suarum, quas nullas habet, sed vi signi sibi gratis & liberaliter à Magistratu concessi.

Simile.

4. *Lux.* Quartò appellatur Lux: a *Deus* (inquit Apostol.) *qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris:* Hinc appellamur, *b lux*, & *c filij lucis*, nimirum quia donum hoc mirandum in modum illuminat mentem. Vnde sicut aduentu lucis pelluntur tenebræ, & picturæ, quæ prius his tectæ tenebris non videbantur, fiunt conspicuæ; ita simulatque hoc donum in animam immittitur, profligantur peccata omnia, illustraturque animus hominis, adeò vt mens, quæ prius excæcata erat, iam videat: & quæ in ipso peccati statu obscurata fuerant, nulliusque apud Deum meriti, illa iam pristinum recipiant splendorem, sic vt à Deo videantur, & probentur; qualia sunt opera bo-

a 2. *Cor.* 4. 6
b *Mat.* 5. 15.
c *Epes.* 5. 9. & 1. *Thess.* 5. 5.
Simile.

na ante peccatum facta, habitusque virtutum. Nam fides in homine peccatore est quidem, sed tenebris oppleta, a mortua, nihilq; ad salutem peccatori vtilis: accedente verò hoc dono & gratia, illustratur, vitam accipit, & nomen virtutis induit, quod cæteris virtutibus etiã vsu venit. Qua ex re intelligimus, primò quidem, quod prius natura intret in animam hominis gratia Dei, quàm peccata excludantur, quæ non nisi ipsius aduentu fugantur: sicut tenebræ non discutiuntur nisi irradiatione luminis. Secundò, quod nihil omninò sit in homine ad æternam vitam acceptum Deo, nisi adsit hæc gratia (vt b de charitate, quæ individua comes est gratiæ, probat Diuus Paulus) quemadmodum nihil videri nisi in lumine potest. Tertiò, quod sicut discussis nubibus ardore Solis redit serenitas: ita aduentu gratiæ restituitur homini conscientiæ tranquillitas, animæ lætitia, gaudium, quies, & abundantia pacis.

a *Iac.* 2. 26. & 1. *Cor.* 13. 2.

b 1. *Cor.* 13. 1

1.

2.

3.

Quintò vocatur Gloria: c *Omnes* (ait Apostolus) *peccauerunt, & egent gloria* Dei. hoc est, gratia Dei, quæ illustrem facit & gloriosam animam, terribilem Dæmonibus, admirabilem Angelis, qui tantum d thesaurum admirantur, in vasis tam fictilibus, quales sunt mortales & caduci homines. Vnde e B. Paulus appellat gloriam gratiæ, quod Hebraica phrasi idem est, atque gloriosa gratia: reddit enim hominem cœlestem, diuinum, f diuinæ consortem natu-

5. *Gloria.*

c *Rom.* 3. 23.

d 2. *Cor.* 4. 7

e *Ephes.* 1. 6.

f 2. *Pet.* 1. 4.

naturæ, & prorsus nouam creaturam: in quâ
a 2.Cor.5.19 Deus Pater iam non amplius *a* hominem intu-
Gal.6.16. eatur, sed Christum, quo induti sumus, cuius
virtute & dono homo intus planè mutatus,
non qualis prius erat, diuinis oculis se obijci-
at: sed factus nouus prorsus homo, & noua crea
tura, Dei in ieoculos conuertat.

6. Sextò appellatur Sanctitas: *b Induite nouum*
Sanctitas. *hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia &*
b Ephe.2.4. *sanctitate veritatis*: &, c *vt sine timore de manu inimi-*
14. *corum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate &*
c Luc.1.74. *iustitia coram ipso*: &, d *abluti estis, sanctificati estis.*
d 1.Cor.6. Vnde etiam Christiani homines sancti appel-
11. lamur, nempe quod per hoc donum consecre-
mur Deo, desinamus esse profani, & ad natu-
ram cœlitum proximè accedamus, pleni iam
Deo.

7. Septimò dicitur Vita, e *translati enim sumus de*
Vita. *morte ad vitam*, &, f *Spiritus viuit propter iustificatio-*
e 1. Ioan. 3. *nem*, vel vt Græcis est, *propter Iustitiam.* Nam g
14. Spiritus Sanctus viuificat, & h *conuiuificati sumus*
f Rom.8.10. *Christo*, à morte animæ reuocati ad vitam gra-
g 2.Cor.3.6. tię: sine hoc enim Spiritus S. dono, mortuus est
h Ephe.2.5. etiam is, qui corpore viuit: cùm hoc sit gratia
& Col.1.13. Dei animæ, quod anima ipsa est corpori.

Alia nomina Multa quidem sunt alia huius admirabilis
Gratiæ. doni nomina, i *semen Dei*, k *fons aquæ salientis in*
i 2.Ioã.3.9. *vitam æternam*, l *vestis nuptialis*, m *stola prima*, &c.
k Ioã.4.14. quibus non obscurè explicatur, quàm sit inter-
l Mat.22.12. num homini, quantam in eo mutationem effi-
m Lu.15.22 ciat, quàm insigni gloria animam illustret,

quàm

quàm gratum Deo hominem reddat, sed illis omissis, explicandum est nomen Iustitię, quod toties in Scripturis vsurpatur, quando iustificari dicimur, iustificati esse, iusti esse apud Deum, a *iustitiam Dei esse in nobis fidem nobis imputari ad iustitiam, &c.*

a Rom. 3. 22.

Itaque hoc donum diuinum, seu gratia Dei vocatur iustitia duabus de causis: quarum prior est, quia per eam reddit homo cuique quod suum est, Deo reuerentiam, cultum, obedientiam, plenam sui subiectionem, proximis amorem, sibi vitiorum exclusionem, & virtutum incrementa. Iusti enim est nullum officium suum prætermittere, nihil cuiquam subtrahere, cuiq; suum tribuere Dei legem obseruare, cum omnibus denique sine querela conuersari; *b* quod parentes B. Ioannis Baptistæ feciisse testis est Euangelista. Quocirca non sola venit in animam gratia, sed multis stipata comitibus, nempè virtutibus omnibus, quas singulas suis potètijs ipsa distribuit vt homo. Iustus his probè instructus, nihil prætermittit quod æquum sit & rectum: Altera est, quia per eam restituitur animæ similitudo Dei, efficiturque vt anima suo Creatori respondeat: Sicut enim mensura aut pondus, verbi gratia, vlna, vel libra iusta dicitur, si publicæ mensuræ, ponderiue respondeat, & contra iniusta, si vel excedat, vel minus quid habeat; ita iniusta est anima, quæ Dei in se similitudinem nõ exprimit, neque talis est, qualis coram Deo esse de-

Gratiæ donũ vocatur Iustitia duabus de causis.

1.

b Luc. 1.

2.

Simile.

debet: iusta autem erit, si hanc similitudinem & formam præ se tulerit.

Iustitia Dei. Hæc iustitia vocatur iustitia Dei, aut quæ
D. Aug. de spirita & liter. c. 11. ex Deo est iustitia, quod viribus humanis non comparetur, sed sola Dei misericordia instilletur: solus enim Deus iustitiam in nobis facit, hominibusque donat, & infundit, & quidem gratis sine vllis meritis nostris. Dicitur tamen
Iustitia nostra. a iustitia nostra, quia in nobis est: sedem enim
a Eze. 3. 20. & 14. 21. suam & domicilium in anima iusti collocat.
Iustitia fidei. Appellatur quoque iustitia fidei, quod ad eam adducamur, non naturali vlla cognitione, vel scientia legis Iudaicæ, sed fide Christi, quæ nobis & Christum proponit, qui hanc iustitiam nobis est sua passione promeritus, & ostendit modum quo ad eam Deo duce peruenire valeamus.

Ex his manifestè patet, hominem in iustificatione mutari, atque in animam eius aliquod donum, hoc est, internam gratiam infundi, qua reuera conuertatur ad Deum, eique gratus fiat & acceptus: fieri enim non potest, imò neque mente cogitari potest, hominem sine sui mutatione, cùm auersus esset à Deo prius, ad Deum rursum conuerti, aut à Deo illum diligi, vel pro iusto haberi, qui reuera sit iniustus, odioq; dignus: imò nec hoc intelligi potest, quomodo sine gratia Dei interna ex peccatore & improbo fiat homo iustus & bonus, vt nec qua ratione, sine lumine illuminetur aër discussis tenebris. Proinde cum Ecclesia Ca-

tho-

tholica credendum nobis est Deum in peccatoris iustificatione non prætendere externam iustitiam, aut sordes internas externo velo tegere, aut per Christi iustitiam, tanquam per perspicillum alieno colore infectum hominem aliter quàm in seipso verè sit, intueri: sed reuera gratiam, iustitiam & charitatem in animam infundere: qua homo sit verè iustus, sanctus, & bonus & in seipso, & coram Deo; cuius peccata remanentia non tegantur, neque radantur, neque occultentur: sed re ipsa prorsus tollantur, abluantur, & deleantur, quia *a nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu*, hoc est, quod per Prophetas dicitur. b *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt*; c *quantum distat Ortus ab Occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras.* d *Laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: lauabis me, & super niuem dealbabor:* e *dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri:* & Apostolus dicit: f *abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis*: toties Scripturæ loquuntur, g *corda nostra mundari & purificari*: quæ sordes hac purificatione tolluntur, si peccata non tolluntur? h Beatus Paulus multis disputat ad Romanos longè amplius nobis per CHRISTVM donatum esse boni, quàm per Parentem primum Adam sit illatum mali: hoc sanè verum non erit, si nec hoc quidē peccatū, quod attulit Adā possit deleri gratia Christi. Igitur fateamur, quod

a *Roma.8.1.*
b *Isai.1.18.*
c *Psa.102.2.*
d *Psa.50.4.*
e *Ezc.36.26*
f *1.Cor.6.11*
g *Ez.16.33. & Eccl.38. 18. & Iac.4. 8. & Actor. 15.8.*
h *Rom.5.*

quod ſicut omnes filij, qui ab Adamo naſcuntur, internum habent peccatum, & nullam iuſtitiam: ita qui renaſcuntur in Chriſto, internam accipiant iuſtitiam, & nullum retineant peccatum, vt ſicut peccator *a* portat imaginem terreni parentis, ita iuſtus portet imaginem cœleſtis: & ſicut peccator interna iniuſtitia reuera peccator eſt: ita iuſtus interna iuſtitia reuera ſit iuſtus; & *b ſicut abundauit delictum, ſuperabundet & gratia*, quæ gratia peccatum tollat & deleat: quia impoſſibile eſt peccatum ſimul in anima cum gratia reſidere, ſicut lumen & tenebræ, albedo & nigredo, eidem ſubiecto nequeunt inhærere. Atque hoc eſt, quod B. Ioannes ait, *c qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Si peccare non poteſt propter hoc ſemen, id eſt, gratiam Dei, ergo peccatum non habet, alioqui non aderit ſemen: vt enim pugnant vita & mors, ita gratia & peccatum. vnde ſicut fieri nequit, vt idem viuat, & ſit mortuus, hoc eſt, vita priuatus; ita fieri non poteſt, imò nec cogitari quidem poteſt, vt idem ſit iuſtus atque peccator: iuſtus enim idem valet quod viuens, & qui natus eſt ex Deo: peccator idem quod mortuus, quia *ſpiritus noſter* (inquit Apoſtolus) *viuit propter iuſtitiam.*

a 1. *Cor.* 15. 49.

b *Rom.* 5. 20

Simile.

c 1. *Ioan.* 3. 9.

Rom. 8. 10.

OBIE-

OBIECTIONES
Hæreticorum.

Cur Dæmones Dæmonumq; ministri hanc impiam de externa iustitia, continuisque in hominis anima sordibus peccatorum doctrinam in hunc orbem inuexerint, non alia causa est, quàm vt homines vitio suo ad malum satis ex se propensi virtutibus operam non darent; neque multum soliciti essent de purgandis animis à peccatis, quandoquidem nec ipse Christus hoc efficere potuerit, vt anima mundaretur; sed sibi persuadeant parum referre, qualiacunque peccata habeant, modò Christi iustitiam fide apprehensam sibi prætendant, & quasi altero velo peccata sua tegant. Huc referuntur omnia eorum argumenta & obiectiones, quibus Catholicam & orthodoxam fidem euertere, suamque nouam & à condito orbe inauditam inuentionem constabilire nituntur.

PRIMA.

In homine iusto semper est peccatum repugnans diuinæ legi: non est igitur in eo interna ista iustitia & gratia, quæ expellat omne peccatum. Antecedens ex Diuo Paulo est manifestum, qui fatetur *in membris suis*, hoc est, hominis iusti, *esse legem repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem eam in lege peccati*: est enim concupiscentia proprij nominis peccatum re- Rom. 7. 23.

pugnans Deo, & reum constituens hominem iræ Dei, dignumq; morte æterna.

SOLVTIO.

Negatur antecedens: atque ad eius confirmationem ex Beato Paulo respondendum est, non omne id esse peccatum quod repugnat legi Dei; alioqui & Dæmon erit peccatum, & mala hominis voluntas, adeoque homo ipse peccator, qui legi diuinæ vsque adeò non nunquam repugnat, vt Deum ipsum peccatorum vindicem optet non esse. a Antichristus extollet b se supra omne, quod dicitur Deus & quod colitur: cum sursque exibit in prælium impugnaturus Deum. Peccatum non est res aliqua, sed priuatio rei: quamobrem concupiscentia, hoc est, pronitas illa nostra ad malum, metaphoricè dicitur peccatum, eodem modo, quo res quæpiam illius qualitatis nomen vsurpat, cum qua magnam habet affinitatem, vel coniunctionem. Sic homo insigniter sceleſtus, scelus dicitur: ita alimentum quod valde commodat sanitati, consueuimus sanitatem nostram vocare. Antichristus appellatur ab Apostolo homo peccati, hoc est, insigniter improbus & peccator: & Christus factus est p nobis peccatũ, nempè hostia tollens peccata nostra, suscipiens in se vno peccatorum omnium personam, vt omnium peccata expiaret: Ita concupiscentia dicitur peccatum, tum quia à peccato nata, sicut effectus ac-

Roma. 7. 23.

a 2. Thess. 2. 4.

b Apo. 19. 19

Aug. li. 1. de nuptijs & concupis. c. 22. & lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 12. & lib. 3. de lib. arb. c. 19

accipit nomen causæ, Scriptura vocatur manus, sermo, lingua, oratio, stylus; tum quia in homine peccati omnis est causa, tanquam insigniter peccans, vel vt loquitur Beatus Paulus, a *supra modum peccans peccatum*: constat peccatum proprij nominis non peccare, sed à peccante fieri, atq; committi. Igitur peccatum non est concupiscentia, neq; motus ille concupiscentiæ, sed auersio voluntatis à Deo, illa peccatũ est, & quicquid ex eiusmodi distorta voluntata proficiscitur, diuina lege prohibitum, vt fornicationes, furta, homicidia, & sicut loquitur Christus, quod exit ab homine, hoc *b* coinquinat hominem, nempe ea omnia, ad quæ perpetranda contra Dei legem homo iniquè consensum præbet, concupiscentiæ suæ morem gerens.

a *Rom.7.13.*

b *Matth.15. 11.18.*

SECVNDA.

Concupiscentia est diuina lege prohibita: *Non concupisces*: ergo est proprij nominis peccatum.

Exod.20.17 & Deu.5. 25.

SOLVTIO.

Antecedens negatur, non enim cauetur diuina lege, ne concupiscentia sit in membris nostris, sed *non concupisces*, hoc est, eius motibus & desiderijs non consenties, c *ne regnet peccatum in mortali corpore nostro*: nam motus ipsos concupiscentiæ non operatur homo, sed sponte insurgentes patitur. d *Iam* (inquit Apostolus) *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quemadmodum igitur, si quis in e uitus-

Chrys. hom. 12. & 52. operis imperfecti.

c *Rom.6.12.*

d *Rom.7.17*

e *Simile.*

uitus audiat obscæna pronuntiantem, adeò nõ peccat, vt mereatur etiam apud Deum, si cum dolore animi sui audiat ; Ira nihil peccati est in sensu & motu primo concupiscentiæ, si voluntas consensu vel delectatione non accesserit, quia *a concupiscentia postquam conceperit, tum demum parit peccatum in voluntate.*

a *Iac.* 1. 15.

TERTIA.

Mandata Dei ab homine impleri non possunt : non enim potest diligi Deus ex toto corde, & tota anima, & ex omni mente, atq; ex omnibus viribus, vt fatetur D. Augustinus: semper igitur est homo obnoxius iræ Dei, & reus gehennæ.

Lib. de perfect Iustitiæ.

SOLVTIO.

Antecedens non falsum est modò, sed cum graui in Deum blasphemia cõiunctum, quem dicit impossibilia mandasse, cùm Apostolus contradicat, non solùm non impossibilia esse mandata, sed etiam *b grauia non esse* : & Christus *c iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Quare Beatus Augustinus, *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse seruari.* Possumus itaque diligere Deum in toto corde, sicut de se fatetur Dauid Propheta : d *in toto corde meo exquisiui te.* Et de eodem dixit Dominus, e *Dauid*

b 1. *Ioã.* 5. 3.
c *Mat.* 11. 30
Ser. 191. *de tempore.*
Chrysost. ho. 8. 29. 37. *ad popul. Antioch.*
d *Psal.* 118. 10.
e 3. *Reg.* 14. 8.

cuius.

custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. De Iosia Rege Iuda sic dicit Scriptura, a *similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua.* de filijs Israel sub Rege Asa fatetur Scriptura, b *quod in toto corde suo iurauerint Deo, & in tota voluntate quæsierint eum & inuenerint.* a 4. *Reg.* 23. 25. b 2. *Para.* 15. 15.

Toto enim corde Deum quærere, seu diligere, est sincerè, non simulatè diligere, quod aliâs appellat Scriptura corde recto, corde perfecto, & Samuel, c *Seruite*, inquit *Domino in veritate, & ex toto corde vestro.* Atq; vt noscerêt quid hoc sit, dicit alibi: d *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri.* Itaque toto corde seruire Deo, est Deos alienos nullos cum Deo admittere, seu, vt loquebatur Helias, e *non claudicare in duas partes*, hoc est, deponere omne peccatum, propositumque peccandi, nihilq; in corde, mente, voluntate aut bonis admittere, quod Deo aduersetur. Quid ni autem hoc liceat facere Deo, quod populus Israel fecit Absaloni? f *Toto corde*, inquit Scriptura, *vniuersus Israel sequitur Absalonem.* c 1. *Reg.* 12. 24. d 1. *Reg.* 7. 3. e 3. *Reg.* 18. f 2. *Reg.* 15. 13.

Quod B. Augustinus dicat hoc mandatum in hac vita impleri non posse, nõ ita intelligẽdum est, atque si omnes omnino homines sint huius mandati transgressores, nec à quoquam eo modo seruari possit, quo DEVS illud in hoc mundo seruandum præcepit; sed quod in *Perfectio mandati nos præcipitur.*

hac vita nequaquam ita plenè perfecteque ab homine vllo possit impleri, atq; eius dignitas postulat. Si enim perfectissimum sensum huius mandati, Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, &c. intueamur, ille demùm perfectè Deum diligit, qui perpetuò in Deum intentus, nil præter Deum cogitat, continèter in eum amore fertur, nunquam alibi quàm in Dei contemplatione mentem figit: quod vitæ mortalis conditio non permittit, quæ cogitationes à Deo ad necessaria negotia auertit: cibus enim sumendus est, somno indulgendum, laboribus mentis aliquando supersedendum, &c. Sufficit Deo, vt pro modulo nostro eum ex toto corde diligamus; nullaque simul cum ipso peccata in animos nostros admittamus; subinde quàm procul adhuc ab illa perfectione charitatis simus, nobiscum cogitemus; quotidie maiores in amore Dei progressus faciamus. Ad præceptorum obseruationem obligamur, non ad eorum perfectionem: satis enim est, si ex charitate rem ipsam præstemus, quæ mandatur, tametsi perfectius ea præstari possit. Iubemur vigilare & orare, a *imò*, vt ait Christus, *oportet semper orare*, & D. Paulus *sine* b *intermissione orare*: satisfacimus huic mandato, si statis ad orandum temporibus hoc agamus, tametsi longè melius perfectiusq; hoc mandatum ab illis impleatur, qui totas noctes in oratione ponunt, ita in Deũ intenti, vt vix vllam mentis euagationem patiantur: Perfe-

Simile.
a *Matth.* 26. 41. & *Luc.* 18. 1.
b 1. *Thess.* 5. 17.

ctiſſimè tamen oratur in cœlo, ſine intermiſſione, in perpetuis dulciſſimisque vigilijs. Mandatur nobis ieiunium, cui ſatisfacimus, ſi præſcriptis ab Eccleſia diebus à carnibus abſtinentes, vna circa meridiem refectione contenti ſimus. At longè perfectius ieiunant, qui pane ſolo & aqua victitant, aut qui totos dies ſine cibo potuque tranſigunt, ſicut totam quadrageſimam quotannis à Beato Simeone Stylite ieiunio traductam fuiſſe, author eſt Theodoretus. Præterea iubemur non concupiſcere, cui mandato ſatisfacimus, ſi prauis concupiſcentiæ motibus nec conſentiamus, nec delectemur: ſed perfectius non concupiſcunt, qui rariores eius motus ſentiunt: Perfectiſſimè autem illi, in quibus nulli motus exiſtunt, quod demùm in cœlo pleniſſimè conſequemur. Pari modo ſatisfacimus mandato de dilectione Dei, ex toto corde, ſi ſyncerè, non fictè; non verbo tantùm, aut lingua, ſed opere, & veritate diligamus: tametſi perfectius diligant, qui Dei amore, non ſola Decalogi præcepta ſeruant, ſed vt purius ei obſequium præſtent, peccandi pericula vitent, & per diuinas meditationes Deo perfruantur; eius quoq; ſectantur conſilia, omnibusque relictis paupertatem amplectantur, per caſtitatem carnem ſuam Deo conſecrant, & alterius arbitrio ſe in via Dei dirigendos per obedientiam tradunt. Perfectiſſimè autem diligitur à Beatis in cœlo, qui nihil præter Deum vel amant,

In Philotheo.

vel vnquam cogitant. Christus ipse non obscurè hæc indicare voluisse videtur, cùm rogatus aliquoties quid ad salutem esset necessarium, nunquam respõdit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. ne cui scrupulus ex mandati illius perfectione fortè oriretur: sed hoc tantùm, *non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrem tuum, & matrem tuam. Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, apertè significans, nos tunc nobilissimo illi, primoque mandato satisfacere, quando Decalogum obseruamus, mortalia peccata fugimus, Deo nihil anteferimus.

QVARTA.

Quò persona offensa, vel læsa dignior est, eò est & ipsa offensio læsióve grauior. Atqui Deus est infinitæ maiestatis, & dignitatis: omnis igitur qui offendit Deum, pœnam meretur infinitam. Sed non est in iustis quisquá expers peccati, cùm in Oratione Dominica *non solùm humiliter*, inquit D. Augustinus, *sed etiam veraciter ab omnibus dicatur. Dimitte nobis debita nostra: & a si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Omnis igitur iustus est reus gehennæ.

a 1. Ioan. 1. 8.

SOLVTIO.

Verum est omnem Dei læsionem mereri supplicium sempiternum: sed negatur id quod subsumendũ erat, omne peccatum esse Dei læsionem, Deus enim nõ semper, sed tunc solùm

lædi

lædi dicitur, quando quid admittitur, repugnans charitati, a *quia Deus charitas est*: quædam autem peccata, propterea sunt peccata, nō quia charitatem extinguunt, vel charitati aduersantur (quod in illa solùm cadit, quæ mortalia appellantur); sed quia minuunt feruorem charitatis, atque illa à Theologis venialia dicuntur, tanquam venia digna. Quemadmodum filius Regis non incurrit capitale crimen, si parentem conueniat indutus calceis sua incuria luto defœdatis, eumve moribus minus compositis alloquatur; merebitur quidem reprehēsionem, non tamen mortem: ita iustus, cùm sit Dei filius, si peccet leuiter, gehennam statim non meretur: quia *b* charitas operit multitudinem eiusmodi leuium peccatorum: Rursum vt ille qui contrariam omninò viam ingreditur, nunquam eò quò tendebat, peruenturᵉ est: sed qui in recto itinere manēs ambagibus subinde vtitur, veniet aliquando ad locum constitutum, licèt serius: Ita qui mortalibus peccatis Deum offendit: quia tota aberrat via, excidet à salute: sed qui leuioribus se contaminat, saluabitur ille quidem, sed tardius; & non nisi bene perpurgatus, vel in hoc seculo, vel in futuro.

1.Io. 4. 8. *Simile.* b 1.Pet. 4.8 *Simile.*

QVINTA.

Opera omnia nostra immunda sunt, multis sordibus infecta, & sicut Isaias loquitur: *facti sumus im mundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ*

Isa.64.6.

omnes iustitiæ nostræ. Igitur in homine iusto nulla est interna iustitia, quæ Deo placeat.

SOLVTIO.

Et antecedens falsum est, & mala est consequentia: non enim omnia piorum opera sunt immunda, labores B. Pauli, passiones Martyrũ, ieiunia & orationes Sanctorum grata fuerunt
a *Gen.6.9.* Deo. a Noê vir iustus, atque perfectus cum Deo ambulauit, hoc est, ad Dei voluntatem instituit vitam suam. Ezechias Rex audebat Deo di-
b *4. Reg. 20.3.* cere: b *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Parentes Beati Io-
c *Luc. 1.6.* annis Baptistæ c incedebant in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Isaias igitur non de iustis, sed de *impijs* sui temporis loquebatur, de quibus subiunxit eodem
d *Isa.64.7.* capite: d *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat*: illorum enim ieiunia, sacrificia, eleemosynæ, cæteraque externa diuini cultus officia rapinis, multaque iniquitate infecta erant.
e *Isa. 58.3.* e *Ecce*, inquit Dominus, *in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Fatendum quidem est nonnulla iustorum opera, subinde non ea puritate enitescere, quin leues saltem maculas contrahant, aut puluere venialium peccatorum aspergantur. Distrahimur enim in orationibus, irrepit inanis gloria conferenti eleemosynam, negligenter obiterque multa perficimus. At hinc non efficitur, in homine non

inesse

ineſſe veram iuſtitiam, qua bene operetur: Sed hoc potius ſequitur, in homine non eſſe iuſtitiam ſolam, ſed aliquam præterea labem, qua fit vt bonis adiungat mala. Siquidem homo iuſtus per iuſtitiam eſt filius Dei, ſed eſt præterea per innatam concupiſcentiam vitiumque naturæ filius Adæ. Itaque vt filius Dei, opera ſancta facit: vt filius Adæ, operibus bonis admiſcet pulueres & imperfectiones. Proinde non ſequitur Iuſtitiam internam non eſſe mundam, Deoque gratiam, eò quod opera non ſunt mundiſsima, ſiquidem munditiem, & bonitatem ſuam opera bona ab interna Iuſtitia hauriunt; impuritatem à concupiſcentia. Itaque vt pictor ſuæ artis imperitus eſſe iudicari non debet, ſi rem aliquam, ab alio impeditus minus eleganter pinxerit: Ita nec ex operibus minus perfectis, internæ iuſtitiæ perfectio pōderari debet, cùm imperfectionis cauſa non ſit iuſtitia, ſed innata concupiſcentia.

D. Aug. li. 3. cont. epi. Pel. c. 3.

Simile.

SEXTA.

Peccata iuſtorum dicuntur tegi, hoc autem quod operculo tegitur, manet: ſuperſunt igitur in iuſtis peccata, etiam poſtquam remiſſa fuerint.

Pſal. 31.

SOLVTIO.

Neganda eſt aſſumptio, quia non omnia quæ teguntur, manent velut ſub integumentis occultata, ſed quædam ita teguntur vt omnino pereant:

Simile. pereant: sicut externa chartæ vel parietis albedo, si atramento, vel nigro colore tegatur: ita superueniente in animam hominis gratia, atque iustitia, sic teguntur sordes peccatorum, vt penitus deleantur. Cæterùm cur Scriptura hac phrasi vtatur, vt peccata remissa dicat tegi, duplex videtur ratio reddi posse. Altera, vt intelligamus in die iudicij, quando singulorum hominum omnia opera, siue bona, siue mala, singulis manifesta erunt, tunc bonorum atque iustorum etiam peccata agnoscenda esse quidem, sed tanquam remissa & per misericordiã iustitiamq; Dei iam extersa atque deleta. Altera, quia sublata per iustificationem culpa, remanet interdum pœna reatus, qui per sancta opera pœnitentiæ tegendus est & velandus, quia, vt ait D. Chrysostomus, *nisi bona opera non solùm æquent, sed etiam superent peccata commissa (id enim quod tegit longius esse debet eo, quod tegitur) non erimus post hanc vitam immunes à pœna.*

Cur peccata dicantur tegi duplex ratio.

1.

Basil. li. de virginitate.

2.

hom. 80. ad populum.

Simile.

SEPTIMA.

Videtur non carere graui blasphemia, si dicamus hominem mortalem esse dignum Deo, aut dignum, qui à Deo diligatur. a *Quis enim potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* b *Nũquid iustificari potest homo comparatus Deo? aut apparere mundus natus de muliere?* Non est ergo in homine interna ista iustitia, quæ talem in eo dignitatem ponat.

a Pro. 20. 9.

b Iob. 25. 4.

SOLVTIO.

Nulla est blasphemia in eiusmodi verbis, quia Scriptura nos appellat filios Dei sanctos, dilectos. B. Paulus fatetur *Abraham habuisse gloriã etiam apud Deum*, hoc est, verè iustum fuisse, & sanctum in conspectu Dei. Non enim hic aliquid nostris meritis tribuimus, sed bonitati & misericordiæ Dei totum deferimus, qui gratia sua & iustitia nobis communicata, dignitatem hanc nobis munificentissimè contulit. a *Qui dignos nos fecit*, ait Apostolus, *in partem sortis sanctorũ*. Iniuriam faceret Regi mendicus, qui se filium Regis iactitaret. At nulla erit iniuria si benignitate regis in filium adoptatus, agnoscat in se Regis liberalitatem. Ideò enim hoc internũ iustitiæ donum, appellatur gratia Dei, & iustitia Dei, & spiritus Dei, vt totum Deo tribuamus, nostris meritis in eius prima infusione nihil adscribamus.

Rom. 4.2.

a *Coloss.* 1.12

Simile.

OCTAVA.

b *Christus est iustitia nostra.* Nulla est ergo alia iustitia in nobis.

b 1. *Cor.* 1. 30.

SOLVTIO.

Neganda est consequutio. Quia c *Christus est etiam sapientia nostra & sanctificatio, & d spes nostra*: est tamen nihilominus in nobis alia sapientia & sanctitas, & spei donum: dicitur ergo Christus iustitia nostra, tum quia sua passione nobis iustitiam promeritus est, tum quia iustitiã ipse

c 1. *Cor.* 1. 30

d *Colo.* 1. 27.

Christus quo modo sit iustitia nostra.

ipse nobis donat, & conseruat, tum quia quidquid in operibus nostris est iustitię vel bonitatis, hoc non ex virtute operum, vt nostra sunt, eis cõfertur, sed ex coniunctione cum meritis Christi.

NONO.

Per Christi iustitiam, quę nobis imputatur, iusti sumus: illa autem non est in nobis: caremus ergo hac inhærente iustitia.

SOLVTIO.

Negatur Propositio: nusquam enim in Scripturis legimus iustos per Christi iustitiam ipsis imputatam esse iustos; sed legimus frequenter fidem, vel fidei operationem, quæ est credere, imputari ad iustitiam. [a] Reputata est enim Abrahæ fides ad iustitiam: *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Hoc autem, quod dicitur fidem, vel credere ipsum, ad iustitiam reputari, duobus modis intelligi potest; vno modo vt idem valeat quod fidem à Deo pro iustitia haberi, & (quia Deus iudicio, atq; existimatione sua falli non potest) fidem esse iustitiam ipsam: hoc enim significat vocula reputare, aut putare, nempè estimare, habere: sicut aliquem reputare virum probum, est eum pro viro probo habere, & talem iudicare. Hoc modo B. Paulus in eodẽ isto quarto capite ad Romanos, vbi toties hanc vocem reputationi vsurpat, dixit, operanti mercedem,

[a] *Rom. 4.5.*

Fides duobus modis ad iustitiam imputatur.

1.

non

non reputari, seu imputari (eadē enim est vox Græcis λογίζεται) secundùm gratiam, sed secundùm debitum; hoc est mercenario mercedem non esse donum gratuitum, sed rem laboribus debitam. Quo sensu Scriptura dicere vult, fidē ipsam, qua homo iustificatur, esse reuera hominis iustitiā, non externam, sed inhærentem, (siquidem non externa, sed interna fide credimus) fidem inquam non nudam, a quā sine charitate nihil prodesse, imò mortuam esse fatentur Apostoli, sed qualem in Abrahamo fuisse testantur ijdem, nempe obedientem, & per charitatem operantem, cæterisque virtutibus instructā, quibus Christiani hominis perfectio continetur. Alio modo intelligitur, b *credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*; vt significetur iustitiam, qua peccator iustificatur, non acquiri operibus humanis, aut meritis comparari, sed mera Christi gratia effici; ad eam tamen accipiendam necessariam esse fidē, non nudam illam, in intellectu consistentem persuasionem; sed paratam obedire, eaque, quæ à Deo præscripta sunt, obseruare. Non enim alia fides præcessit in iustificatione Abrahæ. Talis igitur fides si adsit, concedetur iustificatio, aliaque multa præcedentia merita exigentur à Deo, prout ferebat opinio Iudæorum: quia per misericordiam Dei propter merita Christi reputabitur fides illa sufficere, ad iustitiæ & gratiæ infusionem, & peccatorum remissionem, Baptismi, Pœnitentiæq; Sacra-

a 1. *Cor.* 13. 3. & *Iaco.* 1. 25. & 2. 17.

b *Gal.* 3. 6.

Sacramento conferendam. Atque hoc sensu poterit etiam admitti, quod homini peccatori in iustificatione imputetur iustitia Christi, tametsi hæc propositio in vniuersa Scriptura non reperiatur. Sed tunc obseruandum est nomen iustitiæ duobus modis in Scripturis intelligi: vno modo pro interna illa gratia & iustita, de qua hactenus loquuti sumus: Alio modo pro operibus iustis: Ita enim loquitur Christus, a *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Et Beatus Ioannes, b *qui facit iustitiam ex ipso natus est.* Vocantur autem bona, aut iusta opera hoc nomine iustitiæ, tum quia legi Dei & regulæ diuinæ voluntatis respondent, tum quia ab interna iustitia perficiuntur, tum quia iustitiam augent, sicut scriptum est. c *Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ipse iustus est.* Vnde etiam mandata Dei appellantur d *iustificationes*, quia iustos faciant iustiores. Interna Christi iustitia non potest homini imputari; sed iustitia operum, hoc est opera eius iusta hoc modo imputantur, vt cùm nullæ vires humanæ, nulla mortalium opera, nullæ passiones, aut pœnitentiæ: deniq; nihil quod in homine est, possit mereri remissionem peccatorum, aut par esse iustificationi impetrandæ: diuina tamen iustitia necessariò exigat opera, & satisfactionem pro peccatis ab hominibus commissis: Christus suam passionem, sua iusta opera, sua merita Deo Patri in satisfactionem pro peccatis nostris obtulerit, quæ

Iustitia duplex.

1.
2.

a *Mat 6.1.*

b *1. Ioan. 2.29.*

c *Ioan. 3. 7.*

d *Psa. 118.5.*

à Patre

à Patre pro nobis accepta nobis imputentur, nobisque applicentur, atque si ea ipsi edidissemus. Valet enim solutio amici pro amico, & maximè amici talis, ac tantæ dignitatis, præsertim apud a *Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis*, b *qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.*

a 2. Cor. 1. 3.
b Ezech. 33. 11.

DECIMA.

Deus dicitur in Scripturis ab hominibus iustificari, c *vt iustificeris in sermonibus tuis*, & similiter homo ab hominibus, etiam impius ab impijs. d *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deū.* In his similibusq; sententijs nomen iustificationis non significat iustum facere, aut iustitiam dare, vel accipere; sed tantùm iustum pronunciare. Ergo neque in iustificatione impij aliud significat.

c Psa. 50. 6.
d Pro. 27. 15

SOLVTIO.

Duobus modis responderi potest, vno vt admittatur argumentum. Nihil enim in Iustificatione impij fit aliud, quàm vt is qui hactenus peccator fuerat, pronuntietur iustus, sed à Deo, cuius pronuntiare & dicere, facere est, & creare. *Ipse enim dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Non enim Dei sermo ideo verus est, quia res prius vera fuit (quod in nobis locum habet, quorum affirmare, vel negare nihil mutat in re) sed ideò res veræ sunt, quia Dei sermone veræ efficiuntur, qui non accipit à rebus veritatem, sed dat ipsis veritatem. Itaq;

Psal. 32. 9.

ſicut verbum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, efficit veritatem in re ipſa, vt illa res ſit Chriſti corpus, quæ prius corpus Chriſti nõ erat: Ita verbum, quo Deus iuſtum pronuntiat peccatorẽ, verbum eſt operatorium, iuſtitiam in homine peccatore creans. Alió modo reſponderi poteſt, voces quæ Deo ſimul hominibus conueniunt, non eadem ratione de vtriſque dici. Deus bonus eſt, ſed natura: homo bonus, ſed participatione bonitatis: Deus facit, ſed nullius ope, nullaque materia indigens: homo facit quoq; aliquid, ſed nõ ſine ope Dei: homo hominem producit, & Deus: ſed homo ſolum corpus donat; Deus etiam animam infundit. Ita Deus iuſtificat & homo: ſed Deus iuſtitiam dando, vereq; mentem hominis immutando: homo qui tam ſublime opus præſtare ſuis viribus nequit, id ſaltem faciendo, quod èius vires ferunt, nempe apud alios iuſtum pronunciando: homo enim alterius cor attingere nó poteſt, ſed tantùm externam famam, nomenq; purgare. Deus etiam corda noſtra purificat, intimoſque animi noſtri receſſus peruadit.

DE CAVSIS ET MODIS Iuſtificationis.

QVod in actionibus naturalibus fit, vt omnes habeãt cauſas ſuas à quibus producantur, aliqua antecedant, aliqua cõſequantur, & aliqua comitentur, id quoque in iuſtificatione locũ habet. Deus ſolus efficiens cauſa

causa est iustificationis, cuius solius est dare gratiam: iuxta illud, *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Siquidem peccatoris iustificatio est opera omnium maximum, in quo Dei inimicus, efficitur filius Dei. Voluntas à Deo auersa, suauiter, non inuita conuertitur, & hostis Diabolus fortis armatus de possessione sua deijcitur, vt rectè dixerit D. Augustinus. *Maius esse impiam iustificare, quàm cœlum & terram creare.* Vtitur porrò Deus instrumentis, quæ ad efficientem causam aliquo modo reuocantur, sicut etiam merita, quibus vt aliquid concedatur, vel fiat, promeremur. Duplicia autem sunt instrumenta, nempe coniuncta, quo modo manus hominis actionum humanarum vocatur generale instrumentum; & externa, vt calamus quo scribimus, securis qua findimus, &cæt. Coniunctum igitur DEO iustificationis instrumentum est CHRISTI Domini humana natura, per quam nobis diuinitas CHRISTI, omnia bona, & præcipuè gratiam atque iustitiam largitur; externum autem & à Christi persona separatum instrumentum est Sacramentum, præsertim Baptismi & Pœnitentiæ, sicut Apostolus loquitur: a *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis*: b *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem*, & B. Petrus, c *Saluos nos fecit Baptisma.* Est *enim ex institutione Christi tanta vis aquæ*, (sicut ait B. August.) *vt corpus tangat, & cor abluat, & tam est necessaria hæc ablutio, vt quamtumcunque profecerit Catechumenus*, ait idem, *adhuc*

Causa efficiens. *Psal.* 83. 12.

Tractat. in Ioan.

Duplicia instrumenta.

Coniunctum.

Externum.

a *Tit.* 3. 5.
b *Rom.* 6. 4.
c 1. *Pet.* 3. 21.

Tract. 80. *in Io m.*

Tract. 31. *in Ioan.*

adhuc tamen sarcinam iniquitatis portet, nec ei peccata remittantur, nisi venerit Baptismum. Causa verò meritoria iustificationis impij, nulla prorsus est, vel in ipso impio, vel in vllis alijs seu viuentibus hominibus, seu Sanctis in cęlo cum Christo regnãtibus: quia nulla omninò creaturæ opera, nullæ pœnitentiæ, nulla martyria, nullæ pœnæ, nulla virtus potest mereri cuiquam peccatori remissionem peccatorum suorum: peccatum enim, quod ex infinita maiestate offensi Dei infinitã malitiam cõtraxit, non nisi per infinitum meritum potest deleri, quod infinitum meritum in solis Christi operibus & perpessionibus, ob infinitam diuinæ personæ dignitatem cernitur; non autem in vlla actione aut merito creaturæ. Itaque quicquid ante peccatorum remissionem, peccator vel agit, vel sustinet, quicquid pro impij conuersione faciunt alij, etiamsi vniuersus terrarum orbis pro vnius peccatoris recõciliatione, qui vnico saltem mortali peccato Dei maiestatem offendisset, grauia supplicia adeoque mortem ipsam sustineret, nihil præstaretur dignum vnius illius peccati remissione. Hactenus de efficiente causa.

Causa finalis.

Finis, seu causa Finalis postrema, est Dei gloria, quia a *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Proxima salus hominum, quia b *Deus omnes homines vult saluos fieri.* Itaque Deus iustificat peccatorem, vt per ipsius iustitiam atque salutem gloria sua reddatur illustrior.

a *Pro. 16. 4.*

b *1. Tim. 2. 4.*

Forma

Forma, seu causa formalis, est qualitas, quæ iustificatione accipitur, nempe iustitia ipsa, & gratia: sic enim per iustitiam internam homo est iustus, sicut per sapientiam sapiens, per albedinem albus, per calorem calidus, per munditiam mundus. *Causa formalis.*

In mutationibus naturalibus antecedunt quædam, quæ subiectum præparant ad formã, quæ in ducenda est, suscipiendã: sic tabula priusquam albedine coloretur, poliri solet, atq; aptari, certoque loco ad pictoris manum constitui. Aqua quæ calefacienda est, ex flumine hauritur, cacabo infunditur, igni admouetur. Pari modo ante hominis iustificationem præcedunt nonnulla, partim internæ mentis operationes, partim externa opera, quæ tametsi iustificationem neque efficiant, neq; mereantur, aptant tamen hominis animũ ad iustitiæ infusionem. Istorum verò operũ duo sunt genera: nã quædam à solo Deo præstãtur sine nobis: alia à Deo, & nobis. Ad primũ genus pertinent, primò quidem externę conuersionis occasiones, quas nobis nihil minus opinantibus Deus immittit. B. Paulus [a] cęlesti fulmine prostratus ad credendũ inducebatur. Nicodemus, & plerique alij per Christi miracula commouebantur. [b] *Nemo*, inquit, *potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo*. B. Antonius ingressus in templum, vt præter opinionem legi audiuit, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*, relictis omnibus, *De præparationibus.* *Duo genera præparationum.* 1. *Externa media conuersionis.*

a *Act. 9. 4.*

b *Ioan. 3. 2.*

bus, solitudinem petijt. Innumeri sunt similes modi, quos hominibus ad conuersionem pro sua misericordia obijcit Deus, per concionatores, per prospera, per aduersa, per varios casus humanos, &c. Secundo verò eodem referenda est interna vocatio, nempe admonitio & illuminatio mentis, bonaque affectio voluntatis, quam Deus plerumque cum externis illis occasionibus vocando, adiungit; atq; etiam subinde sine illis immittit. Pauli cor prosternendo tetigit, Petrum autem in domo Pontificis solo interno aspectu ad pœnitentiam commouit: hanc appellamus gratiam præuenientem, de qua plura, quando de libero arbitrio diffe-

Interna vocatio.

ruimus.

2. Alterius generis opera sunt, quæ post hos primos initinctus à nobis cum diuino auxilio perficiuntur; quia non est satis, vt Deus externa media conuersionis obtulerit, animumque interno motu pulsauerit: sed nobis quoq; agenda sunt aliqua, & præparatio quædã est ad iustificationem facienda, quia *a hominis est animam præparare*, inquit Sapiens, & toties in Scripturis monemur; b *Præparate corda vestra Domino*, c *Parate viam Domino, rectas facite semitas eius*. Verissima est quippe vulgata illa B. Augustini sententia: *Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te.*

a *Prou.16.1.* b *1.Reg.7.3.* c *Matth.3.3. & Isai 40.3.* *De verbis Apostoli sermone 15.*

1. *Fides.* In his autem præparationibus primum locum sibi vendicat Fides, eiusque operatio, quę est credere. Nam d *accedentem ad Deum oportet credere.* Primò quidem, quia est; & quod inquirentibus

d *Heb.11.6.*

rentibus se remunerator sit: tum vnum esse Redemptorem & Saluatorem Iesum, qui sanguine suo pro peccatis nostris pretium soluit. Præterea Christum Dominum, non generatim tantùm pro vniuersis hominibus, sed pro singulis quoque in mundum venisse, passum esse, sanguinem sparsisse, mortẽ obijsse, à mortuis resurrexisse, atque ad Patrem in cœlos redijsse: vt firma fide cum B. Paulo de Christo dicat, a *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* a Gal. 2. 20.

Ex hac fide, quæ in intellectu versatur, oritur secundo loco in voluntate Spes, qua peccatoris animus erectus confidit sibi Christi meritis peccatorum condonationem: & hæc duo fidem videlicet, atque spem ante iustificationem in homine peccatore præcedere, tum experientia quotidiana, tum Scripturæ sacrę exẽpla docent: quia nemo ad Baptismum vel Pœnitentiæ Sacramentum, in quo datur peccatorum remissio, rectè accedit, nisi in Christum credat, & sibi peccata condonari speret. B. Apostolus Paulus ante aduentum Ananiæ in Christum credebat, cùm ad omnem Christi voluntatem paratus diceret: b *Quid vis me facere?* & certa spe toto triduo gratiam iustificationis expectabat. nec tamen iustificatus fuit ante Baptismi Sacramentum, quia post ieiunium triduanum dixit ei Ananias: c *Quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua*, quasi diceret, tametsi credas in Dominum Iesum, qui 2. *Spes.* b Act. 9. 6. c Actor. 22. 16.

apparuit tibi in via; tametsi speres in illum, quem paulò ante persequebaris; tametsi ieiunium ad hos tres dies produxeris; tametsi, vt catechumenus, profeceris: adhuc tamen sarcinam iniquitatis portas, & peccata tibi necdum remissa sunt, donec veneris ad baptismum: baptizare igitur, & Christianorum Sacramento
2 Act.10.2. ablue peccata tua. Cornelius *a* Centurio, sine omni fide non potuit esse religiosus, & timens Deum; sine spe nec orauit, nec eleëmosynas multas plebi fecit, nec Petrum ab Angelo admonitus vocauit: attamen peccatorum remissionem tum demùm consequutus est, quando loquente Petro de remissione peccatorum, cecidit Spiritus sanctus sicut in Apostolos ceActor. 4.31. derat ab initio. Magdalena, nec sine fide, nec
Luc.7.37. sine spe ingressa in domum Pharisæi lacrymis lauit pedes sui redemptoris, non tamen prius fuit iustificata, vel fide, vel spe, quàm à Christo diceretur, *remittuntur tibi peccata tua*. Alioquin enim dicere debuisset, remissa sunt tibi peccata tua, vel sicut paulò post iam data pecLuc.5.20. catorum remissione, *fides tua te saluum fecit*. Paraliticus, magna fide & spe periculum subijt in domum ingrediendi per tectum, postea tamMatt.9.2. men audiuit, *confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quasi diceret, bono animo esto, nunc tibi peccata remitto, iam etiam corporis morbum curaturus. Latro de cruce, nec sine fide corripuit socium blasphemantem, nec sine spe orauit,
Luc.23.43. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*: ei tamen

tamen tunc Christus à peccatis liberauit, quãdo Paradisum addixit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Tertium porrò in hac præparatione est Pœnitentia, hoc est, dolor de peccatis commissis, & propositum vitæ in melius commutandæ, eaq; faciẽdi omnia desiderium, quæ ad peccatorum condonationem consequendam, futura sunt necessaria. Vberes lachrymæ, sparsi crines, liber ingressus, sacrorum pedum oscula, pœnitentiam Magdalenæ indicant: Triduanũ Pauli ieiunium testis est doloris: Verba latronis satis præ se ferũt, quæ fuerit in eo vitæ anteactæ detestatio: *Nos*, inquit, *digna factis recipimus*; quasi dicat meritò dolere debemus, nos talia commisisse, quę tantis pœnis sunt expiãda. Hanc pœnitentiam Christus Dominus ipse statim initio prædicationis suæ denunciauit: a *Pœnitemini, & credite Euangelio*: & Apostolis mãdauit, b *prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes*. B. Petrus Simoni Mago suasit, vt c *pœnitentiam ageret, si fortè Deus remitteret ei impiam cordis cogitationem*, nõ obscurè significãs, hanc pœnitentiam præcedere peccatorũ remissionem. *Nemo enim potest nouam vitã inchoare & eligere*, ait B. Augustinus, *nisi quem veteris vitæ pœniteat.*

3. *Pœnitẽtia.*

a *Mar.* 1.15.
b *Luc.* 24. 47.
c *Act.* 8.22.

Li. de pœnit. c. 2. & l. 50.

Et ista quidem tria iam enumerata, Fides, Spes, & Pœnitentia in omni peccatore adultæ ætatis, ante iustificationem necessaria (de infantibus enim non loquimur, quibus Baptismi Sacramento in fide Ecclesiæ peccatum originale

Hom. 27.

ginale condonatur) tametsi sint dona Dei, & in magnis Dei beneficijs reponenda, qui mentem peccatoris fide illuminat, spe erigit, & dolore emollit, necdum tamen sunt virtutes Christianæ, quoad infusa gratia & charitate (quæ est forma virtutum omnium) cœlitus illustrentur.

Sola fides non sufficit ad iustificationem.

Ex quibus non erit difficile intelligere, fidem solam nō satis esse ad iustificationem obtinendam, neque fieri posse, vt sola hæc fides, qua quis Christum pro suorum peccatorum remissione passum esse, & mortuum apprehēdit, eamq; mortem pro peccatis suis acceptat, sine alia voluntatis motione peccata eluat. Necessarium enim est, primò vt peccata, quæ per Christi passionem remitti cupit, & speret sibi remittēda: nemo quippe hoc cupit & quærit, quod se assequuturū non sperat: deinde vt peccata illa displiceant, quibus desiderat liberari: hæc enim sola abesse volumus, quæ grauia molestaq; sint nobis. Porrò si peccata detestatur, & ab eis liberari cupit, necessum est, vt ad eadem non velit reuerti, quia nemo dicitur ea velle deserere, quæ statuit repetere. Igitur præter fidem necessaria est etiam ante peccatorum cōdonationem spes, & detestatio peccatorum, seu pœnitentia & dolor de peccatis cum proposito melioris vitæ.

Pœnitentia est proxima remissioni peccatorum.

Et quidem fides in his prima est; dolor autē de peccatis est peccatorum remissioni proxima. Sicut enim fides docet spem orare, & per

ora-

orationem impetrare, ita docet voluntatem de peccatis dolere, taliq; dolore ad peccatorũ remissionem quàm proximè disponi. Fides namque est habitus quidam intellectus, non minus atque scientia, cuius propria operatio est credere, hoc est, intellectu assentiri veritati illi, quam Deus proponit: perinde vt officiũ scientiæ est scire, hoc est, intellectu assentiri veritati humanæ, quæ ex suis rationibus & causis est deducta. Quemadmodũ igitur, si in solo scire conquiescas, hoc est, in veritatis cõtemplatione & assensu, neq; ad aliquod opus efficiẽdum progrediaris, nihilo vel ditior vel melior es euaturus: ita nihil gratiæ vel bonitatis, vel remissionis consequeris, si solo credere contentus, nihil aliud tibi faciendum existimaueris, quàm vt apprehendas Christum pro te esse passum. In homine principem locũ voluntas tenet, nõ intellectus, ac proinde voluntatis est ad Christi se passionẽ conuertere, cũ spe firma, & dolore peccatorũ, si homo verè cõuersus dici debeat. Sicut enim nõ cẽsetur legitimè in regno aliquid fieri, q̃ sine approbatione Regis Consiliarius facit: Ita nõ est plena ad Deũ conuersio, si solus intellectus (is .n. est veluti à consilijs voluntati) veritati cõsentiat, & voluntas veritate reiecta mendacium præferat & vanitatem; sed tunc demùm plena hominis cõuersio futura est, suisq; numeris absoluta: si q̃ per fidẽ intellectus approbat, hoc voluntas liberè cõplectatur. Verbi gratia, fides dictat,

Simile.

Simile.

ctat, peccatum commissum esse rem pessimã, peccatum igitur vt rem pessimam volũtas detestetur, doleat quàm potest maximè, emendationem proponat, & quiduis potius ferre constituat, quàm relicto Deo ad peccata reuerti, ijsq; in se iterum Dei Opt. Max. irã accersere.

Iustificatio in Sacramento.

His præparationibus, sine quibus peccata adultis hominibus non dimittuntur, peccator emollitus, adit Sacramentum, vel Baptismi, si sit infidelis, vel Pœnitentiæ, si fuerit Christianus: vbi per os Sacerdotis Christus ipse verbũ Sacramenti proferẽs, hoc ipsũ in anima verbo efficit, quod verbo significatur. Nã sicut a *verbo Domini cœli firmati sunt*: sicut *lux facta est*, cùm diceret, Deus, b *Fiat lux*; sicut mundatus est leprosus ad hoc Christi verbum, c *mundare*; sicut Lazarus reuixit ad imperiũ Christi, d *Lazare, veni foras*: ita verbum Christi in Sacramento efficaciter peccata tollit, infundit iustitiã, & gratiam, atque ex peccatore reddit iustum & filium Dei, non quia auditur, vel intelligitur, sed quia à Christo per Sacerdotis ministeriũ pronunciatur.

Verba Sacramentorũ sunt operatoria.

a *Psal.* 32.6.
b *Can.* 1.3.
c *Mat.* 8.3.
d *Ioan.* 11. 43.

Duplicia verba Dei. 1.

Duplicia enim sunt verba Dei, quæ duobus modis operantur, quædam audita, intellecta, & credita mentem afficiunt: quo modo Euangelium pro concione propositum, audientium corda mouere solet: de quo B. Apostolus ait, e *Euangeliũ est virtus Dei, in salutem omni credenti*. Alia non quia audiuntur, aut intelliguntur, sed quia ex diuina institutione vim habeat operandi;

e *Rom.* 1.16. 2.

operandi. Tale verbum erat quod dixit Iosue, a *Sol contra Gabaon non mouearis, & Luna contra vallem Aialō*: effecit enim hoc verbū, vt Solis & Lunæ cursus interrumperetur, cœliq; motus ad aliquot horas cōquiesceret: Tale est verbum cōsecrationis, *Hoc est corpus meū. Hic est sanguis meus*; quod à pane & vino, nec intellectum, nec auditum, naturas eorum in corpus, sanguinemq; Domini mutat. Tale similiter est verbum in Baptismo parūlorum: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quod licèt nec intelligatur, nec audiatur ab infante, reuera tamen cor eius mundat à peccatis, adeoque ex peccatore reddit filiū Dei: Tale est etiam verbum in Sacramento Pœnitentiæ: *Ego te absoluo*: quod ab idiota pœnitente, qui Latinè nescit non intellectum, & fortè non auditum, peccata condonat, & iustitiā confert. Vt enim anxij perpetuò non hæreremus, & dubij de peccatorum nostrorum condonatione maneremus, voluit Christus Sacramentorum verba esse operatoria, & hoc ipsum efficere, quod significant, dareq; certissimo illis remissionem atq; gratiam, qui animis ritè comparati Sacramenta pro dignitate susciperent.

a *Ioſ.* 10. 13.

Iustificatio etiam ascribitur alijs virtutibus.

Iustificatio igitur ordinariè hoc modo perficitur, vt in animam hominis peccatoris iam dictis rationibus præparatā, Deus ipse per Sacramenta infundat iustitiam, & cū ea virtutes quoque reliquas, vt vitijs absterſis, nouoque circūfusa cultu, per omnes animi facultates, tota

tota pulchra sit amica Dei. Atqui hinc est, quod in Scripturis non soli fidei, sed alijs etiã virtutibus peccatorum remissio adscribatur. a Quia *charitas operit multitudinem peccatorum*: & b *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: c *Timor Dei expellit peccatum*: d *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: &, e *Sperantem in Domino in misericordia circundabit*.

a 1. Pet. 4. 8.
b Luc. 7. 47.
c Eccl. 1. 27.
d Iaco. 4. 6.
e Ps. 31. 10.

Homo iustitiam accepit liberè.

Porrò ipse homo, qui iustitiam accipit, nihil ad hanc iustitiæ infusionem cooperatur, aut agit, sed ostium cordis sui tantummodò aperit, gratiamq; dum infunditur excipit, infusamq; libero volũtatis arbitrio retinet, iuxta illud: f *Dilata os tuum, & adimplebo illud*. &, g *Si quis aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum*. Adiuuat tamen hominis arbitrium Deus. Sicut scriptum est, h *Cùm locutus fuero tibi, aperiam os tuum*.

f Psa. 80. 11.
g Apo. 3. 20.
h Ezec. 3. 27

Aliquando iustificatur homo ante Sacramenta. D. August. l. 4. cõt. Donatistas, c. 22. & Ser. 116. de tempore.

Consueuit autem Dominus nonnunquam præuenire Sacramentum remissione peccatorum, sicut de Valẽtiniano scripsit B. Ambros. non quod per solam fidem, aut apprehensione iustitiæ Christi peccata dimittat, sed per insignem dolorem de peccatis, cui coniunctum est ardens desiderium vsurpandi Sacramenti, vt hac ratione Sacramentũ voto susceptum (vt loquuntur Theologi) hoc est, à pœnitente desideratum, cùm reipsa illud percipere non est integrum, absoluat à peccatis.

OBIE-

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

B. Apostolus Paulus frequenter in epistolis suis inculcat, peccatorem non ex operibus iustificari, sed per fidem; idē docent veteres omnes. Ergo nulla est opus alia præparatione ad iustificatioem, quàm vt firmiter credas.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia, quia (vt in cap. de Fide latiùs expositum est) præparationes, quæ iustificationem antecedunt, vt sunt credere, sperare, orare, dolere, peccata deflere, eleëmosynas conferre, &c. sub fide continētur, cuius ipsa sunt opera. Non enim voluit Apostolus iustificari peccatorē, simulatq; solo intellectu credit in Christū eiusq; beneficia sola credulitate arripit: sed per solam fidem voluit opera excludere à fide aliena; qualia erant opera legis Mosaicæ; & legis naturæ, quibus Iudæi, & Gentiles arbitrabantur se iustitiam assequutos. Hoc exponit Beatus Apostolus Iacobus, qui interpretatur tunc[a] Abrahamum per fidem iustificatum esse, quando ex fide Heroicum illud opus aggressus est, vt filium immolaret, quia tunc ait impletam Scripturam, quæ dicit, *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Eodem modo se intellexisse solam fidem clarè affirmat Beatus Apostolus Paulus,

Quid sit sola fides.

[a] *Iacob. 8. 2.*

[a] quan-

a Gal.5.6. a quando, inquit, *neque circuncisionem aliquid valere, neque præputium*, hoc est, neque Iudæorum, seu à Lege præscripta opera, neque Gentilium, quæ ex ratione edebant, virtutum officia; *sed fidem, quæ per charitatem operatur*, hoc est, opera fidei, qualia fuerunt obediẽtia Abrahæ in egressu de solo patrio & immolatione filij: constantia Moysis eligentis affligi cum populo Dei magis, quàm temporalis peccati habere iuciditatem: hospitalitas Raab, & quæcunq; veteris instrumenti Patres ex Fide vel egisse, vel
b Heb.11. 10. sustinuisse notauit Apostolus Paulus ad b Hebræos.

SECVNDA.

c Rom.10. 10. c *Corde creditur ad iustitiam*, inquit Apostolus: ergo sola illa fidei operatio, qua in Christum creditur, iustificat impium.

SOLVTIO.

Neganda est consequutio. Non enim sic dixit Apostolus, solo corde credẽdo iustificatur peccator, vel sola cordis credulitas iustificat, sed *corde creditur ad iustitiam*, hoc est, propterea corde credimus vt iustificemur, non sola credulitate cordis, sed alijs quoque operibus, quę ex ea credulitate procedunt.

At inquis: Nihil hîc ad iustificationem & salutem requirit Apostolus aliud, quã vt cor-
d Rom.10.9 de credamus, & ore confiteamur; quia *d si confitearis*, ait, *in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illũ suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Respon-

Respondeo. Non parũ hîc requiri ad iustificationem, & salutem ab Apostolo, præsertim suis illis temporibus, quãdo nomen Iesu Christi exosum fuit Iudæis, atque Gentilibus: tunc enim corde credere, & ore confiteri, non erat priuatim in cubiculo, vel in cœtu Christianorum Dominum Iesum pro Messia agnoscere & inuocare, sed erat palam reiectis idolis, nullo Tyrannorum, & suppliciorum metu Christi fidem confiteri. Hoc sanè qui faciebat, præclarum opus edebat fidei, quo nullum est maius in vita Christiana, vel præstantius.

TERTIA.

Si præparationes dicamus ante iustificationem necessarias, sequetur nos tribuere iustificationẽ operibus nostris, q̃ est derogare gloriæ Christi: *Nihil igitur requiritur præter fidem.*

SOLVTIO.

Falsum est illud ex ista re sequi. Non enim omnia, quæ beneficium antecedunt, merentur beneficium: sed illa sola merentur, quibus beneficium datur in mercedem. Mendicus ex casa sua proreptans, ad ædes diuitis, ad ianuam eius clamitans, multis precibus eleemosynam petens, vulnera ad cõmiserationem excitandã aperiens, manumq; ad accipiendũ munus tendens, multa quidem facit & patitur: sed hisce laboribus suis omnibus nullum acquirit ius ad exigendam eleemosynam, nihilque lege promeretur. Pari ratione qui credendo, sperando, orando, pœnitendo, ad iustificationẽ se parat, *Simile.*

suis meritis & præparationibus attribuere gratiam Dei non debet, sed soli misericordiæ Dei, accepta referre omnia; qui homini præparato, atq; disposito iustitiam gratis impertitur.

QVARTA.

Sapien. 15. *Nosse Deum est consummata iustitia*: ergo præter fidem nihil aliud est ad salutem necessarium.

SOLVTIO.

Negatur consequentia, quia multum interest inter nosse Deum, & credere. Credere est fide apprehendere, nosse verò Deum, est vel clarè Dei vultum in cælis intueri, iuxta illud, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum*: vel in hac vita dono sapientiæ gustare, & videre quàm suauis sit Dominus, quæ notitia non sola fide, sed *bona conuersatione timoreque & dilectione*, vt est apud Chrysost. *à pijs hominibus accipitur*.

Quid sit nosse Deum.

a *Ioan. 17. 3.*

Hom. 29. operis imperfecti. Ca. 42.

QVINTA.

B. Cyprianus ad Quirinum, *Fides*, inquit, *tantum prodest, & quantum credimus, tantum possumus*; ergo non est opus vllis præparationibus.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia, quia fides includit opera fidei; quæ fides si magna sit, edet opera magna, cum muliere Cananæa, quæ oratione, perseuerantia, patientia, humilitate, flexit misericordiam Christi: & cum *b* Centurione, qui

b *Matt. 8. 8.*

qui præsentia Domini se iudicabat indignum. Talis fides omnia potest, sicut affirmauit Saluator, a *Omnia possibilia sunt credenti.*

a *Mar.* 9. 23.

SEXTA.

B. Augustinus cap. 14. de fide & operibus, affirmat opera non præcedere iustificationem, sed sequi iustificatum: nullis igitur operibus præparemur ad iustificationem.

SOLVTIO.

Mala est consequutio: Quia B. Augustinus non de omnibus operibus loquitur, sed de illis tantùm, quæ apud Deum vim merendi habent. Putabant enim Iudæi operibus se gratiam iustificationis promeruisse; quibus respondet Beatus Augustinus, id fieri non posse, quod opera illa, quæ meritum habent, non præcedant iustificationem, sed sequantur: nemo quippe apud Deum, vel gratiam promeretur, vel gloriam, nisi homo iustus, qui filius Dei iam sit. Porrò præuijs illis operibus iustitiam non meremur sed aptamur tantùm, & præparamur ad iustificationem, quam gratis in nobis DEVS pro sua bonitate operatur.

SEPTIMA.

Infidelium omnium opera sunt mala: igitur quæ iustificationem præcedunt, non disponunt ad iustificationem.

SOLVTIO.

Omni ex parte est vitiosa argumentatio: Nã & antecedens est à veritate alienum, & mala est collectio. Infidelium enim opera sunt duplicia, quædam ex ipsa infidelitate facta seu elicita, cuiusmodi sunt ea omnia, quæ falsorum Deorũ cultu continentur, de quo genere operum loquitur Origines, cùm in librum Iob scribens, ait, *omnem sanctitatem, & iustitiam quam facit aliquis extra fidem, eam gratis & in perditionem iam facere: qui namque arbitratur se cultu idolorum iustificari, magis eo cultu offendit.* Alia infidelium opera non ex infidelitate oriuntur, sed aliunde, velut ex naturali instinctu, & rectæ rationis iudicio: Et hæc nemo dixerit esse peccata: non enim peccauit Aeneas pietate in parentem, nõ peccant infideles, qui naturali commiseratione ducti pauperibus eleemosynas conferunt, nec peccârunt Philosophi & Gentiles, quando virtutibus moralibus operam nauauerunt, quã diu conatus suos ad inanem gloriam nõ retulerunt, sed oculos defigentes in virtutum pulchritudine, earum amore capti sunt.

Opera Infidelium duplicia.

1.

Lib. 1. in Iob.

2.

Consequentia etiam vitiosa est, quia præparationes illũ, de quibus loquuti sumus hactenus, non infidelium, sed fidelium opera sunt, nimirum à fide ipsa profecta, atque dictata. Catechumenus sanè non est infidelis, vt nec peccator Christianus, siue Catholicus. Quia sine fide in Christum, neque Catechumenus, neq; peccator

cator Christianus, iudicium Christi metuit, in Christum sperat, de offenso CHRISTO dolet, Christum orat, Sacramenta Christi vsurpat.

DE MERITIS BONORVM OPERVM.

Caput VII.

DIXIMVS in mutationibus quædam antecedere, quæ materiam præparent: quædam comitari, quæ simul cum mutatione eueniunt: quædam verò consequi, propter quæ nimirũ mutatio fuit instituta. Velut aqua priusquam calefiat hauritur, vasi infunditur, ignis instruitur, instructo igni admouetur. Dum verò calefit, frigus pellitur, calor inducitur, & eę qualitates, quæ sunt cum colore coniunctæ: nam aqua rarescit, emittit vapores; & si ante in glaciem concreta fuerat, dissoluitur, redditurque clara & limpida: Vbi porrò quantum satis est caloris accepit, non conquiescit, sed eò tendit operãdo ad quod calefacta fuerat: Itaq; coquit, purgat, macerat, calefacit, &c. *Simile.*

Eadem in iustificatione locum habent; quam vtique præcedunt illa, quæ peccatorem ad iu-

stitiam suscipiendam accomodant, & disponunt: commitantur depulsio peccatorum, ornatus animæ, dignitas filiorum DEI, summa pax & tranquillitas conscientiæ, cæteraque, de quibus precedenti capite vberius est actum. Iam verò homo iustificatus & adoptatus in filium DEI, per gratiam eius atque iustitiam, & vtiliter operatur, & pariter operando meretur, tum iustitiæ incrementum, tum vitam sempiternam: Iuxta illud Apostoli: a *si filii et hæredes: hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chri-*
b 2. Tim. 2. 12. *sti: si tamen compatimur, vt & conglorificemur: b nam si sustinebimus, & conregnabimus.*

Hæretici, qui liberum arbitrium ex hominibus sustulerunt, Deoque omnes humanas actiones ascripserunt, nec vllam iustitiam; internamue gratiam, sed solum peccatum in homine quamuis sanctissimo, quo perpetuò reus sit ignis gehennæ incendij, posuerunt: necessaria ratione omne meritum bonorum operum hoc ipso negare coguntur. Vbi enim non est libertas in agendo, nullum esse meritum potest. Deinde vt vel maximè libertas foret, nihil tamen apud inimicum meretur inimicus, neque apud Deum peccator.

Descriptio meriti. Catholici meritum hoc modo describunt, vt sit actio libera, cui merces debetur ex iustitia. Cuius definitionis quinq; partes explicandæ veniunt.

Quinque partes.

Prima est, Actio, quo nomine non solùm externa, sed interior quoq; actio cõprehenditur, vt

vt diligere, sperare, orare, credere, a *hoc enim est opus Dei,* (inquit Christus) *vt credatis in eum quem misit ille.* Deinde sub voce actionis perpessio etiam & omissio continentur: nam & Martyres acerbos cruciatus peferendo. & Rechabitæ abstinēdo à potione vini promerebantur: & nos item quoties ab actione vacamus ex obedientia voluntateq; maiorum, non dubium quin mereamur. a Ioa. 6. 29.

Secunda est, libera. Quippe meritoria omnis actio debet ab homine ita præstari, vt possit omitti; iuxta illud b *Qui potuit transgredi, & non est transgressus,* & illud Apostoli c *Si volens hoc ago, mercedem habeo.* Sicut enim nulla est actio, vel bona, vel mala, laude vel vituperio digna, quæ non à libera voluntate promanat: ita nihil mereri potest homo, nisi actione liberi arbitrij sui. Nam & in morbis, alijsque molestijs, & incommodis perferendis, quæ declinare minimè possumus, cernitur libertas in patientia constantiaque animi; non enim ipsum sustinere, sed patienter sustinere, & liberum est, & meritum annexum habet. b Eccl. 31. 10. c 1. Cor. 9. 17

Tertia est, Merces. Nam omne meritum refertur ad mercedem: quisquis enim meretur, non meretur nihil, sed aliquid: Et hoc ipsum quod meretur, appelletur merces. Est igitur merces compensatio operis præstiti, nempe, vt non minus detur, quàm mereatur opus, sitque dignitas quædam operis ad mercedē. Dignitas porrò duabus ex causis cernitur; Vna est, si opus *Merces quid.* *Dignitas duplex.* 1.

si opus ipsum magnitudine æquet mercedem, quo modo suis laboribus mercenarij diurnam
2. mercedem merentur. Alia est nõ quidẽ ex magnitudine operis, sed ab æstimatione vel eius qui operatur, vel eius qui mercedem tribuit. Aliquando enim conditio personæ addit paruo operi magnam dignitatem; velut DOCTOR medicus dum ægrorum inuisit, multò maiorem mercedem in eo quod vel semel ad ęgrotum venerit, sibi deberi existimat, quàm operario, qui totum diem in maximis & assiduis laboribus perferendis consumit. Aliquando penuria operariorum mercedem augeat; Aliquando præstantia artis; Aliquando ex
a Gen. 29. 20. amore rei æstimatur labor, a sicut Iacobo septem anni, quibus se in seruitiũ Laban auunculo suo dedit, pauci p̃ amore *Rachelis* videbantur.

Quarta est, Debita. Siquidem quisquis meretur mercedem, ab aliquo mereatur necesse est: & hunc appellamus debitorem quia mercedẽ debet: manetque obligatio apud debitorem ad
Duplex debitum. soluendum debitum. Intelligendum porrò est duplex esse debitum: purum seu exactum,
Purum. & non purum. Purum est, quando re vera, & non ex gratia vlla, sed ex æquitate laboris, aut operis, merces debetur: ad quem modum mercenarijs & operarijs debitores efficimur. Non
Non purum. purum est, vbi non solius æqualitatis, sed etiã alicuius gratiæ ratio habetur: cuiusmodi oriri
1. solet primò ex liberali promissione. Veluti si Princeps, qui nulli quicquam debet, præmium pro-

proponat eximium certanti, vel leue aliquid facienti; promissio enim tametsi gratuita, inducit obligationē: Secundò, ex gratuitæ & liberali conuentione, vt quando quis conuenit & paciscitur cum eo, cui alia ratione non potest esse debitor, qualis est ratio inter patrem & filium: Cùm enim filius quicquid est, parenti debeat, à quo esse ipsum, & naturam acceperit, re vera nihil potest parens debere filio, nisi ex conuentione, & pacto: Similis est ratio inter dominum & seruum, quia seruus est domini, in cuius commodum actiones & officia sua omnia conferre tenetur: Sin autem, vel pater cum filio, vel dominus cum seruo paciscí velit de mercede alicui eius officio constituenda, vera nascetur obligatio, & tenebitur ad mercedem reddendam ex pacto & conuentione. 2.

Tertiò ex subsidio vel auxilio, quod operanti à conductore impenditur, velut si quis mercenarium ad colendam vineam conductum, sic opera sua & charitate iuuet, vt & maiorem partem operis ipse curandam per se suscipiat, & infirmum mercenarium ne nihil facere videretur, suis manib. & officijs sustētet. 3.

Quinta est, Ex iustitia, quia meritum omne innititur iustitiæ, propter æqualitatem, quæ inter mercedem esse debet & meritum. Aequalitas autem ista duplex est. Vna mercedis ad opus, quam vocant iustitiam commutatiuam, qualis est in emptionibus, locationibus, permutationibus, quando nimirum merces operi *Duplex æqualitas, Iustitia commutatiua.*

æquatur, vel pretium rei venditæ aut locatæ. Altera mercedis præmij ad personam, quæ dicitur Iustitia distributiua, quando non tantùm laboris, sed potissimum personæ, habetur æstimatio; qualis cernitur in distributionibus, vt digniori plus deferatur honoris, & amplius in republica tribuatur. In actibus Academicis & celebriore conuentu Scholarum honoratiori loco residenti, & si distribuendum aliquid venit, amplius accipiunt Doctores, minus Licentiati, minus adhuc qui sunt inferiore loco, pro cuiusque dignitate. In omni igitur merito necessaria est altera æqualitas, vt sit vel commutatiua iustitia, sicut in mercenarij diurnis laboribus, vel distributiua, sicut in designationibus honorum atque locorum pro personarum dignitate.

Iustitia distributiua.

Hac definitione sic explicata, ratio meriti humani ad Deum his propositionibus explicari poterit, quarum prima sit; Nulla opera nostra quamuis optima, si ex se considerentur, mereri possunt vitam æternam. Tanta quippe est magnitudo bonorum cœlestium, vt quantumcunque magna & ardua vel facias vel patiaris, nihil dignum illi æstimari debeat. Vnde Beatus Apostolus; a *non sunt* (ait) *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et Diuus Chrysostomus: *Et si millies* (inquit) *moriamur, etsi omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad*

1. *Propositio.*

2 *Rom.* 8. 18.

Lib. de compunctione cordis.

ea,

ea, quæ ipsi à DEO *percepimus.*

Secunda. Opera hominis peccatoris diuina charitate destituti, quàmuis præclara atque ex se perfectissima videantur, nihil prorsus ad vitam æternam promerendam conferunt: *a* nõ enim respexit Deus ad Cain, aut ad munera eius, *b* neq; suscepit sacrificium Saulis. Cur ita? Quia sine gratia, & charitate nihil acceptum est Deo: & B. Paul. hoc clarè affirmat: *c Si distribuero, inquit, in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 2. *Propositio.* *a* Gen. 4. 5. *b* 1. Reg. 15. 22. *c* 1. Cor. 13. 3

Tertia. Inter Deum & homines non potest exacta, qualis est inter homines iustitia intercedere. Non enim potest Deus ad eum modum debere nobis, vt misericordi gratia sua seposita, ex re aliqua nobis remaneat obligatus. Primò, quia factura eius sumus, qui omni ex parte nos fecit & possidet, & cuius sunt omnia nostra. Secundò, quia cùm alijs innumeris beneficijs nos sibi obstrinxerit; tum pretio sanguinis, vitæque suæ nos emit. Vnde si pater filio ob beneficium ortus sui, & dominus seruo, vel equo quem pretio & pecunia sibi comparauit, nullo iure quicquam debeat, multò minus debitor effici, vel obligatus manere potest homini Deus creator & redemptor noster. Tertiò, quia pecunia Dei est, qua quippiam ab ipso mercamur, hoc est gratia Dei, in qua tota meriti nostri ad Deum ratio consistit. Quamobrem sicut non est 3. *Propositio.* *Cur Deus nequeat esse debitor propriè.* 1. 2. 3. *Simile.*

est perfectam iustitiam statuere inter mendicum à diuite viro quopiam ementem domum, & diuitem ipsum, qui mendico quidem vendit ædes iusto pretio, sed pecuniam interim gratis donat, qua mercetur eam, ita nec inter Deum & nos, qui & gratiam qua operemur, & ipsa opera, quibus cœlum mercari ac mereri datur, accipimus à Deo, *a* qui operatur in nobis velle, & perficere pro sua bona voluntate: iuxta illud: *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.*

a *Phil. 2, 13.*

Isai. 26. 12.

4. *Propositio* Quarta. Deus tametsi liberrimus sit, nulliq; obligetur, neq; verò cuiquam possit obligari, potest tamen hominibus seipsum obstringere promissione, vel pacto, & conuentione sponte facta. Promissione confirmata iureiurando pollicitus est nobis Messiam, *vt per duas res immobiles,* (inquit B. Apost.) *quib. impossibile est mentiri Deum, fortissimũ solatiũ habeamus.* Pacta multa, fœderaq; frequentia sanxit Dominus cum filijs Israël: At verò potissimum cum populo Christiano singularem inijt conuentionem, qua mercedem vitæ æternæ ei addixit, si diuina mandata seruaret. Hinc toties nomen mercedis in Scripturis: *b est merces operi bono,* ait Dominus. c *Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* d *Reddet Deus iustis mercedem laborum suorum.* e *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* f *Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam;* quia g *vnusquisq; mercedem accipiet, secundum suum laborem.*

Hebr. 6. 18.

b *Ier. 31. 16.*
c *Sap. 5. 16.*
d *Sap. 10. 17*
e *Matt. 5. 12.*
f *Matth. 10. 42.*
g *1. Cor. 3. 8.*

Ita

Ita enim agit misericordia sua nobiscum patientissimus Deus, quomodo nos cum operarijs solemus. Primùm enim de pretio conuenimus: mercedeq; constituta, quo res sit cautior, arrham damus. Postea opus iam effectum inspicimus & exploramus. Denique si ex ratione conuentionis perfectum opus est, mercedem tribuimus. Adeundem modum Deus, primò quidem cum humano genere, ac præsertim cum Christianis conuenit, sicut in parabola Patrisfamilias explicatur, a *qui conuentione facta cum operarijs de denario diurno, misit illos in vineam suam.* Deus enim Abrahæ dicebat, b *Ego ero merces tua magna nimis.* Et Christus, c *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: secundò, certos nos facit de mercede, dato arrhabone, nempe Spiritu suo sancto, quem infundit in corda nostra. Sicut B. Apostolus testatur; d *signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

Simile.

a *Mat.* 20. 2.

b *Gen.* 15. 1.

c *Mat.* 19. 17

2.

d *Ephe.* 1. 13.

Tertiò, peractis laboribus omnibus post emensum huius vitæ curriculum, e *vniuscuiusque opus quale sit, ignis diuini iudicij accuratè probabit, vt cuius opus manserit mercedem accipiat*; & si omnibus numeris fuerit absolutum atque perfectum, f mercedem plenam accipiat. Quartò, datur merces, quia g *ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & merces eius cum eo.* h *Ecce* (inquit Christus) *venio citò, & merces mea mecum, reddere vnicuique secundum opera sua.* Ex his Scripturis manifestum euadit, iustorum opera apud Deum mereri, ijsque mercedem æternæ vitæ deberi, & Deum

3.

e 1. *Cor.* 3. 13

f 2. *Ioan.* 8.

4.

4.

g *Is.* 40. 10.

h *Apoc.* 22.

12.

ipsum

ipsum misericordi sua bonitate iustis debitorem esse, qui se gratuita conuentione admercedem reddēdam obligauit. Hinc toties in sacris literis nomē occurrit a reddendi, *Et reddere vnicuique secundum opera sua.* Vox quoque retribuendi tanquam prius aliquid datum, vel oblatum sit, ab illo, cui redditur aut retribuitur, hoc est rursus datur aut tribuitur. b *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* c *A Domino accipietis retributionem:* d *iustum est retribuere:* & e *retribuetur tibi in resurrectione iustorum:* f *quia in custodiendis mandatis*, seu iustitijs, *Domini, est retributio multa.*

a *Rom.* 2. 6. & 1. *Cor.* 3. 8. & 2. *Cor.* 5. 10. & *Gal.* 6. 8. & 2. *Tim.* 4. 8.
b *Ps.* 17. 22.
c *Col.* 3. 24.
d 2. *Thess.* 1. 6.
e *Luc.* 14. 14
f *Psal.* 18. 12

Obseruandum verò est, Scripturam quando de retributione loquitur, eadem verborum formula vti, cùm agit de iusto reddendis præmijs, qua vtitur cum improbis supplicia denunciat, vt clarè perspiciatur non minus nos bonis actionibus æternam fælicitatem, quàm malis & flagitiosis promereri æterna supplicia. Ita Diuus Paulus: g *secundum duritiam tuam* (inquit) *& impœnitens cor thesaurisas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iustitij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius, ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs quidem, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Et alibi: h *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.* Item: i *Iustum est, apud Deum tribuere tribulationem*

g *Rom.* 2. 5.
h 2. *Cor.* 5. 10.
i *Thess.* 1. 6.

nem, his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum. In extremo iudicio simili prorsus modo adijcietur causa sententię iustorum, atque damnationi impiorum. Sicut enim his dicetur: *Ite a maledicti in ignem æternum: quia esurijui, & non dedistis mihi manducare:* hoc est, quia peccatis gehennam estis commeriti: Ita dicetur iustis: b *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum, quia esurijui & dedistis mihi manducare:* hoc est, quia bonis operibus æternam vitam commeruistis.

a *Mat.25.41*

b *ibidem.*

Quinta. Opera iustorum non solùm ex pacto accepta sunt Deo, & æternam beatitudinem promerentur, sed propter inhabitantem quoque in ipsis diuinam gratiam, quæ quidem hominem gratum & acceptũ efficit, dignumque Deo: c *Inuenit illos dignos se,* ait Sapiens, d *digniąque sunt Regno Dei, & opera eius dignitatem quandam consequuntur ad sempiternam cœlorum gloriam.* Siquidem primò gratia illa Dei constituit hominem amicum & filium Dei, sponsamque CHRISTI, & cœlestem quandam naturam planeque diuinam attribuit. Amicus & 2. iure amicitiæ ab amico meretur; filio parentibus obsequenti debetur hæreditas; sponsæ & *Iuã* 1.12: fidem seruanti sunt communia sponsi bona. & *Ose.2.19.* Et res supernaturalis atque cœlestis superna. & *Eph.5.9.* turale etiam præmium & cœleste diuinis suis operibus meretur, vt præmium operanti respõdeat. Secundò eadem illa gratia admirabili modo cõnectit hominem Christo vt membrũ capiti;

5. *Propositio*

c *Sap.3.5.*

d *2.Thess.1.*

5.& Apo.3:

4.& 14.

Iob.2.5.& Rom.8.30

Ioan.3.22:

Simile:

capiti; sicut enim caput per omnia membra operatur, illisq; vim quandam agendi & sentiendi attribuit: ita Christus in nobis operari dicitur, iuxta illud: a *Viuit in me Christus*: b *Loquitur in me Christus*: Nam c *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, & sicut palmites à vite, ita nos ab ipso succum attrahimus. Tertiò, d per gratiam inhabitat Spiritus Sanctus in homine, perficit illa opera, quæ merentur æternam gloriam: e *Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, Spiritus sanctus loquitur in iustis, f *orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, g *& filij Dei aguntur spiritu Dei*. Sicut igitur si rusticus quispiã, characteres formans manu Regis scribendo moueretur, scriptura illa qua ex parte à rustico conficitur, nullius est ponderis; sed quia Rex scriptoris manum in scribendo & delineando conformauit, magnam habet dignitatem: Ita opera nostra propter Christum, qui nobis, ceu membris vtitur, & Spiritum sanctum inhabitantem, & per nos operantem, digna sunt cœlesti præmio.

a *Gal.* 2.20.
b 2. *Cor.* 13.3
c *Ioan.* 1.16.
d *Ioan.* 15.5.
e *Ioã.* 4.16.
f *Rom.* 8.26
g *Rom.* 8.14

Simile.

Gratia est fons meriti. 1.

Ex his facilè est intelligere: primò, gratiam istam DEI, qua ad sublimem hanc dignitatem homo iustus attollitur, & per quam Christo capiti arctissimo vinculo copulatur, Sanctoq; Spiritui in ipso agenti instrumentum aptatur, fontem esse & rationem omnis meriti nostri: de qua Christus dicebat: h *Aqua, quam ego dabo* (gratia inquam Spiritus sancti) *fidei in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Sicut enim à libe-

h *Ioã.* 4.14.

libero arbitrio omne peccatum sic proficiscitur; vt si libertas non sit, non possit vllum esse peccatum: ita ad omne meritum necessaria est gratia, vt ea qui destitutus fuerit, nihil quicquam quod ad salutem æternam assequendam faciat, possit apud Deum mereri. Quia nemini licet de hæreditate adeunda vel promerenda cogitare, nisi filio. Secundò intelligimus ex dictis rationem hanc iustitiæ, qua Deus æternam vitam iustis in mercedem operum donat, ad vtramq; quidem iustitiæ partem aliquo modo pertinere. In ea tamen magis elucere distributiuam, quæ personarum dignitatem intuetur, quàm commutatiuam, quæ operum æqualitatem considerat. Namque vt merces detur propter opera (siquidem a *misericordia faciet vnicuique locum secundum meritum operum suorum.*) Hæc tamen opera non ex se, sed ex dignitate personæ, quæ per gratiam Christi effecta est filius Dei, vel æqualia sunt præmio, vel promissionem DEI habent ad præmium consequendum. b *Quod enim in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, propter eum, qui intus est, hominem, qui renouatur de die in diem.* In peccatorum pœnis, & iusta condemnatione res aliter cernitur, vbi quod pœnæ magnitudo ad grauitatem peccati referatur, potiorem locum habet commutatiua Iustitia. Hinc est quod æterna vita nomine c coronæ & brauij, quod certantibus distribuitur, in Scripturis

2.

a *Eccl.* 16. 15

b 2. *Cor.* 4. 17.

c 1. *Cor.* 9. 23 1. *Tim.* 4. 8. & *Apoc.* 2. 10. & 3. 11.

a *Apoc.18.7.* appellari soleat. De pœnis verò dicatur, a *Quàntum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormẽtorum.* Tertiò discimus tametsi gratia fons sit & origo meriti, operibus tamen ipsis ex gratia, quæ per charitatem operatur editis, potius quàm gratiæ mercedem donari. Ita enim loquitur Scriptura: b *Reddet vnicuique secundum opera eius*: & c *vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Quocirca qui diuino amore incensus vel plura aggreditur, vel maiora & præstantiora efficit, amplius apud Deum meretur. Præstantiora sunt, tum quæ ex se maiorem dignitatem habent, vt d virginitas, e inegenos afflictosque misericordia iuxta Apostolum; tum quæ ex natura sua difficilius perficiuntur.

b *Rom. 2.6.*
c *1.Cor.3.8.*
d *1.Cor.7.38*
e *2.Cor.9.7.*

6. *Propositio* Sexta. Homo iustus non solùm vitam æternam meretur operibus bonis, sed ampliorem etiam gratiam Dei, atque f iustitiam in hac vita, sicut filius, fauorem & amorem parentum erga se officijs auget. Sic g *Abraham ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium super altare*, hoc est, copiosiore iustitia donatus; quia multò antè iustificatus per fidem, h *egressus fuerat de terra sua, & de domo patris sui*, i *obediuerat q; in locum exire, quem accepturus erat, nesciens quò iret*, k *& contra spem, in spem crediderat*; siquidem de ipso prius dictum fuerat: l *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*: Ideò monet Christus; m *qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc.* Sa-

f *Iaco.2.24.*
g *Iac.2.21.* i *& Gen.22.9*
h *Gen.12.4.*
i *Heb.11.8.*
k *Rom.4.18*
l *Rom.4.3. & Gen.15.6*
m *Apoc.22.*

piens quoque: a *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Et B. Paulus: b *Exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*, hoc est, vt vobis augeatur sanctitas atque iustitia.

a Eccl.18.22

b Rom.6.19

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

Nomen meriti nullo loco extat in diuinis literis: Nullum est ergo meritum.

SOLVTIO.

Primò negatur ex eo hoc effici: quia satis est rem inueniri, quæ nomine meriti significatur. Alioqui pari ratione repudianda & abijcienda foret sanctissima Trinitas, & cum Arianis negandum: quod Patri sit consubstantialis Filius; quod nomina hæc in Scripturis non reperiantur. Rem autem ipsam meriti in literis sacris declarari satis docuimus. Secundò, antiquissima Latina versio in Ecclesiastico nomen meriti vsurpat: c *Misericordia faciet vnicuique locum secundum meritum operum suorum.* Et in Epistola ad Hebræos: d *Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* Neque repugnant Græca ipsa, quæ eundem sensum admittunt.

c Eccl.16.15

d Heb.13.16

SECVNDA.

2 Rom. 6. 23 B. Paul. Rom. 6. a *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei vita æterna*: apertum ostendit discrimen vitæ æternæ & mortis: quod hæc in stipendium detur, tanquam merces peccati: illa gratis, sola Dei clementia & bonitate sine meritis vllis.

SOLVTIO.

Epist. 105. ad Sixtum. lib. de gratia & libero arbitrio c. 7. 8. B. August. confitetur Apostolum potuisse dicere, stipendia iustitę vita æterna non minus, quàm stipendia peccati mors: cùm verè reddatur meritis iustitiæ, bonorumq; operum: Voluisse tamen mutare loquendi modum, & dicere gratia Dei vita æterna quod meriti ratio potius ortum habeat à gratia Dei, tanquam à suo fonte, quàm à viribus nostris, aut arbitrij nostri; gratis enim Deus nobis promittit, & nobiscum paciscitur, seseque ad persoluendum præmium obstringit: gratis etiam largitur internam gratiam, quæ & dignitatem addit nobis, nostrisque actionibus, & auxilium præbet rectè agendi. Sicut igitur si quis vir diues, cupiam pauperi exiguo pretio insignem & amplam domum vendat, eidemq; ad solutionem donet gratis pecuniam, verè dici potest domum donasse, cuius pretium dedit, atque etiam vendidisse, quia propter pretium dedit: Ita Deus vitam æternam, & reddit in mercedem bonorum operum, quia dat propter opera: & donat gratis, quia dat ipsa bona opera.

Simile.

TER-

TERTIA.

Deus non potest esse debitor homini, quia hoc arguit esse imperfectum: ergo homo nihil meretur.

SOLVTIO DVPLEX.

Primò, Deum non tam esse debitorem homini, quàm suæ legi, qua sanctè statuit, vt pacta & promissa seruentur. 2. Non propterea minus perfectum videri si quis sponte debitorem se constituat; imò potius perfectum, cùm ea res ad misericordiam pertineat, B. Augustinus fatetur *fore iniustum Deum, si iuxta pacta mercedem non reddat.* *Hom.16. de verbis Apostoli lib.4. contra Iulianum, c.3.*

QVARTA.

Vbi non est æqualitas, ibi non potest esse iustitia, neq; meritum; Atqui a *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*; Ergo opera nostra non merentur futuram gloriam. a *Rom.8.18.*

SOLVTIO.

Negandum est id quod subsumendum erat: Atqui inter opera iustorum, & præmium vitæ æternæ nulla est æqualitas: hoc enim nusquam affirmat Apostolus. Opera igitur iustorũ multis modis considerari possunt. Primò, vt ex se sunt molesta & difficilia: quo modo ea considerauit Apostolus, loco iam ex epistola ad Romanos allato, quo sanè nulla est inter ipsa & præmium vitæ æternæ ratio atque conuenientia, siue magnitudo, siue diuturnitas spectetur, ad quem etiam modum neque Christi passio *Multiplex consideratio operum.* 1.

condigna fuit gloriæ suæ, neque mala opera peccatorum condigna sunt supplicijs gehennæ æternis. Omnia enim præsentia sunt exigua & momentanea, futura verò maxima & perpetua; a & *quod momentaneum & leue est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Secundò considerantur, vt a voluntate nostra dimanant: Et hoc modo quidem peccata impiorum merentur æternis supplicijs vindicari, *quia perditio nostra ex nobis est*: opera verò nostra non merentur æternam gloriam, quod meritum omne nostrum diuinæ gratiæ nitatur.

a 2. Cor. 4. 17.

2.

Osee 13. 9.

Tertiò, considerantur vt effecta à filio Dei atque inhabitante Spiritu sancto: qua consideratione æqualitas inuenitur inter opera, & præmium, verumq; meritum atq; iustitia.

3.

Quartò, Considerari possunt, vt coniunctam habent diuinam promissionem mercedis æternæ; & hac ratione digna sunt præmio, non quidem ex se, naturaq; sua, sed ex pacto & conuentione diuina, vt quibus à Deo hæc merces est proposita & constituta. Dives sanè vir, qui liberalitate sua cum operario conuenisset de diurna mercede centum coronatorum, nihil amplius iustè ab operario exigere debet, quàm diurnum laborem, quem existimauit conuentione sua dignum tanta mercede.

4.

Simile.

QVIN-

QVINTA.

Christus cohortatur nos; a *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus:* Ergo opera nihil merentur. a Luc. 17. 10

SOLVTIO.

Neganda est consequentia. Primò quidem, quia non dicit Christus serui inutiles estis: sed dicite, quia serui inutiles sumus. Iubet enim ne ob præcepta Dei à nobis conseruata, magnam de nobis ipsis opinionem concipiamus, sed vera animi submissione humiliter iudicemus; Ipse autem ad nos orationem conuertens, dicturus est nobis, non serue inutilis, sed b *serue bone & fidelis*: &, c *iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Secundò verò, quia de his tantùm operibus loquitur Christus, ad quæ homo lege & mandatis Dei obligatur. Qui enim hæc sola agit, & nihil molitur amplius, non est quod magnoperè glorietur de præclaris suis erga Deum officijs, cùm quidquid egerit, potius malorum & suppliciorum fugiendorum, quàm diuini studio honoris incensus feciſſe videatur. 1. b Matth. 25. 25. c Ioã. 15. 15. 2.

SEXTA.

Officijs illis nemo meretur ad quæ iure est obligatus: Atqui nullum est tam excellens opus atq; difficile, quod non omni studio, conatuque diuini honoris gratia aggredi debeamus; nullis igitur operibus meremur.

SOLVTIO.

Omnis hæc ratiocinatio inepta est, & vitiosa: primò namque propositio est falsa; quia officia, ad quæ tenemur, mercedem possumus mereri ex conuentione. Obligamur parentes non offendere, ebrietatem vitare, cæteraque peccata declinare: si quis tamen cum homine ebrioso conueniat de certa pecunia, quam si in vitium ebrietatis incurrerit, exoluat; & si temperans fuerit, accipiat, vera erit iustitia, & meritum, ex re alioqui ad salutem necessaria. Deus duplici ex causa mercedem exoluit officijs huiusmodi debitis. Vna est, vt misericordi sua liberalitate ad ea nos impellat, quæ alioqui natura duce sequi debemus. Altera est, quòd cùm sit author naturæ, sui muneris esse ducat, nullum virtutis opus, quod non mercede sua aut præmio compenset, prætermittere. Nam [a] etsi ex illo nihil vtilitatis aut commodi Deo accedat, in Ecclesiæ tamen vtilitatem redundat, cuius caput & sponsus est Christus. Secundò, assumptio duplicem sensum admittit: priorem falsum, ad ea omnia nos obligari, quę diuini honoris studio incitati aggredimur: multa enim efficiuntur à nobis, quæ quod præcepta nulla lege diuina sint, sine scelere prætermitti possunt: quo in genere sunt virginitas, frequens ieiunium, corporisq; castigatio, & id genus innumera. Alterum verum, nempè nullum esse tam præ-

Similè.

a *Psal.* 15.2.

*Matt.*16.24.
*1.Cor.*7.7.
25.38.40.

stans

ſtans opus, quod æquare poſsit beneficia Dei: aut nihil eſſe ita difficile & arduum, quod non omni contentione efficere, Deo id præcipiente, debeamus. Ex quo tamen non fit conſequens hoc ipſum arduum quod aggredimur, nihil apud Deum mereri. Quia qui quod operoſum, & difficile factu, lege præcipit, etiam maxima & ampliſsima præmia conſtituit. Martyres in eum caſum deducti ſunt, vt grauia & acerba ſubire & perpeti debuerint, ne Chriſtianam fidem & proderent: tamen coronam gloriæ receperunt.

SEPTIMA.

Si ob mercedem propoſitam operemur: mercenariorum loco, & non in filijs Dei numerabimur.

SOLVTIO.

Mercenarius & non filius is dicitur, ad quẽ non deuoluitur hæreditas, ſed aliena merces rependitur: cui verò datur in mercedem hæreditas, eſt mercenarius & filius.

OCTAVA.

Hæc doctrina facit homines in operibus ſuis confidentes, contra inſtitutionem Beati Pauli, qui nos vult *in ſolo Deo gloriari*. 2. *Cor.* 10. 17.

SOLVTIO.

Propoſitio falſa eſt, tum quia opera bona merentur, non tam vt noſtra ſunt, quàm vt ſũt

Spiritus Sanct. tum quia homo iustus ignorat suorum operum meritum & virtutem: quod enim ad officia virtutum & merita multa multis opus sit circunstantijs, non potest nouisse homo an eas omnes adhibuerit. Nihilominus viri iusti innocentia sua, & bonis operibus tueri se solent: a *Memento Domine* (ait Ezechias Rex) *quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* Et Dauid de se ipso: b *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Beatus Paulus: c *Bonum* inquit *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Idem d gloriabatur in tribulationibus: Nam e *tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, quæ non confundit.* Hæc tamen confidentia semper cum timore debet esse coniuncta.

a 4. Reg. 20.3.
b Psalm. 131.1
c 2. Tim. 4. 7.
d 2. Cor. 11. 30.
e Rom. 5. 5. 6.
Bern. Serm. 61. in Cant.

NONA.

Merita nostra infirmant merita Christi, tanquam si mors eius acerba haud satis magnam vim habitura sit; vt meritis nostris indigere videatur.

SOLVTIO.

Doctrina Catholicorum, & merita nostra adeò non extenuant, vt augeant etiam Christi gloriam, & passionis eius merita illustriora reddant. Non enim docemus Christi passioné egere

egere nostris meritis, vt ea perficiat, ad quæ fuit susceptа: cùm abundè cumulateque omnia confecerit, infinitaque nobis merita communicauerit. Nam morte sua Dominus pretium peccatorum nostrorum Deo Patri exoluit, nobisque ad curandos animi morbos & vulnera, præstantissima, & opportunissima pharmaca reliquit: & illud præterea effecit, vt non solùm à morte peccati, ad vitam reuocaremur: sed vt fortiores etiam & valentiores essemus ad labores subeundos. Et dignitatem denique operibus nostris attribuit merendi vi tam æternam, ad quam nemo mortalium viribus suis confisus, vnquam aspirare auderet. Sicut igitur magnæ laudi daretur Medico, si hominem graui morbo afflictum, ac desperatum paucis diebus ita curaret, vt omni molestia ac morbo liberatum, non solum loqui, de lecto exilire, obambulare, & alia eiusmodi, sed etiam operosa & ardua, quæ & vires corporis, & maiorem contentionem requirunt, aggreddi posset quibus stipendiũ diurnum, ad suam familiq; que sustentationem mereatur: ita maiorẽ vim & gloriam meritis & morti Christi tribuunt, qui docent, illis non solùm peccata hominibus condonari hoc est, homines à morte animæ, ad vitam reuocari; sed ijs quoque vires restitui, dignitatemque conferre promerendi operibus non exiguum huius mundi, sed immensum atq; æternũ futuræ vitæ stipendium. Merita enim nostra ex meritis Christi vim habẽt, q

Simile.

tantum

tantum diuitiarum sibi, nobisque comparauit, vt noluerit nobis à Patre gratis dari præmium cœleste, sed meritis nostris, quibus ceu spirituali pecunia à Christo accepta, cœlum nobis emamus.

DECIMA.

Si ob eam causam operibus nostris datur in mercedem vita æterna, quia Deus id pacto quodã & promissione firmauit: pari ratione censebimur mereri peccatorũ cõdonationẽ: & iustificationẽ quia Deus promisit & pactus est, quoties ingemuerit peccator, omniũ peccatorũ eius non recordabor. a *Lauamini*, ait, *mundi estote*: & b *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*: c *Venite & arguite me, dicit Dominus*; hoc est tale pactum vobiscum in eo, vt si ista præstiteritis, ego omni ex parte deleturus sim, & ablaturus peccata vestra. Atqui cùm mortalium nemo vnquam dixerit, nos mereri peccatorum remissionem: efficitur, neque nos etiam mereri gloriam vitæ æternæ, cùm vtroque idem pactum antecesserit.

Exec. 18. 21. 22.
a *Isai.* 1. 16.
b *Isai.* 1. 18.
c *Ibidem.*

SOLVTIO.

Non omnis promissio constituit, vel meriti, vel mercedis rationem: quædam enim liberalitate & misericordia commoti promittimus: quemadmodum egenti & afflicto quotidianã eleëmosynam pollicemur, si ad ianuam nostrã supplex misericordiam nostram implorârit, qui tamen neque ad domum nostram ade-

Simile.

undo

undo, neque mendicando eleëmosynam mereri dicendus est : illa sola promissio inducit meritum, quæ ex conuentione facta est, in qua propter eam damus, quia aliter vel dedit, vel fecit. Deus igitur sine conuentione vlla, sed singulari sua benignitate & misericordia promisit, gratis peccatorum condonationem his, qui ad illum supplices adierint, conuersique pœnitentiam egerint. Vitam æternam autem promisit mercedis loco operibus, *facta cum operarijs conuentione ex denario diurno.* Secundo, Non ob solam conuentionem aut pactum, sed propter internam etiam dignitatem à Deo beatitudinem æternam promeremur. In homine autem iniusto nulla existit dignitas, qua iustitiã aut peccatorum remissionẽ mereri possit. Siquidem inimicus Dei à Deo non meretur, sed sola Dei clementia, & misericordia cum ipso redit in gratiam. *Matt.* 20. 2.

VNDECIMA.

Nemo mereri potest primam gratiam, qua adoptatur in filium Dei hoc ipso autem, quo quis est filius Dei, ius habet ad hæreditatem æternam, iuxta illud, *si filius & hæres*: nemo igitur meretur operibus vitam æternam, ad quam gratis illi est datum ius, quando gratis adoptabatur in filium Dei. *Rom.* 8. 17.

SOLVTIO.

Neganda est assumptio: Quia Beatus Paulus adiunxit,

adiunxit. *si tamen compatimur, vt & conglorificemur*
Rom. 8.17. Habet igitur filius ius hæreditatis adeũdæ suo tempore, si modò præstiterit, ad quæ ex adoptionis lege & conuentione obligatur. Non enim non natura filij sumus, sed adoptione, in qua includitur obligatio ad operandum: sicut
Simile. igitur si dives homo pauperem in filium adoptaret, eumque bonorum suorum hæredem institueret, dummodo quo tempore pater, quem adoptauit, viueret, certum exhiberet ei officium, quale est comitari quotidie exeuntem ad templum, vel quid aliud eiusmodi, & quidẽ quò frequentius, promptioreque voluntate præstaret, eò amplior illi accresceret hæreditas: sin verò negligeret, non solùm hæreditate excluderetur, sed adoptionis quoq; beneficio priuaretur. Filius iste meritò dicere posset, se suis officijs hęreditatem assequi & mereri, nõ ex officiorum natura, sed quia à filio cum promissione & conuentione hæreditatis ad eum deuoluendæ sunt præstita. Quod si verò pater nullo ei officio à filio præstito, ex hac vita excederet, filius omni obligatione liberatus, ad hæreditatem adeundam admittendus esset, quia filius, qui patri morẽ gesserit, & pacta conuenta nullo scelere violarit. Ita nobiscum vsu venit, quos Deus in filios adoptauit, hac tamen lege & conditione, vt si hæreditatẽ adire velimus, omni vita nostra, diuina præcepta conseruemus. *Si vis* (inquit Christus)
Matt. 19.17. *ad vitam ingredi, serua mandata.* Si verò quispiam

ante

ante aliquod exhibitum opus bonum, emigret ex hac vita (sicut infantes, qui ante rationis vsum moriuntur) is adit hæreditatem cœlestẽ, quia filius, qui imperium patris non detrectauit, quamuis ita fors tulerit, vt morte præuentus, mandatis eius nequiuerit obtemperare. Hac igitur similitudine intelligimus primo, 1.
ipsum etiam aditum in cœlum nostris meritis parari, non quia opera sunt huiusmodi, sed quia opera sunt filiorum, & propter conuentionem factam, Secundò, Ius merendi hæreditatem nos gratis adoptione consequi. 2.
Tertiò, Si inopinata morte è medio sublatis operari non liceat, ad adeundam hæreditatem sufficere, quod filij simus non immorigeri à Deo patre adoptati. Quartò, Quo plura officia in 3.
patris honorem præstiterimus, eò maiorem & ampliorem hæreditatis partem adituros. Sicut Iosepho donatum est à parente Iacob oppidũ Sichem, & duplo maior hæreditas, quàm cæteris fratribus, (Vterque enim eius filius Manasses, & Efraim, æqualem hæreditatis partem, pro rata, cum alijs adierunt) tanquam magis quàm cæteri, bene merito de patre atq; familia. 4.

(::)

DE

DE SANCTISSIMO EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

Caput VIII.

ECCLESIA Catholica ab Apostolorum temporibus, per vniuersum orbem semper firmissima fide credidit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verum & integrum Christi corpus & sanguinem, idque propter manifesta ipsius Christi verba, quæ in vltima cæna dixit: *Accipite & manducate: hoc est Corpus meum, & accipite & bibite, hic est Sanguis meus.* Quæ verba ita sunt clara, vt neque metaphoræ, neque metonomiæ, neque alteri vlli figuræ locum relinquant.

Matt. 26 26
Mar. 14. 22.
Luc. 22, 19.
1. *Cor.* 11. 24.

Rationes.

1. *PRIMO*, Sicut enim, si Christus dixisset, hic est panis triticus, aut hoc est vinũ Rhenanũ, quod vobis sumendum porrigo, nihil fuisset obscuritatis: ita nemo dubitare debet, quin verum corpus & sanguinem suum dederit, cùm dixit, *accipite & manducate, hoc est corpus meum: accipite & bibite, hic est sanguis meus.*

Hilarius l. 8. *de Trin.* *Chry. hom.* 60. *ad pop.*

2. *SECVNDO.* Similis est oratio illi Dei Patris, Matth. 3. & 17. *Hic est filius meus dilectus*; in quo si impium est figuram ponere, & de vero Dei filio dubitationem mouere, impium etiam erit in his

in his verbis figuram constituere, *Hoc est corpus meum.*

TERTIO, Nulla verba antecedentia, vel consequentia declarant, figuratam locutionem, quemadmodum in parabolis & similitudinibus fieri consueuit, veluti apud Matthæũ, *Semen est verbum Dei*, & ad Corinthios, *Petra erat Christus*. Atque ita in reliquis: parabolæ & similitudines antecedentes, indicant illud (*est*) idem valere, quod (significat) hic autem nihil apparet eiusmodi, cùm ex abrupto, accepto pane dixerit Christus: *Accipite & comedite, Hoc est corpus meũ: Accipite & bibite, Hic est sanguis meus*, quasi dicat: Hoc ipsum quod vobis trado edẽdum & bibẽdum, est corpus meum, & sanguis meus. Estque meritò obseruandus textus Lucæ 22. vbi Græcè pro eo, quod nos habemus, *pro vobis effundetur*: legitur participium ecginomenon, hoc modo: *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, pro vobis effundendus*: apertè namque significatur calix pro vobis effundendus, id est, potus ille, qui erat in calice: vt intelligas eundem illum sanguinem, qui calice bibẽdus dabatur, in cruce pro nobis postridie effusum. 3. *Matt.* 23. 38. 1. *Cor.* 10. 4.

QVARTO, Doctrina: quam tot sæculis retinuit Ecclesia, apertorumq; verborum Christi expositio, neque omnipotentiæ Dei aduersatur: *apud quem non est impossibile omne verbum*: neque charitati, *quia dilexit nos, & semetipsum pro nobis tradidit*. Nulla subest igitur ratio, cur ad nouas metonymias & tropos hactenus isti loco 4. *Luc.* 1. 37. *Gal.* 2. 20.

ignotos, debeamus confugere, & non potius clara verba ad eum, quem præ se ferunt sensum exponere, nulliſque nouis, atque non necessarijs obscuritatibus inuoluere.

5. QVINTO, Leges omnes à prudentibus legislatoribus latæ, simpliciter, propriè, perspicuè, non figuratè, non obscurè, non perplexè efferri debent: ne quis ignorantiam prætexens, & verborum ambiguitatem, legé violet; Iam verò Christus hoc Sacramentum instituens, simul etiam præcepit, legemq; tulit, vt idem à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. claris igitur verbis est vsus, quæ sine tropo id valent, quod sonant.

Luc.22.19.

6. SEXTO: Verba testamentorum nullum figuratum debent habere sermonem, sed esse clara atque perspicua, ad omnes lites & difficultates ab hæredibus tollendas: constat autè à Christo nobis in vltima cœna prædictis verbis testamentum relictum: sic enim aiebat Lucæ 22. *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine.* Sicut igitur, si cui parens testamento reliquisset domum cum vinetis & hortis; non de tabella, quæ fortè in supellectili paterna reperiretur, pictæ domus, horti, vineæ, verba testamenti intelligeret; sed de vera domo, vinea & horto. Ita verba testamenti nostri Saluatoris non de similitudine corporis, sed de ipso vero corpore accipienda sunt.

Simile.

7. SEPTIMO: Rex quisquam alicui Reipu-

blicæ

blicæ ſerio promittens, vel certam pecuniæ vim, vel aliud eximium donum, indignam ſe rem faceret, atque ridiculam, ſi pictam pecuniam vel imaginem illius doni mitteret. Chriſtus igitur, qui Ioan. 6. cap. tam multis verbis, tamq; ſeriò ſpopondit Eccleſiæ ſuæ daturum ſe corpus & ſanguinem ſuum in cibum & potum: *Panis, inquiens, quam ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo* (Hoc enim in Græco codice additur) *pro mundi vita: &, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, &c.* certè illuſiſſet Eccleſię ſuę, ſi præter fruſtum panis, quo corpus illud ſignificaretur, nihil reliquiſſet.

OCTAVO: Chriſtus hoc Sacramentum Euchariſtiæ veteri manna præponit, quod deſcendit de cœlo: At verò ſi ſolus in ore eſſet panis, quo Chriſti corpus ſignificaretur, præſtantius multò fuiſſet manna, angelorum manibus paratum (*Panem enim Angelorum manducauit homo*) de cœlo deſcendens, & in ſe habens *omnẽ ſaporis ſuauitatem*; cùm noſter hic panis à ſole piſtore in furno coctus, nihil excellens præter ſignificationem, præberet, quæ tamen ei cum manna communis eſt. 8. Ioan. 6. 58. Pſal. 77. 25. Sup. 16. 20.

NONO: Beatus Apoſtolus, *reum facit corporis & ſanguinis Domini, ſibique iudicium affirmat manducare & bibere, qui indignè ſumit.* Euchariſtiæ ſacramentum, multoſque indigna communione tũ infirmari, tum imbecilles eſſe, tum ex hac vita migrare, Hoc autem ex ſolius figuræ eſu, nõ magis eueniret Chriſtianis, quã quondam 9. 1. Cor. 9. 11. 27. 29.

Iudæis, quibus similis figura fuit in manna (vt
1.Cor.10.2. Apostolus indicat) & Agno paschali. quorum sanè neminem ex eo vel mortuum fuisse legimus, vel peccatum nouum commisisse, quia indignè, hoc est, cum peccato mortali de manna vel agno sumpsisset.

10. DECIMO: Si in Sacramento Eucharistiæ verum Christi corpus non cõtinetur, indigne egit Christus cum Ecclesia sua, quam per vniuersum orbem totis 1500. annis in tali errore atque idolatria, occasione suorum verborum reliquit, qualis in orbe terrarum nunquam, vel visus, vel auditus fuit. Tolerabilior est enim error eorum, qui pro Deo colunt statuam auream, aut argenteam, aut alterius materiæ imaginem, quo modo Gẽtiles Deos suos venerabantur: Vel pãnum rubrum in hastam eleuatũ, quod narratur de Lappis: vel viua animalia, vt quondam Aegyptij: quàm eorum, qui fustum panis, quod hactenus per vniuersum orbem tot annis fecêre Christiani. Neque hic excusat simplicitas maiorum, tum quod sapientissimi fuerint Doctores, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus: tum quod longe potiori ratione excusandi essent infideles idololatriæ, qui statuas adorauerunt.

11. VNDECIMO: Totis octingentis annis post CHRISTVM natum, tanta fuit in hac veritate veterum omnium consensio, vt non modò nemo hominum de hac re dubitauerit, sed etiam pleroſque alios fidei articulos ex

hoc

hoc Sacramento multi tum declarauerint, tum confirmauerint. Sanctus *a* Irenęus, *b* Gregorius Nissenus, & *c* Cyrillus Alexandrinus corporum nostrorum resurrectionem sic cõprobant, vt dicant fieri non posse, vt ea caro, quæ CHRISTI iam immortalis corpore nutrita sit, morte sempiterna deleatur. *d* Ephesina Synodus & *e* Theodoretus, ex Beato *f* Ignatio & Amphilochio, docent Saluatorem nostrum Christum non spiritualem, sed veram carnem assumpsisse, vereque esse filium Dei incarnatum, quod in Eucharistia non alterius hominis, sed filij Dei veram carnem manducemus. Simile quid scripserat multò ante Beatus *g* Iustinus Philosophus Martyr, B. *h* Hilarius, & D. *i* Cyrillus Alexandrinus, ex eo probant filium Dei cum Deo Patre non sola voluntate, sed natura quoque atque substantia vnum esse, quod per naturæ, & corporis sui veritatem, non solo fauore aut voluntate, nobis adsit, nobisque misereatur sacra Eucharistia: hoc enim aiunt significari Christi verbis, *vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*. Patres multi, *k* Chrys. *l* Cyrillus Alexand. *m* Cyril. Hierosolymitanus, *n* Gregor. Nissenus, *o* Leo Pont. *p* Damascenus, *q* Haymo, &c. agnoscũt in nobis veram cum Christi naturali corpore vnionem,

a *Li.4.c.35.*
b *lib.5. Serm.de corp. Christ.*
c *in Ioan. li. 4.ca.14. 15.*
d Ephe- *sina Synodus & e Theodoretus, ex Beato f Ig- natio & Amphilochio, docent Saluatorem 13. nostrum Christum non spiritualem, sed ve- d Epist. ad ram carnem assumpsisse, vereque esse filium Nestorium Dei incarnatum, quod in Eucharistia non al- e dial.2.& terius hominis, sed filij Dei veram carnem 3. manducemus. Simile quid scripserat multò f Epist.ad ante Beatus g Iustinus Philosophus Martyr, Smirnens. B. h Hilarius, & D. i Cyrillus Alexandrinus, g Apolog.2. ex eo probant filium Dei cum Deo Patre non ad Anton. sola voluntate, sed natura quoque atque sub- h lib. 8.de stantia vnum esse, quod per naturæ, & corpo- Trin. ris sui veritatem, non solo fauore aut volun- i lib.10.in tate, nobis adsit, nobisque misereatur sacra Ioan. ca.13. Eucharistia: hoc enim aiunt significari Christi & li.11.cap. verbis, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego 26. in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Patres multi, k Ioan. 17.21. Chrys. l Cyrillus Alexand. m Cyril. Hierosolymitanus, n Gregor. Nissenus, o Leo Pont. p in Matth. Damascenus, q Haymo, &c. agnoscũt in nobis 60.& 61. veram cum Christi naturali corpore vnionem, ad pop. 45. in Ioan.*

l *In Ioan. lib. 4. m 15. & 17. & ad Calosirium. Catechis. 4.*
n *Serm. de corpore Christi.* o *serm. 14. de pas. Dom.* p *lib. 4. cap. 14.*
q *1. Cor. 10. Hom. 2. ad pop. Ant.*

nem, quod re ipsa suscipimus, & quo reuera, sine tropo vllo vel similitudine, Ecclesia sponsa cum sponso CHRISTO, corporaliter coniungitur. B. Chrysostomus multus est in commendanda Christi, prę matribus in filios, charitate. Cùm enim matres vel nutricibus infantes cõmittant, vel lacte suo nutriant. Christus non alieno cibo, non lacte suo, sed proprio corpore nos & sanguine pascit. *Similiter* (inquit) *Helias discipulo melotem reliquit, filius autem DEI ascendens suam nobis carnem dimisit; sed Helias quidem exutus, CHRISTVS autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* a Beatus Augustinus, & B. b Prosper Aquitanicus fatentur Christum in vltima cœna sic à semetipso gestatum manibus suis, quo modo nõ potest seipsum quispiam gestare; nempe veritate corporis sui, nõ similitudine vel figura, cùm facilè sit cuiliber imaginem suam manibus tenere. Deniq; fuit veteribus ita in confesso hæc Catholica fides, vt tametsi maximè vellent celatum Gentiles hoc mysterium (vnde toties in cõcionibus & libris Patrum, *norũt fideles, nouit qui mysterijs imbutus est*) nõ potuerit tamen caueri quin ex communi fide aliquid in vulgus emanaret, licet obscurè, ex quo criminarentur Christianos tanquam qui homines vorarent, vt ait c Eusebius; vel qui infantes necarent, & crudas carnes gustarẽt, vt est apud d Tertullianum; vel qui sanguinem libarent, vt refert e Prudentius; vel qui in abditis Deum viderent, sicut B. August. obiecit

a *Concio. 1. in Psal. 33.*
b *part. 2. de prædictionibus & promissis ca. 25.*
c *li. 5. Eccl. hist. c. 1.*
d *in Apologet, aduersus gentes.*
e *in Hymno de S. Laur.*

obiecit [a] Maximus Maudarensis Ethnicus. [a] *epist. 43.*

DVODECIMO: Cùm octo & amplius sæculis, per orbem totum hanc doctrinam de Eucharistia magno consensu coluissent Ecclesia, primus Bertramus quidam obscurus homo, circa annum Domini 830. aduersus Paschasium Radbertum scribere est ausus, quod Christi carnem in Eucharistia eandem esse dixisset, quæ nata esset ex virgine Maria. Sed hoc repressò, sub annum Domini 1050. prodijt Berengarius quidam homo indoctus (vt author est Guitmundus) qui ad nominis sui gloriam, sepultum errorē reuocauit. Sed is varijs Concilijs Romano, Vercellensi, Turonensi, & altero Romano damnatus, tertiò vel quartò relapsus est, & resipuit. Sub finem quidem vitæ relapsus, (ait Guilhelmus Melmesberiensis) tandem ipso die Epiphaniæ Dominicæ (vt refert Ioannes Gerson) seriò de errore dolens, in hanc sententiam locutus est: *Hodie apparebit mihi Dominus ad meam salutem, vt spero, propter pœnitentiam; aut ad damnationem, vt timeo, propter eos, quos mea praua doctrina decepi.* Cùm itaq; primi huius erroris authores & noti sint, & multis sæculis recentiores veteribus, & statim vt pestes Ecclesiæ extincti, non est cur nouis authoribus damnatas hæreses resuscitemus vel suscitatas recipiamus. *inter epistolas D. Aug. 12. Li. 3. de gestis Anglorū. Ser. in cœna Domini & part. 4. alphabet. 69. lit. Q.*

DECIMO TERTIO: Innumera miracula ad huius fidei Catholicæ confirmationem, tum veterum temporibus, tum nostra 13.

ætate plurimis locis edita, manifestè connincunt non esse hic figuram corporis Dominici, sed veritatem. Refert Beatus Amphilochius celebrante Beato Basilio visam carnem & verum sanguinem in altari. Simile habent Metaphrastes in Arsenio, & Clemente Ancirano. Beatus Petrus Damianus ad Desiderium, & Ioannes Diaconus in historia Beati Gregorii. Alia extant præclara apud Diuum *b* Cyprianum, & *D.c* Augustinum, *d* Optatus Mileuitanus author est Donatistas, qui Christi carnem obiecerant canibus, à suis ipsorum canibus laceratos. Beatus *e* Bernardus, *f* Petrus Cluniacensis, *g* S. Bonauentura, *h* S. Antoniuss, *i* Sophronius in Limonario, vel potius condiscipulus eius Ioãnes Moscus Euiratus, *k* Rupertus Tuitienſis, *l* Nicephorus Callistus, ante multas ætates admiranda de Sacramento hoc scripta reliquerunt: sicut etiam recẽtiores *m* Thomas VValdensis de hæretico in S. Eucharistiã blasphemo, quẽ mirabili modo in Anglia Araneus puniuit: *n* Iacobus Meijerius de sacra Hostia à Iudæis puncta, quæ ad nostra vsque tempora Bruxillis Brabantiæ, summa religione seruata fuit: *o* Albertus Krantsius de VVedekindo Saxonum Principe Ethnico, qui communicantibus in Paschate Christianis vidit singulis à Sacerdote in os porrigi infantem: *p* Alexãder de Hales author venustus, & doctissimus, refert suo tempore ex Hostia, dum à Sacerdote pro

a *Lib.2.cap. 41.*
b *Serm.5.de lapsis.*
c *li.22. de ciuit.c.8.*
d *l.2.contra Donat.*
e *in vita S. Malac.*
f *li.1. Miraculorum ca. 1.2.3.*
g *in vita S. Francisci.*
h *summæ historialis part.3.ca.6. §8.*
i *cap.30.*
k *de incendio Tuitens.*
l *l.17.ca.25.*
m *libr.cont. Ioannem VViclef.*
n *li.3.annal.Flandr.*
o *in Metropol.li.1.c.9.*
p *parte 4.*

pro more in tres partes frangeretur, visum emanare sanguinem, qui patenam tegeret. Hæc atque id genus alia miracula per vniuersum orbem terrarum tot sæculis facta, meritò persuadere Christiano homini possunt, Christũ, qui in salutem Ecclesiæ suæ vniuersum sanguinem, & vitam profudit, electam sponsam non eò dementiæ atque abominationis abripi passum esse, vt (quod nulla barbaries admisit) frustum panis pro Deo coleret, adoraret, sumeret. Dici namque meritò, & Christo obijci à nobis posset: Domine imposuisti nobis: miracula edidisti: Ecclesiam, quæ per orbem terrarum ita docuit, audiri iussisti: totis 1500. annis fides hæc seruata est, & qui secus docere tentarũt, anathemate percussi: nihil vidimus omnipotentia tua maius, nihil charitate tua indignum.

OBIECTIONES.

PRIMA.

In oratione Dominica sic dicimus, *Pater noster qui es in cœlis*, si ergo in cœlis, est, non erit in terris.

SOLVTIO.

In Symbolo Apostolorum similiter dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Si ergo omnipotens est, non erit Deo impossibile, vt idem corpus Christi in cœlis constituat, & in terris. *Demus* (inquit D. Augustinus) *Deũ aliquid posse, quod*

Epist. 3. ad Volusianum.

Epheſ. 3. 20.

quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus enim omnis ratio facti omnipotentia facientis est. & D. Paulus: *Deus potens est omnia facere super abundanter, quàm petimus aut intelligimus.*

SECVNDA.

Repugnant naturæ corporis, vt idem sit in diuersis locis: ergo Christi corpus quod nunc in cœlis à nobis procul abest, non potest adesse re ipsa præsens in templis: sicut fieri nequit, vt homo sit expers rationis, aut brutum animal rationis capax.

SOLVTIO.

Naturale duobus modis.

Varijs modis dicuntur res esse naturales, aut ad naturam pertinere: vno quidem, vt partes rei, sine quibus non potest res ipsa cõsistere: sic anima ratione prædita & corpus, sunt hominis naturales partes, & iuxta Logicos genus animal, & differentia rationale, partes essentiales; quibus partibus, cùm natura rei constet, nulla vi separari possunt, ne quidem cogitatione ipsa: sicut mente nemo potest cõcipere hominem aut aliud animal sine anima, vel sine corpore. Alio verò modo, quod naturæ quidem non est internum, sed à natura tamen proficiscitur, cuiusmodi sunt accidentia naturalia. Priori itaq; modo, ad corporis naturam pertinet habere partes ordine inter se distinctas, quo pacto in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, corpus Christi adest integrũ, non confusis inter se, sed naturali ordine, non

aliter

aliter atque in cœlo, distinctis membris, vt caput, manus, & pedes suum ordinem teneãt. Posteriori verò modo est naturæ corporis respicere locum: quod cùm non sit naturæ internum, potest diuina virtute à corpore separari. Quemadmodum igitur Deus omnipotentia sua extra omnem locum potest corpus constituere: & sicut duo corpora eodem loco posuit, ingressus ad Apostolos ianuis clausis: egressus verum integerrimæ Virginis, & sepulchrum exiens immoto permanente lapide; ita corpus vnum diuina virtute in diuersis est locis. Pulchrè Beatus Chrysostomus: *O Dei benignitatem; qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur. Christus carnem suam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Et Hugo Victorinus: *Hic est, ibi est, & totum vtrobique est, & multis locis similiter. Noli mirari, qui locum fecit, corpus fecit, & locum in corpore, & corpus in loco & qui fecit, vt corpus vnum in vno loco esset, fecit sicut voluit, & si voluisset, aliter facere potuisset.* *Lib. 2. de sacerdotio.* *Hom. 2. ad pop.* *Lib. 2. de sacramentis.* *parte 9. c. 11.*

TERTIA.

Veteres Iudæi non nisi in figura Christi corpus comederunt, & sanguinem biberunt: Ergo neque nos aliter ista sumimus: siquidem Beatus Apostolus illos confert nobiscum, *Patres*, inquit, *nostri oẽs eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt.* 1. Cor. 10. 3.

SOLVTIO.

Fatendum quidem iuxta B. Augustini expo-

sitionem

Tract.26. et 45.in Ioan.

sitionē, & Iudæos illos priscos, viros sanctos, & Christianos, sicut ad Christum omnes pertinuerunt, ita, quod ad rem significatam attinet, ijsdem vsos Sacramentis. Cæterùm modus diuersus fuit: *Illis in figuris contingebant omnia*, nobis data est veritas: Illi Christum fide & spiritu manducabant eiusq; sanguinem bibebant, cœlesti manna & aqua de petra fluente significatum: nos veram carnem & sanguinem sumimus aliena specie velatū. Hoc igitur inter nos & illos interest, quod inter eum qui Regē in sua imagine, & eum, qui præsentem veneratur, vterque Regem eundem colit, sed dispari ratione.

QVARTA.

Ioan.6.63. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam; verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

SOLVTIO.

Hom.46. in Ioan.

D. August. tract.27. in Ioan.

Respondet his verbis Chrys. *Quid est, caro non prodest quicquam? Non de ipsa carne dicit. Absit; sed de his, qui carnaliter accipiunt, quæ dicuntur, & de carnali auditu.* Existimabant dilaniandam ad instar animalium, Christi carnem, dentibusq; vorandā: quæ sic comesta nō magis prodest quàm Christi sanguis, quem carnifex fortè manibus vel cruci adhærentem lambisset. Spiritus igitur viuificat, & verba sunt spiritus & vita spirituali modo accipienda: vt verum corpus adesse credamus, sed inuisibili, supernaturaliq; modo, illudq; non dentibus solùm, & ore sumendum,

dum, sed interno spiritus affectu: *vt seipsum probet homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1.Cor.11.28.

QVINTA.

Matth. 15. 17. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.*

SOLVTIO.

Non per se coinquinat, sed sanctificat hominem: nō enim Christi corpus indignè sumptum coinquinat, sed mala conscientia.

SEXTA.

Matt. 24. 23. *Si quis vobis dixerit, Ecce hìc est Christus aut illic, nolite credere.* Ergo nō adest in altari.

SOLVTIO.

Neganda consequentia: quia non de Sacramento, sed de hominibus hoc cauetur, qui vēturi erant sub Christi nomine.

SEPTIMA.

In his verbis, *Petra erat Christus*: &, *Semen est verbum Dei*: vocula (*est*) idem valet, quod (significat:) Ergo pari ratione etiam illic, *Hoc est corpus meum.* 1.Cor. 10.4. Luc.8.11.

SOLVTIO.

Non est similis ratio. 1. quidem, quia in illis parabola aut figura præcessit, quæ manifestè indicat sequētia esse similitudinis explicationem: deinde verò, quod nullum ibi ponatur pronomen demonstratiuum, quale ponitur in verbis, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, eodem planè modo, quo dixit cœlestis pater: *Hic est Filius meus dilectus.* Mat.26. 27. Matt.3 17. & 17.5.

OCTA-

OCTAVA.

Indignum est Christi corpus manibus impurorum hominum tractari. Ergo, &c.

SOLVTIO.

Dignum est charitate Dei, qua suos diligit, vt etia per impios ministros ad suos dilectos veniat: sicut indicium est amoris, si princeps vir per lutum & loca montosa infirmum amicum consolaturus accedat.

Simile.

NONA.

Absurdum videri posset, si Christiani dicâtur Deum suum comedere.

SOLVTIO.

Nulla est indignitas Christi, sed magna dignitas, *quod nulla gens habeat Deos suos appropinquantes sibi, sicut nobis adest Deus noster*, cuius *deliciæ sunt esse cum filijs hominum.*

Deut. 4.7. Prou. 8.31.

DECIMA.

Matth. 15. *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Idē igitur corpori Christi euenit, (quod absit) si verum Christi corpus sumitur ab homine.

SOLVTIO.

Non idem illud, quod sumitur iuxta speciē suam immittitur: non enim eijcit homo panem, vel carnes, sed quæ ex partibus eorum impurioribus generantur excrementa: Ita non egerit corpus Christi; sed illud, in quod tran-

transierunt species panis & vini. Quemadmodum enim cibi sumpti purior pars in homine remanet, eiusque proprietates humanum corpus afficiunt (calefit enim à calido, frigefit, à frigido) ita conditiones Christi immutant affectus humanos, adeoque hominem ipsum quodammodo diuinum efficiunt, *diuinæque naturæ consortem reddit*, vt diui Petri verbis loquitur Beatus Cyrillus Hierosolymitanus: transeũt interim species, & in aliam rem conuersæ sine iniuria Christi egeruntur. B. Gregorius Nissenus ait, sic hominem affici communione, sicut corpus humanum medicina: vel vt massa fermento. D. Cyrillus Alexandrinus: *Quemadmodũ*, inquit *si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtriusque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso*, vt intelligas virtutem manere, etiamsi species transeant.

2. Pet. 1. 4.

Ser. de corpore Dom.

Lib. 10. in Ioan. c. 13.

VNDECIMA.

Sensus nostri nihil præter panem & vinum aspiciunt: atqui illi non falluntur, non adest igitur corpus Christi.

SOLVTIO.

Sensuum externorum obiectum nõ est substantia, vel corpus, sed qualitas corporis externa, color, sonus, sapor, odor, &c. quas qualitates, dum sensus percipit, nequaquam fallitur. Est autem sub his alienis qualitatibus velatũ corpus Dominicũ, admirabili modo, sola fide

fide credendum, non oculis aſpiciendum, vel ratione comprehendēdum: vnde veteres ſancti *a* Gregorius Naziāzenus, *b* Chryſoſtomus, *c* Epiphanius, *d* Euſebius Emiſſenus, *e* Cyrillus Hieroſolymitanus, *f* Cyrillus Alexandrinus, *g* Damaſcenus, &c. docent hîc fidē maximè neceſſariā maximeq; operari, in ea nimirum re, quæ à ſola omnipotentia Dei præſtari poteſt.

a *Oratione 4. de Paſ.*
b *Hom. 45. in Ioan. 60. ad pop. 83 in Matth. 2. in poſt. ad Timot.*
c *in Ancorato.*
d *hom. 5. de Paſch.*
e *catech. 4.*
f *l. 4. in Ioā. c. 13 14. 17. 19.*
g *l. 4. ca. 14.*

DVODECIMA.

Nōnulli veteres, vt *h* Tertullianus, & *i* Auguſt. fatentur, in hoc Sacramento eſſe ſignum & figuram corporis Chriſti: ergo non eſt verum corpus Chriſti.

h *li. 4. cont. Marcionem.*
i *con. Adimantū Manich. c. 12. & in Pſa. 3.*

SOLVTIO.

Neganda eſt conſecutio: Quia fatetur Eccleſia hoc corpus Chriſti in Euchariſtia & verum eſſe corpus Domini: & tamen etiam figuram corporis Domini: ſiquidem hoc corpus ſub ſpeciebus panis candidi & immobilis, repræſentat nobis corpus Chriſti mortuum: Et ſanguis in ſpecie vini liquidi ſanguinem delatere effuſum: cùm nullum ſit incommodum ſi eadem res quandoq; ſe ipſam ſignificet. Rex enim aliquis, qui ciuitatē armis cæpiſſet, in tragædia de hac expugnatione exhibita, ſi Regis expugnātis perſonam ſuſtineat, & verè adeſt, & ſeipſum, vt oppugnanté ſignificat: pari modo hîc adeſt reuera Chriſtus viuus, & integer: qui tamen ſub aliena ſpecie, & Deo Patri, & nobis ſe velut mortuū exhibet.

Simile.

DE

DE TRANSVBstantiatione.

FIDES Ecclesiæ Catholicæ docet, non solùm in hoc Sacramento nobis adesse corpus & sanguinem Domini, sed vi diuinorum verborum sic transmutari naturam panis & vini, vt conuertantur in corpus & sanguinem Christi: neque post consecrationis verba panem esse aut vinum, sed corpus & sanguinem Domini. Christus enim, dum porrigens hoc Sacramentum diceret, *Hoc est corpus meum*, a- Matt.26.27
pertè indicauit, quidquid porrigeret, & totam illam substantiam, quam manibus teneret, esse corpus suũ, nec aliam adesse substantiam, præter corpus suum: alioquin dicere debuisset, *Hic est* CORPVS *meum*, id est, cum pane; vel sub pane, vel in pane. Similis locutio est in ver Matt 3. &
bis Dei Patris, *Hic est filius meus dilectus*, hoc est, 17.5.
tota hæc hypostasis, quam in monte & Iorda a li.4. de sa-
ne de monstro, est filius meus. Ita veteres hæc cramentis
Christi verba intellexerunt: B a Ambrosius; cap.4.
De *pane*, inquit, *fit caro Christi. Vides quàm operato-* Amb.l.5 ca.
rius sit sermo Christi: si tanta vis est in sermoni Domini 4 & D.
Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis opera- Aug ser.28.
torius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? an- de verbis
te verba, quod offertur panis dicitur; vbi Christi verba Domini.
deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus ap- Amb. de ijs
pellatur. Eadem potentia qua ex nihilo fecit omnia mutat qui mysterijs
creaturas in id, quod non erant b Damascenus ait, *pa-* cap.9.
nem & vinum transumi & transmutari in corpus, & san- b l.4.c.14.

a *Hom.3. de Pasch.*

b *Cathe. 4. Ioan.1.*

c *serm. in encœnijs.*

d *l.4.c.14.*

e *Matth. 26 27. Mar. 14.22. Ioan. 6.51.*

guinem Christi. a Eusebius Emissenus *visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis Christi conuertit, transire, & commutari.* Quam rem varijs similitudinibus veteres explicarunt. *b* Cyrillus Hierosolymitanus, Talem, ait, hic esse naturarum *transmutationem, qualis fuit conuersio aquæ in vinum*, non enim hic esse panē, licet gustui videatur: sed sub specie panis dari corpus CHRISTI. *c* Chrysostomus similitudinem adfert ceræ, *quæ apposita igni absumitur, atque in flammam ignis transit.* *d* Damascenus ait: *sic fieri diuina virtute, modo nobis incognito, panis & vini transmutationem in Christi corpus & sanguinem, quomodo cibus & potus, quibus vtimur, in substantiam corporis & sanguinis nostri transire solent.* Eandem similitudinem adduxit Theophylactus. Beatus Ambrosius varia adfert exempla multarum rerum, quarum facta est naturarum mutatio, vt virgæ Moysis in serpentem, & id genus alia. Quamobrem ante trecentos annos in Concilio Lateranensi, ad rei istius tam admirabilis clariorem explicationem, vsurpatum fuit nomen transubstantiationis, vt intelligant Christiani *e* substantiam panis in substantiam corporis Christi, & substantiam vini in substantiam sanguinis eius, vi diuinorum verborum transferri.

CAETERVM quia Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*: significare voluit, se hoc ipsum dare corpus, eodemque modo constitutum, quo suum tunc erat, cùm illud porrigeret, non exangue, nec inanime, nó

vacuum

vacuum diuinitate: similiter non dare sanguinem ad instar cruoris effusi & mortui. Quò fit, vt in sacro sancto Eucharistiæ sacramento sub specie panis, tale sit corpus Christi, quale nunc in cœlis sedet ad dexteram Patris, viuum diuinumque: & sub specie vini esse sanguinem viuum in corpore Christi per venas diffusum: Ex quo & illud deinceps necessariò sequitur, sub vtralibet specie totum esse Christum Deũ & hominem, cum corpore & anima, carne & sanguine. Quamobrem Christus de hoc Sacramento sic locutus est: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*: quia non caro mortua Christi, sed ipse Christus viuus, & integer sumitur. *Ipse est comedens* (inquit B. Hieronymus) *& qui comeditur. Christum* namque *videmus*, (vt loquitur Beat. Chrysostomus) *Christum palpamus, Christum comedimus, eundemq; præsentem habemus in altari, quem Magi venerati sunt in præsepio*. Origenes verò, *Quando populus manducas & bibis corpus & sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians te ipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Concilium Ephesinum manifestè docuit nos Christi viuificatricem carnem manducare *ipsius verbi propriam factam*, non inanem, & nudam, sed viuam atque diuinam, per quam, vt est apud B. Hilarium, *nos in ipso manemus, & ipse in nobis.*

Ioan. 6. 57.

Quæst. 2. ad Hedibiã.

Hom. 61. ad pop.

Hom. 24. prior. ad Cor.

Hom. 5. in diuersos.

Epist. ad Nestorium.

Lib. 8 de Trinit.

OBIECTIONES.

PRIMA.

Frequenter in Scripturis appellatur panis: ergo manet panis substantia.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia: Nusquam enim dicitur esse panis à pistore in fornace coctus, sed qui de cœlo descendit: neque absolutè vocatur alicubi panis, sed cum adiectione alicuius, veluti, a *qui manducat hunc panem: Panis quem ego dabo*: b *Panis quem frangimus*, vt intelligas, non de communi pane esse sermonem, sed de pane aliquo singulari. Præterea appellatur panis phrasi Hebraica, qua panis nomine cibus significatur, vt Luc. 14. *Cùm intrasset in domum cuiusdã Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem*, hoc est, cibum sumere. Nusquam etiam sanguis Domini vinum dicitur, sed potius *calix*, hoc est, potus generali vocabulo; quia re vera corpus & sanguis Christi nobis in cibum & potũ nõ solùm animę, sed etiam corporis data sunt, sicut ipsemet ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Eucharistia vt dicatur panis.

a Ioa. 6. 51. & 58.

b 1. Cor. 10. 16.

Ioan. 6. 55.

SECVNDA.

B. Irenæus libro 4. cap. 34. *Quemadmodum qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis*

bis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Hinc colligimus sic mutari panem in corpus Christi, prout corpora nostra mutantur, & fiunt incorruptibilia: In qua mutatione, cùm non abijciatur substantia corporum nostrorũ, nec panis substantiam abire statuendum erit. Et quod dicit, Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena & cœlesti, significat panem manere, qui res terrena appellatur.

SOLVTIO.

Non est posita in eo similitudo: sicut in Eucharistia sunt duæ res, cælestis & terrena, ita & in nobis post resurrectionem: tunc quippe non duæ res, sed vnica futura est in nobis, *quando mortale hoc induet immortalitatem.* Sed B. Irenæus resurrectionem corporum docere volens, similitudine Eucharistiæ probat fieri posse, vt quod terrenum est, incorruptionem, aliamq; naturam induat. Sicut enim panis, diuinis verbis mutata, natura efficitur corpus Christi, ita & cineres nostri, quos resumemus, in incorruptibilem naturam immortalis corporis transibunt. Constat verò Eucharistia ex rebus duabus, terrena atque cælesti, sicut caro resurgens. Quemadmodum enim corpus gloriosum ex terra est veluti materia transeunte, re- 2. *Cor.* 15. 54.

tinens naturales aliquas terræ, cæterorumque elementorum qualitates: pari modo sacra Eucharistia ex pane consistit transeunte, & in Christi corpus conuerso, retentis speciebus & externis qualitatibus, quæ sensibus objiciuntur.

TERTIA.

B. Gelasius libro de duabus naturis Christi, contra Eutychen & Nestorium, fatetur sicut Christo duas esse naturas, humanam atque diuinam, quomodo in Eucharistia duæ sunt substantiæ, Christi videlicet corpus, atque ipsius qui remanet panis.

SOLVTIO.

Non fuit mens S. Pontificis, sic Christum docere impanatum, hoc est, in vnam hypostasim, naturam panis in furno cocti assumpsisse, vt esset pistoris, quomodo incarnatus in vna persona est Deus & homo. Sed (si modo hic liber sit Gelasij, vt multi non immeritò dubitant) panis & vini vocabulis generatim vtens pro cibo & potu, in eo constituit similitudinē, quod sicut in Christo sunt duæ naturæ, diuina atque humana; ita in Eucharistia est integer Christus, factus nobis verus cibus & potus corporis & animæ: *Caro enim mea*, inquit Dominus, *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, idq; per species alienas, quibus seipsum tegit, & porrigit. Ad eundem modum intelligenda sunt verba quædam Theodoreti in dialogis, quando affirmat in hoc Sacramento *non transmutari naturam*

Ioan. 6.

Dialog. 1.

sed

sed adijci gratiam: vult quippè manere nāturam atque rationem cibi seu alimenti, non panis pisti, qui ex *gratia* (inquit) *est transmutatus, cui succeßit id quod creditur, & adoratur*: non enim adoratur panis pistoris, sed Christi corpus, verum Christiani hominis alimentum. Similia habet Rupertus Tutiensis ad eundem prorsus modū accipienda. *In cap. 2. Exod.*

DE ADORATIONE.

SI Christi Domini corpus, hoc est, Christus DEVS & homo in Sacramento Eucharistiæ hominibus adest, meritò est adorandus, iuxta illud Deut. *Dominum Deum tuum adorabis.* Quamobrem Propheta Dauid de Sacramento hoc loquens: *Edent pauperes*, inquit, *& saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Et paulò post: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ*: non obscurè prædicens Christianos, sacræ communionis tempore, venerabundos acceßuros mensam Dominicam, atque adoraturos hoc corpus DOMINI, quod suscipiunt. Beatus Augustinus post D. Ambrosium exponens Psalmi 98. versiculum: *Exaltate Dominum DEVM nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, quærit quodnam scabellum pedum adorare iubeamur? sibique respondet: apud Isaiam terram vocari scabellum pedum DOMINI (*Cœlum mihi sedes est, terra autem* *Deut. 6. & 10.* *Psalm. 21. 27.* *D. Aug. in Psa. 98 & 21. epi. 12. cap. 27. Amb. li. 3. de Spir. S. cap. 12. Isa. 66. 1.*

tem scabellum pedum meorum) Hanc autem terram adorari à Christianis in Eucharistiæ Sacramento, vbi corpus Christi adoratur, de terra sumptum. Antiquissima semper fuit consuetudo Ecclesiæ, (vt auctor est, post D. *a* Dionysium Areopagitam, D. *b* Basilius) exhibere populo adorandam Eucharistiam in Liturgia, seu Missæ sacrificio post consecrationem, de quo veteres Hebræi in Psalmis prædictum esse aiunt: *c Erit firmamentum in terra, in summis montium*, quod nonnulli sic interpretati sunt olim. *Erit placentula panis in terra, in capite Sacerdotum*, Ex his efficitur sanctissimum hoc Sacramentum, & iuxta nomen suum venerabile, quanta potest reuerentia, honore, celebritate, tum interno cordis affectu, tum externis ceremonijs à Christi fidelibus, venerandum, colendum & adorandum esse, summo etiam cultu, quē Græci λατρείαν vocant, soli Deo conueniente. Itaque aureis argenteisque thecis includi debet, quemadmodum à Beat. Basilio in aurea columba reseruatum esse refert Amphilochius: & de argentea turri, quam nos ciborium appellamus, scribit Beatus Gregorius Turonensis: Aureorum calicum mentionem facit Beatus Augustinus ad Licentium: Beatus *d* Ambrosius quoque, *e* Chrysostomus, *f* Hieronymus, cęteriq; Patres antiquam pretiosæ suppellectilis sacræ consuetudinem fuisse testantur, sanctosq; calices

a ca. 3. Eccl. Hierarch.
b li. de Spiritu S. c. 27. Damas. in vita Barl.
c Psalm. 71. 16.
Cap. 85. de glo. Mart. epist. c. 1.
d li. 2. offic 28.
e hom. 60. ad popul. & lib. aduersus Gentiles. *f ad Demetriadem Damasus in Vrbano. Syluestro, Marco. Orosius lib. 7. cap. 49.*

calices, & sancta velamina, & cætera, quæ ad cultum pertinent Dominicæ passionis, ait B. a Hieronymus, ex consortio corporis & sanguinis Domini summa maiestate veneranda. b Prudentius sic Tyrannum loquentem B. Laurentio introducit:

Hunc esse vestris orgijs,
Moremq; & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro Antistites;
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sanctum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Astare fixos cereos.

Tametsi verò propter infidelium iniurias, primis illis temporibus, solemni supplicatione deferri non consueuerit Eucharistia, deferebatur tamen quandoque summa reuerentia vel ad c infirmos, vel ad Episcopos eiusdem cómunionis, vt refert d Eusebius, vel ex Episcopali domo in ædem sacram, vt ante Conciliũ e Bracarense tertium, author est B f Gregorius Turonensis B g Chrysostomus ait, *sic adorãdum in altari Christum, sicut illum adorauerunt Magi in præsæpio*, & alibi: *h adora*, inquit, *& communica: i* idem refert quandoq; visos B. Angelos altari assistẽtes, Deumq; suum prono demissoque vultu in Eucharistia adorantes: quale quid ante 900. annos scripsit k Euiratus. *l* B. Cyprianus iubet cum *timore & honore accipiendam Eucharistiam*. De

a *prefa. in li.* *Paſch.*
b *In hym. S. Laur.*
Proceſſiones.
c *Iuſtin. apo. 2.*
d *lib. 5. hiſt. Eccl. c. 24.*
cap. 5.
e *ca. 85. de glor. mart.*
f *hom. 24. 1. ad Cor.*
g *hom. 60. ad popul. &* 3. *ad Epheſ.*
h *li. 6. de ſacerdot.*
i *c. 99. prat.*
k *lib. 3. ad Quiri. c. 94.*

nique pleni sunt libri veterum hoc cultu dominici corporis.

OBIECTIONES.

PRIMA.

Christus in hoc Sacramento non est, vt adoretur, sed vt sumatur: Non est igitur in Eucharistia adorandus.

SOLVTIO.

Negandum est antecedens. Vbicunq; enim Deus est, illic est, vt adoretur, cùm vbique locum habet mandatum Dei, *Dominum Deum tuum adorabis.* Si vrgeas, scriptum non est; accipite & adorate, sed *accipite & manducate.* Respondendum; Iuberi nos accipere, non quouis modo, prophanè & irreuerenter: sed eo modo, qui tanto Sacramento conuenit, id est, adorantes, & Deum in Sacramento colentes, iuxta id, quod ex Psalm. 21. dictum est, *manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ:* nam etiam eo modo Christus dum viueret est à fidelibus habitus: qui etsi non visus sit venisse in terram, vt adoraretur, sed vt doceret, curaret, pateretur, in cruce moreretur: adoratus tamen à Magis in præsepio, à Centurione in platea, à Latrone in cruce, ab alijsq; permultis publicè & priuatim: non reprehendit, sed suscepit honorem, quem sibi Deo sciebat vbiq; deberi.

Deu. 6. 13.

Psal. 21. 30.

SECVNDA.

Apostoli in vltima cœna sumentes hoc Sacra-

çramentum non adorârunt: Ergò neq; à nobis erit adorandum.

SOLVTIO.

Negandum est antecedens: quia adoratio non tam in externo cultu, quàm in interna mentis deuotione & affectu cernitur. Nec opus erat, vt genu flexo nouam significationem honoris darent, sumentes corpus Dominicum: quia eundem habebant præsentem, & corpus suum eis porrigentem, quem mente semper colebant: dubium tamen non est, quin summa veneratione hunc nouũ cibum acceperint, quando B. Apostolus Paulus monet dijudicandum corpus Domini, hoc est, longè aliter sumendũ, quàm alios cibos. 1. Cor. 11. 29.

TERTIA.

Olim deferebatur sine reuerentia passim à Christianis domum Euchristia: Nõ igitur debetur illi hic honor, qui postea est excogitat⁹.

SOLVTIO.

Deferebatur quidem præsertim persecutionum temporibus, quando tutum non erat frequenter ad communionem in Ecclesia conuenire, sed magna veneratione, sicut post *a* Origenem scripsit D. *b* Augustinus.

a *Hom. 15. in Exodum.*

b *Hõ. 26. ex 50. & serm. 252. de tẽpo.*

QVARTA.

c Clemens Pontifex iubet non asseruari corpus Dominicum in crastinum, sed quæ superfuerint reliquiæ communicantibus, in sacrario consumi. Isichius verò ait, igne comburendas.

c *Epist. 2. Lib. 2. in 8. cap. Leuit.*

SOLV-

SOLVTIO.

B. Pontifex non vetat seruari Dominicum corpus, sed exigua illa fragmẽta, & micas, quæ decreto Matisconensis Concilij 2. innocentibus pueris dari consueuerunt, sicut narrant B. *a* Gregorius Turonensis, & *b* Nicephorus Callistus Ischius de reliquijs illis loquitur, quæ vel tempore, vel alia ex causa essent corruptæ.

cap. 6.
a cap. 9. in glor. mart.
b li. 17. c. 23.

QVINTA.

Adoratio hæc, & assueueratio videtur non parum obesse frequenti communioni: non est igitur retinendum Christi corpus, & adorandum.

SOLVTIO.

Cùm varijs modis & ceremonijs colatur Deus, nullus est alteri impedimento: veneramur Christi corpus sacra communione, sumẽtes in medelam vitiorum, in remissionem quotidianorum peccatorum, in auxilium vitæ, in solamen animæ, in memoriam mortis & sepulturæ, vt vita moresq; nostri sacram eius resurrectionem repræsentent: Honoramus asseruantes, & pretiosis vasis imponentes, in recordationem eiusdem mortis & sepulturæ Dominicæ, dum Christi corpus sub specie panis inanimi velut mortuum corpus & exangue sacris thecis, tanquam sepulchro includitur, & adoratur, vt de hoc sepulturæ genere non incommodè possit intelligi Isaiæ vaticinium:

Et

Et 2 *erit sepulchrũ eius gloriosum.* Et quidem est magno solatio Christianis hominibus habere sibi in Ecclesijs præsentem Deum suum, cui precibus atque gemitibus necessitates suas aperiant, & corda effundãt, cultumq; & veneratione exhibeant: Qui tamen norunt quid sit, *b gustate, quoniam suauis est Dominus*: ex externo cultu, quo velut odoratu hauriunt cœlestem dulcedinem, inducuntur, vt gustent, manducent, impleanturq; bonis Domini: sciunt enim plus esse hospitio excipere Christum, quam foris adorare.

a *Isa.* 53. 10.

b *Psal.* 33. 9

DE SACRIFICIO MISSAE.

CAPVT IX.

SAcrificium est res Deo oblata, ad diuinum ei cultum, quem latriam vocant, exhibendum. Nulla enim gens fuit vnquam, sicut testatur Beatus *c* Augustinus, quæ existimauerit præterquam Deo, sacrificium vlli offerendum. Differt autem sacrificium ab alijs oblationibus; quod in illius oblatione fieri aliquid soleat, velut occiso animalis, concrematio, &c. alijs autem res absolutè offerantur, aut donentur.

c *li.* 1. *de Ciuitate Dei.*

Differentia sacrificij & oblationum.

Ratio

Ratio porrò sacrificij cùm sit diuinus cultus, non nisi à Deo instituí debet: cuius est hominibus præscribere, qua velit ratione ab eis coli. Sic in veteri lege varia instituta sunt sacrificiorum genera, in immolationibus bestiarum, &c.

Sacrificium Oratio.

Pertinet autem sacrificij ratio ad genus orationis, nam munere aliquo diuinæ maiestati oblato, precamur aliquid nobis donari, aut offensas remitti. Estque tunc efficacissima oratio quando per sacrificium illud repræsentatur, quod maximè Deo gratum est, & acceptū: nempe passio, & mors Christi filij sui, quæ passio, quoniam in veteri testamento per occisionem bestiarum, & sanguinis effusionem repræsentabatur, grata erant sacrificia Deo, à quo & veniam delictorum, & alia dona impetrabant. Nihil quippe aliud veteres illi suis sacrificijs agebant, quàm quod per mortem filij Dei aliquando futuram, sanguinemq; eius aliquādo profundendū (quod in actione sacrificij figurabatur) orarent sibi donari quæ postulabant.

Sacrificia veteris legis.

Sacrificium crucis.

Veteribus illis sacrificijs successit vnicum & perfectissimum sacrificium à Christo Sacerdote summo in ara Crucis immolatum, vbi seipsum per manus impiorū occisum, pro vniuerso humano genere Deo Patri obtulit, cum sanguinis sui effusione, quem pro nobis vniuersum dedit.

Hoc sacrificium longè præstabat sacrificijs omni-

omnibus veteris legis, quod in isto fuerit vera & plena satisfactio, non modò pro peccatis omnibus totius orbis, sed pro donis etiam in humanum genus collatis, & conferendis: fuit quippe meriti infiniti, ob infinitam dignitatem rei oblatæ. Vetera sacrificia, tametsi satisfecerint illa quidem pro delictis aut immunditijs legalibus, velut pro immũditia legalibus, velut pro immunditia leprosi, attingentis mortuum, puerperæ, &c. Nullum tamẽ poterant expiare peccatum, nisi virtute huius sacrificij, idq; per fidem & orationẽ, quæ efficacior reddebatur, & sacrificij Christi per mortẽ hostiarũ & fusum sanguinẽ, repræsentatione. Mouent iam hæretici quæstionem: an etiã in nouo testamento post Christi mortem Ecclesiæ relictum sit sacrificium, quod à Sacerdotibus Deo offeratur. Et quidem fatendum est nullum esse in Ecclesia sacrificiũ q̃ per mortem alicuius, & sanguinis effusionem cruentè immoletur: negari tamen nõ debet esse sacrificium, cui vera sacrificij ratio conueniat: offertur enim in Ecclesia Deo munus, in quod dum aliquid agitur, repræsentatur passio, & mors Christi, petunturq; à Deo ea dona q̃ Christus nobis sua morte impetrauit. Hoc aũt Sacrificiũ peragitur cõuersione panis & vini in corp⁹ & sanguinẽ Christi Saluatoris: dũ enim perficitur ista cõsecratio, adest Christus Deus & homo, idẽ ipse, qui in ara crucis pro nobis satisfecit. Est autem hic in specie candidi, & immobilis

Sacrificium Missæ.

lis panis, quæ repræsentat corpus mortuum: adest & sanguis in specie liquidi vini, tanquã effusus & in vnum collectus. Quod Sacramentum & eximium donum quando in Ecclesia Deo patri offertur, hoc agitur, vt per Christi illic præsentis mortem & sanguinis effusionem his speciebus ob oculos positam, ea impetrentur, quę Christus vera sua morte in ara crucis nobis est meritus.

Duæ conclusiones.

Ex quibus sequitur, primò quidem hoc Sacrificium, si rem oblatam spectes, non esse diuersum, sed idem omninò cum illo, quod oblatum est in cruce. Idem est videlicet Christus, idemque corpus, & sanguis idem; differentia verò est in modo & fine. Illic enim Christus per veram sanguinis effusionẽ reuera occisus fuit, & mortuus de cruce pependit, sanguine ipso à corpore separato: hic est tantùm illius mortis repræsentatio in speciebus panis inanimi, & vini liquidi. Illud oblatum fuit ad satisfaciendum Patri offenso, persoluendumque pretium pro peccatis totius mundi, omnibus. que donis humano generi necessarijs: hìc efficax est oratio, vt per Christi illic præsentis mortem repręsentatam, ea nobis applicentur, & donentur, quæ Christus in cruce vera sua morte promeritus est, & impetrauit.

Conuenientia & differentia sacrificij Crucis & Missæ.

Sequitur verò præterea hoc sacrificium nostrum noui testamenti, præstantius esse & efficacius sacrificijs omnibus veteris legis. Præstantius quidem, quod illic oblata fuerint animalia

malia bruta: hic ipsemet filius Dei. Efficacius verò, quia ipsemet Christus hic offertur mortis suæ repræsentatione: illic in vmbra solùm & imagine, mors Christi ob oculos ponebatur. Quæ res tali similitudine explicari posse videtur. Si filio Regis pro salute vel vtilitate famuli graue aliquid passo, famulus hoc ipsum, quod filius meritus esset, sibi rogaret à Rege donari: longè efficacius exorabit, si adducto filio, Regi vulnera eius, & cicatrices exhibeat, filiumque habeat suæ petitionis præsentem promotorem & aduocatum, quàm si in depicta imagine filij, similitudines vulnerum & cicatricum Patri ostendat. Pari ratione se habet nostrum sacrificium cum sacrificijs veteribus, quòd illic in vmbra & imagine, per mortem & effusum sanguinem bestiarum exhibebatur passio CHRISTI: hic autem verè adducatur ipsemet CHRISTVS filius Dei; tanquam passus & mortuus, qui orationes nostras, exhibitis vulneribus, & memoria mortis, DEO Patri commendat & promouet.

De hoc sacrificio ita olim vaticinatus est Malachias Propheta, quando cap. 1. prædixit, veteribus sacrificijs succeſſurum in noua lege aliud sacrificium Deo gratissimum, his verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra: Ab ortu enim Solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo* Malac. 1, 10.

oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Hoc de sacrificio Missæ intelligendum esse, non solùm ante
a *Li. 4. c. 32. 33. 34.* 1400. annos Beatus *a* Irenæus Polycarpi illius, qui vsus est Beato Ioanne Euangelista præceptore, discipulus testatur: sed & veteres o-
b *In Ps. 95. & ora. 12. in Iudæos.* mnes, qui hunc locum exposuerunt: *b* Chrysostomus, *c* Hieronymus, *d* Augustinus, *e*
c *Mal. 1.* Martialis, & cæt. & ipsemet contextus, verba-
d *de ciu. Dei li. 18. c. 35. et li. 19. c. 23. in Psal. 106.* que Malachiæ non alium sensum admittunt. Ait enim Propheta in locum sacrificiorum veteris testamenti, successurum aliud sacrificium in Ecclesia, quæ sit oblatio munda. Vult igitur dicere, instituendum aliud sacrificium,
e *Ad Burdegalenses. lib. 4. de Trinit. ca. 14.* quod prius non fuerat: hoc autem nullum est, nisi corpus Dominicum in Missa oblatum, quod solum, vt ait Beatus Augustinus, est mundissimum, nullóq; næuo inquinatum. Sacrificium autem orationis & cordis contriti, de quo hæretici Malachiam intelligunt, non potest dici succedere sacrificijs veteris testamenti, cum ipsum etiam in veteri testamento fue-
f *Psal. 50. 19* rit, sicut ait Propheta Dauid: *f Sacrificium Deo*
g *Psal. 140. 2.* *spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et alibi: g *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Et ista oblatio orationis, non est omni loco munda, & macula carens: cùm frequenter etiam sanctis orantibus Deum, irrepant distractiones, & mentis euagationes, quæ aliquo puluere orationem aspergunt.

Psal.

Psalm.109. Satis apertè de hoc sacrificio loquitur Propher. Dauid, quando de Christo sic canit: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Duæ enim in Sacerdote Melchisedech fuerunt proprietates: vna, quòd panem & vinum obtulerit: altera quod genealogia eius, initium, & finis vitæ à Scriptura non referantur, tanquam, vt ait Apostolus: *Sine patre, sine matre, sine genealogia fuerit, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Et quidem ratio sacerdotij sumitur à genere oblationis potius, quã à diuturnitate, aut æternitate vitæ: proinde CHRISTVS ex eo potius dictus eo Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; quod similes hostias Deo offerat: nempe sicut Melchisedech panem & vinum, ita & ipse in speciebus panis & vini, cibum potumque cœlestem. Hæc est concors veterum, qui istius Scripturæ meminerunt, interpretatio: *a* Cypriani, *b* Chrysostomi, *c* Hieronymi, *d* Ambrosij, *e* Augustini, *f* Epiphanij, *g* Eusebij Cæsarien sis, *h* Emisseni, *i* Photij, *k* Isidori, cæterorumq; omnium. Gen.14. Hebr.7.

De eodem sacrificio intelligendus est Psalmus 21. qui in persona CHRISTI iam in cruce suffixi conscriptus est, & ab ipsomet CHRISTO in cruce recitatus: *Vota, inquit, mea reddam in conspectu timentium eum, edent pauperes & saturabuntur, & cæt.* in angustijs positi vota edere

a l.2.epi.3. b ho.de ascẽ. dente Iesu in templum. c in p.26.ad Marcellin. & Euagrium. d lib.4.de Sac. ca.3. & 6.li.5. ca.1. e li.18.de ciuit.c.22.lib. 17. c. 17. Lib.18.c.35. in Psalm.33. & 106. Epist.5.

f Hær.55. g lib.5.demonstrat. Euang.c.5. h Serm.5.de Pasch. i Heb.5. k de Patr.veter. test.

edere solent offerendi sacrificij, ita Christus ait, se vota edidisse, quæ vellet coram toto populo fidelium Deo reddere: atque sic reddere, vt de oblatis ederent pauperes, humilesq; corde, & saturarentur: manducarent etiam, & adorarent pingues terræ, Principes, inquam, & diuites. Nullum certè votum post mortem suam reddidisse legitur Dominus, quam sacrificij Missæ, quod per vniuersum terrarum orbem in conspectu timentium Deum offertur, & à pauperibus æquè atq; à diuitibus manducatur.

In priori Epistola ad Corinthios, ca. 10. *calix benedictionis cui benedicimus, nonné communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Videte Israel secundum carnem nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Beatus Apostolus probare volens eos qui Idolothyta, hoc est, cibos immolatos Idolis gustarent, habere communionem cum Dæmonibus, quibus essent oblati, ducit argumentum à communione Christianorum & sacrificijs Iudæorum. Quemadmodum, inquit, Iudæi, qui de oblatis sacrificijs comedunt, participes sunt altaris, hoc est sacrificij in altari oblati, & Christiani, qui de vno calice, & de vno pane in Ecclesia sanctificato sumunt, communionem habent cum CHRISTO: ita qui edunt immolata idolis, communionem habent

cum

eum dæmone, cui talia sacrificia offeruntur. Hæc similitudo à sacris Christianorum ducta, nullum haberet locum, nisi quemadmodum Idolothyta Idolis immolabãtur ante sumptionem, ita etiam panis iste diuinus, & calix, ante communionem, Deo in sacrificio noui testamenti offerretur.

In Epistola ad Hebræos, cap. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Satis manifestè dicitur in Ecclesia esse altare, atq; de illo altari aliquos edere, nimirum Christianos, non autem illos, qui tabernaculo deseruiunt, id est, qui adhuc Iudaismo legem obseruant, necdum conuersi ad fidem. Si habemus altare, ergo & sacrificium, quæ duo inter se sic referuntur, vt non possit esse altare, nisi propter sacrificium.

Si veteres consulamus, inueniemus Apostolicam traditionem per vniuersum orbem terrarum 1500. annis obseruatam: habent suas liturgias (hoc est, publicum sacrificium) Græci, ab Apostolo Iacobo primùm conscriptas, tum à Beato Basilio, & Diuo Chrysostomo auctas: quam vocem B. Lucas in eadem significatione vsurpauit (*ministrantibus autem illis Domino* Grecè λειτουργούντων, hoc est, sacrificantibus) quando sancti illi Doctores, in electione Pauli & Barnabæ sacrificium Deo offerebant, & ieiunabant. Habent & suas Armeni atque Aethiopes Christiani à maioribus acceptas. Latini vtuntur voce Missa, vel quod significent

Synodus Trullana can. 32.

Actor. 13.

Missa.

cent hostiam in cœlum missam, tanquam holocaustum à Deo sumi: vel quia singuli Christiani, ad altare panem suum consecrandum per manus ministrorum mittebant. Diuus Epiphanius testatur Beatos Apostolos sacrificia offerre solitos. Quod de se Beatus Andreas Aegeæ Proconsuli confessus fuit his verbis: *Ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum quotidie in altari Crucis sacrifico, cuius carnes postquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est integer perseuerat.* Hæc de Apostolo memoriæ prodidê e Presbyteri, & Diaconi Achaiæ martyrij eius inspectores, & testes. Beatus Dionysius Areopagita Apostoli Pauli discipulus ritum, ceremoniasq; sacrificij, quibus ex Apostolica traditione sacerdotes vtebantur, piè doctèque describit. a Beatus Chrysostomus ait ab Apostolis sanctum fuisse, vt pro defunctis sacrificia offerantur. B. b Alexander ante 1400. annos post Beatũ Petrũ sextus Romanus Pontifex, ait missas & sacrificia DEO offerenda, in quibus sacrificijs nihil magis esse possit; quàm corpus & sanguis Domini, *crimina enim*, inquit, *& peccata, oblatis his Domino sacrificijs delentur.* c Nazianzenus vocat, *sacrificia incruenta.* d Chrysostomus, CHRISTVS *immolatur & suis Dominica. seipsum* CHRISTVS *apposuit immolandum.* e Hieronymus dicit, *Episcopum quotidie pro suis & populi peccatis illibatæ Deo*

Hæres. 79.

Ca. 3. Eccl. Hierar.

a *Hom. 66. ad pop. 3. ad Philip & 41. in 1. Cor.*

b *Epist. 1.*

c *in Carmini bus.*

d *ho. 60. & ad pop.*

e *Tit. 1.*

Deo offerre victimas. a Ambrosius: *Non dubites assistere angelum quando* CHRISTVS *assistit, quando* CHRISTVS *immolatur:* b Augustinus. *Nonne quotidie nobis* CHRISTVS *immolatur, & semel pro nobis immolatus est? Rectè sub altari iustorum animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Nec immeritò illic iusti vindictam sanguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus* CHRISTI *sanguis effunditur.* Christiani memoriam celebrant peracti sacrificij sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis CHRISTI. Pulchrè explicat libro decimo de ciuitate Dei. Beatus Augustinus non solùm internum, atque inuisibile sacrificium DEO offerendum, sed externum quoque atque visibile, vbi CHRISTVS, vt homo, est sacrificium: vt Deus cum patre sumit sacrificium. Longum esset adferre quæ Cyprianus, Tertullianus, Optatus, Cyrillus, cæteríque Patres non modò de sacrificio, sed de fructu, miraculisque secutis multò ante nostra hæc tempora, priusquàm vlla moueretur controuersia, scripserunt. Beatus Augustinus domum sacrificio à Dæmonis infestatione liberauit. Beatus Pontifex Agapitus claudum, mutumque curauit: quibusdam sunt vincula soluta: alij naufragio facto, in columes euaserunt. B. Carpus Episcopus (vt auctor est Areopagita ad Demophilum monachum) nunquam ad celebrãda sacrificia acces-

a *in Luc. 1.*
b *in Psa. 75. Serm 4. de Innocentib. li. 20 contr. Faust. ca. 18. lib 10. de ciu. c. 19. & 20.*

Lib. 22. de ciu. Dei. c 8. D. Greg. l. 3. dial. c. 3. lib. 4. cap. 57. Beda lib. 4. hist. Ang. c. 22. pi. &

sit, nisi diuinæ voluntatis conscius: vt intelligas Dei imperio sacrificium offerri. Hanc consentiente veterum omnium doctrinam, Ecclesiæque ius obseruationem, cùm non ignorent Hæretici, audent maiores, viros sanctissimos atque doctissimos grauissimi criminis insimulare, vt qui aliò hanc memoriam detorserint, quàm Christi institutioni conueniebat: neque posse excusari, quin in actionis modo peccauerint, cùm imitati sint proprius Iudaicum sacrificandi morem, & alium quàm aut Christus ordinauerat, aut Euangelij ratio ferebat. Ita Caluinus, qui vt hæresim suam statuat, non veretur tam graui calumnia vniuersam antiquitatem perstringere: pro Altari, mensas constituere: & pro Sacerdotibus, ministros inducere, cùm altare & Sacerdos vi sua ad sacrificium referantur. Non ita religiosi maiores, qui nobis à Christo acceptum per manus tradiderunt sacrificium propitiatorium, eucharisticum, incruentum holocaustum, immaculatam hostiam pro peccatis viuorum, atque mortuorum, pro necessitatibus nostris, & in gratiarum actionem pro susceptis beneficijs offerendam & immolandam.

Lib. 4. Instit. 14.

OBIECTIONES.

PRIMA.

B. Paulus in Epistola ad Hebræos, capite 7. ait; *Vnicum esse sacerdotem Christum, qui vna oblatione con-*

consummauit in æternum sanctificatos. Ergo nullum est aliud in Ecclesia relictum sacrificium, quod ab alijs Sacerdotibus offeratur.

SOLVTIO.

Conceditur argumentum. Ex eo tamen non sequitur, nullum esse in Ecclesia relictum sacrificium: Nam, vt superius dictum fuit, hoc sacrificium, si rem oblatam spectes, adeoque si ipsum offerentem, vnum est atque idem cum sacrificio crucis, non aliud, videlicet Christus, hostia & Sacerdos, qui suis verbis hoc sacrificium conficit, & per Sacerdotum ministrorũ suorum manus hic in terris DEO Patri offert, quemadmodum in cœlis accedit per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Sicut enim in cœlis Christus corpus suum olim in cruce vulneratum & occisum, tanquam iuge sacrificium paternis oculis perpetuò pro nobis exhibet: ita hic in terris per ministerium Sacerdotum idem illud corpus in specie mortui & exanguis offert.

Chrys. hom. 60 ad pop. Antio.

Amb. l. 1. offi. ca. 48.

SECVNDA.

Si alios constituamus Sacerdotes, iniuria fiet Christo, qui est solus Sacerdos: Ergo neque est Sacerdos alius, neq; sacrificium.

SOLVTIO.

Negatur antecedens; Christus enim est Sacerdos summus: cæteri ipsius ministri atque

Vicarij. Vt igitur nulla irrogatur iniuria Regi, si multos dicitur habere ministros, & vicarios: ita neq; Christo, si plures dicantur esse sub ipso Sacerdotes.

TERTIA.

Christus sacrificio crucis perfecit omnia. Frustra igitur dicitur esse Missæ sacrificium in Ecclesia.

SOLVTIO.

Negatur consequentia: Hoc enim efficitur per Missæ sacrificium, vt quod perfecit Christus in cruce, id nobis singulis applicetur: illic pretium est solutum pro peccatis omnibus, hîc nobis impetratur huius pretij applicatio. Quod orationibus quoque in Ecclesia præstatur, quibus rogatur Deus vt efficiamur participes passionis Christi, hoc est, vt quod Christus emit, solutque passione & morte sua, id ad nos accommodetur, nobisque donetur. Ideoque hac clausula oratione terminamus, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

QVARTA.

Christus in sacramenti huius institutione non obtulit sacrificium. Non ergo est à nostris Sacerdotibus offerendum.

SOLVTIO.

Veteres negant antecedens. *Nam quis magis* (ait Beatus Cyprianus) *Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit,*

Li. 2 epi. 3.

obtulit, & obtulit hoc idem quo Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinẽ. Et Photius, *Etiam Christus sine sanguine hostiam obtulit deinde postmodum suum ipsius corpus. Propterea ergo aptè dictum est, Christum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech.* Heb.5.10.

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE.

Caput X.

IN controuersia de communione sub altera, vel sub vtraque specie, non venit in quæstionem, an Christus sub vtraque specie Sacramentum suũ instituerit: vel, an id Apostolis in vltima cœna sub vtraq; specie porrexerit: vel an Ecclesiæ, Christianisque omnibus sub vtraq;, vel altera specie sumendi liberum reliquerit; hæc enim omnia sunt in confesso: sed tota quæstio in eo versatur, an in huius Sacramenti institutione, vtriusq; speciei sumptionem, ita omnibus mandauerit, vt citra peccatum, nulli liceat sub altera tantùm specie cõmunicare: Hæretici affirmant, Catholici negãt suãq; doctrinam his argumentis confirmant. *Status quæstionis.*

PRIMO:

Rationes Catholicorum.

PRIMO: Nullum eiusmodi mandatum in Scripturis cernitur, neq; ex maiorum traditione habetur, sicut postea vtrumque probabitur: Ergo non est mandatum à Domino.

1.

SECVNDO: Eiusmodi mandatum ab omnibus impleri non posset, vtpote ab abstemijs, qui non ferunt vsum vini, & illis in locis, quò difficulter vinum aduehi potest. Ergo saltem illi ab hoc mandato essent eximendi, nec erit generale mandatum.

2.

TERTIO: hoc mandatum impediret crebram communionem: ad quam tamen Ecclesia passim omnes adhortatur. Vbi enim penuria esset vini, & magna populorum frequentia, non sine grauissimis sumptibus poterunt aliquot hominum millia octaua die ad communionem accedere.

3.

QVARTO: Eiusmodi mandatum durum esset illis, qui ex eodem poculo cum alijs horrent bibere: vel quod metuant alterius oris infectionem: vel quod saliuas aliorum influxisse videant in calicem.

4.

QVINTO: Non carebit graui periculo effusionis sanguinis dominici in tanta multitudine hominum communicantium, & exigua deuotione accedentium. Ad hæc & similia incommoda noluit Christus suos fideles adigi, quos voluit suauissimis regi legibus.

5.

SEXTO: A Christi temporibus semper administrata fuit Eucharistia aliquibus sub altera specie: nam & Christus ipse Luc. 24. in Ca-

6.

stello

stello Emaus porrecto suo corpore (vt testis a *Hom.* 17. est, *a* Chrysost. *b* Augustinus, Theophylactus, *oper. impe.* Euchymius, Beda, Strabo, &c.) vnam speciem b *lib.* 3. *de* panis discipulis præbuit: qua sumpta, apertis *conser. v.* Eorum oculis, ab ipsis est cognitus. Deinde Bea *nang. cap.* tus Apostolus. 1. ad Corinth. 10. cap. vbi nos le- 25. *epist. ol.* gimus: quoniam *vnus panis & vnum corpus multi* 59. *ad Pan-* *sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participa-* *linum.* *mus.* in Græco codice non habet, *& de vno calice: Innocenti.* 3. sed, *omnes, qui de vno pane participamus.* Et cap. 11. *Qui li.* 6. *de sacri-* *cunque manducauerit panem hunc. & biberit calicem Do* *ficio altaris* *mini indignè*: Græcè est, *vel biberit calicem Domini c.* 7. & 9. *indignè*: quasi etiam tunc vna species fine altera *Hierony. in* Christianis quandoque permissa fuerit. Præte- *Epit. Paul.* rea, si infirmis species panis & asseruari solet, c *lib.* 2. *ad* & deferri: & Christiani sacrum corpus Do- *vxorem.* mini persecutionis temporibus, domum secũ d *li.* 1. *stro-* sub specie panis, & non sub specie vini asportabant, (sicut veteres testantur, *e* Tertull. *d* Cle- e *Hom.* 13. mens Alexandrinus, *e* Origenes, *f* Cyprianus, *in Leuiti.* *g* Basilius, *h* Hieronymus, *i* Eusebius Cæsari- f *Ser.* 5. *de* ensis, *k* Augustinus, *l* Ambros. *m* Beda, *n* Euira- *lapsis* tus in Limonario Sophronij, &c) liquet nun- g *ad Cæsari* quam in Ecclesia existimatum esse, quod sine *am Patri.* peccato, & violatione præcepti diuini, altera h *Apolog.* tantũ species sumi nõ posset. Quod agnouerũt *pro libris ad* quoq; o Lutherus, *p* Melanthon, & *q* Bucerus, *uers. Iouin.* qui *& epist. ad*

Theoph. contra Ioan. Hierosoly. i *lib.* 6. *hist Eccl. cap.* 44. k *serm.* 152. *de temp.* l *de obitu Satyri.* m *lib.* 4. *hist. Ang. cap.* 24. n *ca.* 29 30. 79. o *lib. ad Bohemos lib. declarationis Eucha. lib. de formul. Miss.* p *in recognitis hypoti.* q *in colloq. Ratisp one.*

qui varijs opusculis scriptum reliquerunt, inter ἀδιάφορα reponendam communionem sub vna, vel vtraq; specie.

7. SEPTIMVM argumentum ex ratione cõmunionis duci potest: cùm enim sacrificium Missæ veteribus omnibus sacrificijs successerit, ideo communicamus, vt oblati sacrificij efficiamur participes, quemadmodum cap. 10. 1. ad Cor. B. Apostolus indicauit. Participes autẽ sacrificij efficiuntur, qui de oblatis edunt, etiamsi de oblatis liquidis non bibant. (Siquidem in veteri Testamento tametsi iuberentur immolantes de sacrificio edere, nulli tamen incũbebat necessitas de vino aut libaminibus simul oblatis bibendi) Igitur neq; in hoc sacrificio mandatum est, vt omnes bibant de calice Domini.

8. OCTAVVM argumentum desumitur ex fine communionis sacræ, qui est in Christo manere, & Christum in nobis: a *qui*, inquit, *manducat meam carnẽ, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Cùm igitur sub vna specie totus sit Christus: atq; ad nos venit sub vna specie panis, atq; sub duabus: nobisque non minus sub vna coniungitur, quàm sub vtrâq;. Proinde sicut infirmus quispiam, & pauper, qui à diuite & liberali viro visitaretur, & adiuuaretur, parum solicitus esset, an simplici veste, an verò duplici dives ille ad se ingrederetur: sed id potius cordi haberet, vt visitationem crebo repeteret: qua noua in dies munera & eleemosy-

a Ioan. 6. 54.

Simile.

nas

nas consequeretur: Ita nostrâ parùm refert debet, sub vnâne specie, an sub vtraq; hoc sacramentum Eucharistiæ sumamus: sed magis curandum est, vt crebrò sumamus: quod enim vestis est homini, hoc est species corpori Dominico.

NONVM: In Euangelio quidquid attribui videtur vtrique speciei, hoc etiam tribuitur vni: Non igitur vel quod amplius accipiatur, vel quod plùs gratiæ detur; est vrgenda vtraque species. Sicut enim dicitur: a *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, ita paulò post dicitur; b *qui manducat hunc panem viuet in æternum.* & sicut dicitur, c *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ita similiter dicitur: d *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Deniq; sicut dicitur; e *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*, ita etiam subditur: f *qui manducat me, & ipse viuet propter me.* 9. *Concilij Trid. sess. 2.* a *Ioan. 7. 54* b *Ioa. 6. 58.* c *Ioan. 6. 53* d *Ioa. 6. 51.* e *Ioa. 6. 56.* f *Ioan. 6. 57.*

DECIMVM: Doctrina istâ de necessitate communionis sub vtraque specie, recens est & temporibus Constantiensis Concilij ab annis circiter 170 à Petro quodam Dresdensi ludimagistro Pragensi, in odium Ecclesiæ, propter damnatũ Ioannẽ Huss excogitata, & Iacobello concionatori persuasa. Non igitur admittenda est, contra concordem vniuersalis Ecclesiæ doctrinam. 10.

OBIE-

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

Christus Matth. 26. mandauit omnibus vt biberent, his verbis: *Bibite ex eo omnes.* Ergo nulli licet abstinere à calice in Eucharistia.

SOLVTIO.

Marci decimoquarto dicitur: *Et hiberunt ex illo omnes*; vt significaretur eos omnes bibisse, qui iussi erant bibere. Erant verò illi, soli Apostoli duodecim, quibus hoc sacramentum recens institutum, commisit cæteris Christianis tradendum: hos autem in Cœna bibere voluit, non ad vtriusque speciei necessitatem cõmendandam: sed peculiaribus ex causis: tum

Apostoli cur sint iussi bibere.

1. ad mœstitiam, quam de passione Domini acceperant, mitigandam: tum vt illi, quos Sacerdotes ibi consecrabat, ritum sacrificandi, & Missæ sacrificio, vtramque speciem ordinariè sumendi, discerent: tum vt qui nomine totius Ecclesiæ, hoc Sacramentum a suo institutore accipiebant, vtriusque speciei sumptionem eius caperent possessionem. Ex eo tamen non sequitur, quod cæteris Christianis necessariò incumbat vtriusque speciei sumptio. Sicut enim nobis hoc sacramentum ab Apostolis, Apostolicisque viris est traditum, ita ab ijsdem est eius discendus vsus. Christus namq;

2.

3.

Ab Ecclesia accipiendus modus communicandi.

tra-

stus namque tradens Apostolis hoc sacramentum, simul etiam potestatem illis contulit ea ordinandi, quæ ad honestatem, reuerentiam, & deuotionem consecrationis, oblationis, & sumptionis facerent. Quare sicut ab illis accepimus, vt non vesperi, nec post alios cibos, nec ad mensam sedentes, sicut in vltima cœna factum fuerat, sed mane ante omnem cibum, & reuerenter, flexisq; genibus à fidelibus sumeretur: ita ab ijsdem discendum est, quando expediat vtramque, vel alteram tantùm speciem accipere.

SECVNDA.

Luc.22. & 1. ad Corinthios 11. ait Dominus: *hoc facite in meam commemorationem*: iubet igitur Christus ab omnibus sumi calicem in memoriam suæ passionis.

SOLVTIO.

Nusquam in porrectione calicis legitur absolutè Christus dixisse, † *hoc facite in meam commemorationem*: sed in porrectione tantùm sui sacri corporis. Ad calicem verò ita dixit, *hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem*: satis apertè insinuans non esse necessariò semper bibendum calicem: quando tamen biberetur, habendam esse passionis suæ memoriam, sicut B. *a* Basilius, & *b* Primasius exposuerunt. B. *c* Dionysius Areopagita, *d* Iustinus, *e* Cyrillus, *f* Damascenus illud, *Hoc facite*, referunt ad consecrationem hoc sensu: consecra-

† *Luc.*22.19 1.*Cor.*11.25.

a *li.de Baptis. cap.*3.

b 1.*Cor.*11.

c *Eccles. hierar.c.*3.

d *Apolog.*2. *ad Ant.*

e *ad Calosyrium.*

f *l.*4.*c.*14.

te, sicut me consecrare vidistis. a D. Cyprianus, b Chrysostomus, c Ambrosius ad oblationem.

a Lib. 2. epist. 3.
b hom. 23. in Matth.
17. ad Hebr.
c Heb. 10.

TERTIA.

Christus sub vtraque specie hoc Sacramentum instituit. Ergo qui non vtramque, sed vnã tantùm speciem sumit, violat institutionem Christi.

SOLVTIO.

Negatur consequentia. Non enim ideo instituit sub vtraq; specie, quod velit ab omnibus semper vtramq; sumi: sicut non sequitur, Deus instituit matrimonium, ergo qui matrimonium inire recusat, violat institutum Dei.

Simile.

QVARTA.

Si non sit necesse omnes sub vtraque specie communicare, sequetur frustra vtramq; speciem à Christo institutam, & in Ecclesia relictam: quod dicere nefas est.

SOLVTIO.

Cur sub duabus speciebus sit instituta Eucharistia.

Neganda est propositio, quia non ob id tãtùm sub speciebus panis & vini hoc sacramẽtum est institutum, vt à fidelibus sumatur, sed

1. primò quidem, vt sacrificium offeratur, quo sub specie quidem panis corpus tãquam mortuum, sub specie verò vini sanguis tanquam effusus, Deo Patri exhibetur. Deinde verò, ad

2. significandum hoc sacramento Eucharistiæ, plenam atq; perfectam dari refectionem spiritualem: quæ per cibum & potum hîc significatur.

QVIN-

QVINTA.

Qui sub vna tantùm specie communicat, non significatur plenè refici: quia ad plenam refectionem requiritur potus cum cibo: ergo non plenè reficitur manducando de corpore Domini, nisi etiã de calice bibat: significatur quippe mãducare, non bibere. Cùm igitur sacramenta hoc efficiant, quod significant, manducabit solùm spiritualiter, & non etiam bibet spiritualiter.

SOLVTIO.

In corporalibus, propter varias qualitates sicci & humidi, differunt manducare & bibere: cùm manducare sit sumere siccum, bibere autem liquidum. At verò in spiritualibus, vbi locum non habent istæ corporeæ qualitates, idem valent manducare & bibere: sicut idem est esurire & sitire. Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* & Ioan. 6. *Qui venit ad me, nõ esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum.* Proinde qui sub vna specie Christum manducat, tametsi significetur tãtùm comedere spiritualiter cibum; plenissimè tamen reficitur, non secus atque si etiam de calice biberet.

Bibere & edere in spiritualibus non differunt.

SEXTA.

Qui vnam speciem accipit, non sumit perfectum sacramentum, aut integrum, sed imperfectum. Atqui omnibus Christianis danda sunt sacramenta perfectè: Non igitur est vlli neganda vtraque species.

SOLVTIO.

Perfectum sacramentũ.

Perfectum esse sacramentum duobus modis intelligi potest: priori quidem vt res, quæ sacramento cõfertur, detur integra, & plena.

1. Posteriori modo, vt sit plena significatio. Et

2. quidem priori modo sub vna specie est sacramentum perfectum, nempe integer Christus, non minus atque sub vtraque specie: posteriori verò, non est perfectum: quia manducando non significatur perfecta refectio, quæ consistit in edendo simul & bibendo. Hæc tamen perfecta significatio ad fructũ ipsum, qui quæritur, nihil facit. Simile est in Sacramento Baptismi, in quo longè plenius per totius corporis ablutionem, & capitis immersionem, significatur totius animæ ablutio à peccatis, quã per solam lotionem capitis. Quando tamen hodie solum caput in Baptismo abluitur, non minus accipiunt Baptizati, quàm si toto corpore lauarentur.

Perfecta significatio nõ est necessaria.

Simile.

SEPTIMA.

Quod Christus nobis testamento reliquit, hoc per neminem potest nobis auferri sine graui sacrilegio, & violatione testamenti. Reliquit autem nobis suum corpus & sanguinẽ sub vtraque specie, in testamentum sempiternum: non est igitur species altera neganda Christianis.

SOLVTIÕ.

Conceditur totum argumentum: sed ex eo non sequitur vtramque speciem omnibus in sacra

sacra communione esse percipiendam: tantũ quippe hoc efficitur, non esse vtraque specie fraudandos Christianos: quemadmodum nec modò fraudantur, qui sub vna specie communicant. Cùm enim non solùm per sacram cõmunionem, ad fideles hoc sacramento vtilitas redundet, sed per sacrificium etiam alijsque modis: satis erit ad testamentum Christi implendum, si vel hac ratione ex vtraque specie vtilitas ad Christianos proueniat.

OCTAVA.

Quod Christus omnibus concessit, id nulli licet impedire aut recusare. Atqui Christus permisit omnibus vtramque speciem. Impiè igitur agunt, qui illam negant laicis.

SOLVTIO.

Neganda est maior propositio: quia multa reliquit Christus libera, quæ voluit ab Ecclesia, & Præsulibus ordinari: quemadmodum de tempore ieiunij, de precibus, de diebus festis, &c. Sicut igitur non sequitur, Christus nobis liberum reliquit abstinere, vel non abstinere, die sabbathi: dies festos Sanctorum celebrare; in quatuor temporibus atque Sanctorum vigilijs ieiunare: nulli ergo licet legem de hac re imponere: ita non sequitur, Christus liberã reliquit communionem alterius, vel vtriusq; speciei: ergo non licet Ecclesiæ ex causa vel vnam, vel vtramque præcipere. Similibus enim argumẽtis efficeretur, nullam esse potestatem

parentum vel ſuperiorum in res ἀδιαφόρας, de quibus Chriſtus nihil mandaſſet.

NONA.

Gelaſius Pontifex, ante annos 1000. damnauit communionem ſub altera ſpecie, tanquã ſacrilegam, capit. Comperimus; de Conſecratione, Diſtinct 2. Ergo vtraq; ſpecies non potèſt ſine ſacrilegio à quoquam intermitti.

SOLVTIO.

Negatur antecedens: Non enim damnatur communio Catholicorum ſub altera ſpecie; ſed communio Hæreticorum Manichæorum. Cùm enim illi docerent Chriſtum phantaſtico corpore in hunc mundum veniſſe, & illud ſanguine caruiſſe: abſtinere ſolebant à ſacro calice, non ad reuerentiam, ſed ad defenſionẽ erroris. Horum ſanè cõmunio ſub altera ſpecie ſacrilega fuit, & erroris pleniſſima. Quẽadmodum de ijſdem etiam teſtatur S. Leo Papa, Serm. 4. de Quadrageſima.

DECIMA.

Mandatum iſtud de communione ſub vna ſpecie recens eſt, à temporibus nimirum Concil. Conſtantienſis. Si igitur in reliquis omnibus adhærendum eſt maiorum traditioni, erit etiam hic eidem adhærendum; & libera communio ſub altera, vel vtraque ſpecie (qualis ante illud Concilium fuit) omnibus relinquenda.

SOLV-

SOLVTIO.

Superius diximus, quæstionem controuersam in eo versari: an Christus mandauerit vtriusq; speciei communionem. Mouetur autẽ alia quæstio hoc argumento, an debuerit vel potuerit, id quod antea liberum tot annis relictum fuerat, Ecclesia ad vnam partẽ determinare. Dicendum igitur, hanc semper Ecclesiæ fuisse consuetudinem, vt exurgentibus hęresibus noua quędam conderet decreta, ad hęreses illas penitus tollendas: quia igitur tempore Constantiensis Concilij noua oriebatur hæresis, Iacobelli & Dresdensis, qua consuetudinem multorum Christianorũ accusabát, quod contra expressum verbũ Dei ab vna specie in communione abstinerent: cautum est à Patribus illius Concilij ad hæreticos prodendos, hæresimq; refellendam: vt quibus in locis iam recepta esset vnius speciei communio, illic ne vtraque species laicis in posterum porrigeretur: quæ lex vsque adeò placuit per vniuersam Latinam Ecclesiã Catholici (solis Bohemis schismaticis exceptis) vt ilicò vbiq; alterius tantũ speciei cõmunio reciperetur. Estque hoc diligẽter notandũ, alterius speciei cõmunionem, non tã Episcoporũ mãdato, quàm populi vsu & facto (conniuentibus tamẽ Prælatis) irrepsisse. Populus .n. ob varia incommoda, paulatim à calice abstinebat, Episcopi ,ppter varia effusionis sanguinis, aliaq; pericula, tacẽdo hãc abstinentiã cõprobãt. Quę abstinentia

Vt introducta communio sub altera specie.

nentia à calice, cùm tempore Constantiensis Concilij, ferè per Europam vniuersalis esset, non erat damnanda, sed contra hæreticos insurgentes defendenda.

VNDECIMA.

Obiectio Iacobelli, & Petri Dresdensis, quæ tamen hodie nullus hæreticorum vtitur, sumpta fuit ex cap. 6. B. Ioannis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

SOLVTIO.

Nulla ibi fit mentio specierum, aut panis vel calicis: sed corporis tantùm & sanguinis Domini; qui sanguis etiam sub specie panis bibitur, sicut totus Christus sumitur. Cùm enim postea dicitur: *qui manducat hunc panem viuet in æternum*; apertè significatur, manducando hunc panem, sumi corpus & sanguinem Domini, quem nisi quis sumpserit, non potest in se vitã habere. Cæterùm, quia hac sententia damnarentur infantes, qui post Baptismum, antequã per ætatem sumere Eucharistiam possint, ex hac vita migrant: responderi solet, non solũ manducari carnem, & bibi sanguinem Domini in Eucharistiæ Sacramento: sed in Sacramẽto etiam baptismi, per quod Christo tanquam membra inserimur: vt manducare carnem Filij hominis, & bibere eius sanguinem, sit fieri participem corporis & sanguinis eius: quod in Sacramento baptismi consequimur, quãdo membra

Quid sit mãdueare carnẽ & bibere sanguinem Christi.

membra efficimur Christi: & in Sacramento Eucharistiæ, quando pascimur corpore & sanguine Christi.

DVODECIMA.

Obiectio est rudiorum 1. Corint. 11. *Hoc enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis:* Apostolus ait, se à Christo etiam calicem accepisse, quem Christianis Corinthijs tradidit.

SOLVTIO.

Fatemur id verum esse: sed nullum hic est verbum mandati, aut iussionis. Constat Christum vtramque speciem instituisse, & Apostolis, ac per eos cæteris Christianis porrexisse, sine vllo tamen præcepto vtramq; semper simul sumendi. Quamuis in prædictis verbis Diuus Apostolus non agat tam de traditione aut porrectione huius Sãctissimi Sacramẽti à Christo sibi facta; quàm de doctrina & historia cœnæ, quam sicut ipse à Christo didicerat, ita Corinthios docebat. Similis modus loquendi est, in eadem epistola, capite 15. *Tradidi enim vobis imprimis, quod & accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quia sepultus est, & quia resurrexit, &c.* hoc est, tradidi vobis doctrinã mortis, sepulturę, & resurrectionis Christi, quam prius à Christo didiceram.

DECIMA TERTIA.

Est etiam obiectio rudiorũm, 1. Cor. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* Vbi videtur mandari potus calicis.

SOLVTIO.

Non tam mãdatur calicis potus, quàm probatio sui, caueturq; ne quis, nisi bene paratus communicet, siue de corpore Domini, siue de calice, cuius tunc etiam erat vsus.

DECIMA QVARTA.

Chrysost. Homil. 18. in 2. ad Corinth. *Interdum, ait, nequaquam interest inter Sacerdotem, & eos quibus præest; velut cùm tremenda illa mysteria percipienda sunt. Aequè enim omnes ad ea admittimur: non quèadmodum in Veteri Testamento alia Sacerdos, alia subditus edebat: nec plebi fas erat ijs vesci, quibus Sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet, omnibus siquidem vnum poculum, & vnum corpus proponitur.*

SOLVTIO.

Nihil aliud dicit D. Chrysostomus, quàm diuina lege non esse prohibitum calicem laicis, sicut in veteri lege quædam partes sacrificiorum à solis edebantur Sacerdotibus, quas nefas erat à laicis sumi: non autem affirmat impositam esse necessitatem omnibus sumendi calicem, quod solũ ponitur in cõtrouersia.

DECIMA QVINTA.

Diuus Ambrosius 1. Corinth. 11. *Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis, ad tuitionẽ corporis & animæ nostræ percipimus: quia sanguis Domini sanguinem nostrum redemit, id est, totum hominem saluum fecit: Caro enim Seruatoris pro salute*

salute corporis: sanguis verò pro anima nostra effusus est: sicut prius præfiguratum fuerat à Moyse. Sic enim ait: Caro, inquit, pro corpore nostro offertur. Sanguis verò pro anima. Ideoque non manducandum sanguinem.

SOLVTIO.

B. Ambrosius non dicit Christum mandasse calicis sumptionem; sed ideo à fidelibus calicem mysticum sumi, vt significaretur totius hominis, & nominatim animæ curatio. Non igitur propter mandatum Christi, neque propter fructum maiorem: sed ad pleniorem significationem sumitur. Quia enim animę sedes in sanguine est, aut certè à sanguine pendet; per sumptionem sanguinis in calice mystico, longè clarius significatur animæ curatio, quã per species panis, quæ significant curationem corporis: Nõ tamen minus curatur per esum corporis dominici, totus homo, quàm per potũ calicis: quod in adiunctis verbis B. Ambrosij declaratur. Cùm enim totus homo non secus sit, per Christi corpus in ara crucis oblatũ, à peccatis liberatus, quam per sanguinem fusum: aut non minus liberatus esset, si Christus aliud mortis genus, quàm per effusionem sui sanguinis, elegisset: voluit tamen sanguinem fundi ad pleniorem significationẽ, quod non solùm corpora nostra, sed etiam animæ per passionem curentur.

DECIMA SEXTA.

D. Cyprian. li. 1. epist. 2. *Nam quomodo docemus, aut prouocamus eos in confessione, nomine Christi sanguinem*

nem ſuum fundere, ſi eis militaturis, Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos primùm in Eccleſia ad bibendum poculum Domini iure communicationis admittimus?

SOLVTIO.

B. Cyprianus reddit rationem B. Cornelio Pontifici Romano cur lapſos in perſecutione ad Idolorũ ſacrificia, prius data venia, ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communionem, inſtante noua perſecutione admittat, quàm plenã pœnitentiam de priori lapſu egiſſent: nempe, *vt munimento Dominicæ ſaturitatis*, inquit, *armentur, qui tuti eſſe contra aduerſariũ volunt: Cũ ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela*; hoc eſt, vt tanto Sacramento vires cõparent ad certamẽ. Non agit autem tam de ſpeciebus, quàm de *re ipſa* Euchariſtiæ, quæ per præſentiam corporis & ſanguinis dominici ſub vtralibet ſpecie confirmat hominem. Quia tamen ſuo tempore populus vtramque ſpeciem ſumebat, alludens ad eam conſuetudinem, facit mentionem poculi, quod per illud clarius effuſio ſanguinis ſignificetur. Potuiſſet namq; pari ratione dicere. Quomodo prouocamus eos corpora ſua, pro Chriſti confeſſione in mortẽ tradere, ſi eis militaturis corpus chriſti negamus? Sed maluit ſanguinem nominare: quia eius effuſio cum chriſti ſanguine fuſo expreſſiorem habet ſignificationem. Cæterũ, q̃ ait, *iure communicationis*, nihil aliud indicare voluit, quàm chriſtianis, qui nunquam ab Eccleſia receſſe-

rant,

rant, etiamsi lapsi essent, sacram Eucharistiam meritò negari non posse: præsertim in tali necessitate: qualis erat tempore persecutionis: facit autem mentionem poculi, propter consuetudinem sui temporis, vt dictum est.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

CAPVT XI.

DE hoc Sacramento sic habet Concilium Florentinum. *Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est: Cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est, Oris confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est, Satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per Orationem, Ieiunium, Eleemosynam. forma huius Sacramenti est. Ego te absoluo &c. Minister est Sacerdos habens authoritatem absoluendi vel ordinariam, vel ex cōmissione Superioris. Effectus est Absolutio à peccatis.* Eadem fusius per Concilium Tridētinum explicatur. Christus persoluto iam suo sangui- *Sess. 14.*

ne, pas-

ne, passione, & morte, peccatorum pretio, cõ-
Ioan. 20. positurus Ecclesiæ suę politiam, auspicatus est eam ipso Resurrectionis suæ die, ab ea parte quæ maximè necessaria est, nempe à Tribunali iudiciario, quo peccata fidelium vel plecterentur, vel tollerentur. Cùm enim non ignoraret hanc vitam sine peccatis non duci, modum & rationem instituit, quo sic ea hominibus remitterentur, vt ab illis in posterum, quãtum fert humana fragilitas sibi caverent. Noluit igitur passim omnibus nullo discrimine, & sine ipsorum labore obuiam esse remissionem peccatorum; sicut in Sacramento Baptismi ea facile tribuitur, sola fide, & aliquo do-
Marci 1. lore iuxta verbum Christi; *Pœnitemini & credite Euangelio*. Sed Iudices esse voluit, qui vice sua peccata cognoscerent, eaque vel absoluerent, vel retinerent. Hac in re vsus summa misericordia, iustitia atque prudentia. Summæ enim misericordiæ est, homini peccatori authoritatem conferre peccata omnia quæ in Deum committuntur, dimittendi; cum neminem facile inuenias, qui alteri licet amico, ne dum parũ fideli, potestatẽ faciat iniurias sibi illatas condonandi. Iustitia in eo cernitur, quod ad remissionem satisfactio aliqua, & pœnitentiæ opera exigantur. Prudentia vero, quod nulla melior excogitari possit ratio homines à peccatis deterrendi, quàm huius tribunalis, in quo peccator cogitur deposito fastu peccata sua homini aperire, increpationẽ audire,

audire, remedia accipere, malè parta restituere, honorem, aut famam proximi læsam reparare; emendationem polliceri, & pœnam pro delictis subire; quibus efficitur, vt non solùm homines peccata caueant; sed etiam respublicæ furtis, latrocinijs, alijsque impietatibus liberentur, atq; in pace conseruentur, lõge melius quàm vllis humanis legibus, & industria.

DE MINISTRO.

Vices porro suas in hoc tribunali commisit, non cuiuis promiscue; sed solis Apostolis, eorumq; successoribus, in quos sufflans dixit: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Perficiens nimirum, quod illis ante passionem permiserat. *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Nam illis verbis nouum tribunal erexit, & noui testamenti Sacramentum instituit, cuius minister est Sacerdos, forma verò sententia Sacerdotis quæ verbis absolutionis continetur. Sacerdotibus enim in sui consecrationem infunditur gratia Spiritus Sancti, qua diuina eis potestas cõmunicatur, Christianis omnibus in quos iurisdictionẽ exercent, vel ordinariam, vt Episcopi, vel delegatam, vt præsbyteri, peccata omnia non ostendendi, aut declarandi, vel denunciandi esse remissa, vt hæretici voluũt, sed reuera remittendi: non quo ad pœnas tantũ vt quidam saiũt, sed quo ad culpã. *Quẽadmodum* (ait B. Chrysosto-

Ioan. 20.

Matth. 18.

Lib. 3. de Sacerdotio.

mus)

mus) *potestas hac vna maior esse queat. Pater omnifariã filio dedit potestatem: Cæterum video ipsam eandẽ omnifariam potestatẽ à Deo filio Sacerdotibus traditam. Nam quasi iam in cœlum translati, ac super humanam naturam positi, sic illi ad Principatum istum perducti sunt.* Item. *Nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* B. Ambrosius. *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* B. Hilarius. *O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas sit in cœlo; vt quæ in terris ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.* Hoc est iuxta B. Bernardum. *Sententia Petri præcedit sententiam cœli.* Plura id genus habes in Patriano, *a* Augustino, *b* Leone Papa, *c* Cyrillo, *d* Innocentio Papa, *e* Hieronymo *f* &c.

Libr. 2. de Pœnitentia cap. 2. Canone 16. in Matth.

Serm. 1. in festo Apost. Petri & Pauli.

a *Epist. 1. ad Simpronianum.* b *libr. 1. de adulteris coniug. cap. 28. libr. 2. cap. 6. lib. de natura boni cap. 48.* c *Epistol. 91. ad Theod. Foroiulien sem.* d *lib. 12. in Ioannem cap. 56.* e *Epist. 1. ad Decentium.* f *Epist. ad Heliodorum.*

DE TRIBVS PARTIBVS Pœnitentiæ.

CAEterùm vt Ecclesiasticus Iudex legitimè iudicium exerceat tria omnino à pœnitentia requiruntur: Cordis contritio, Oris confessio, Operis satisfactio: partim, vt qui corde, ore, & opere peccauit, iisdem partibus peccata expiet: partim vt scias verum esse tribunal, in quo nisi de notis, & confessis peccatis sententia non fertur, eaque non nisi his, qui

qui syncerè de commissis dolent, condonãtur, qui etiam à iusto iudicio pœna aliqua multãtur, vt peccati malitiam experiãtur, & detestẽtur. Hæ vocãtur tres Pœnitentiæ partes, quib⁹ Sacramentum hoc perficitur, vt peccator pristinæ restituatur integritati, subeuntq; locum materiæ, ad quam vbi accessit forma, nimirum sacerdotalis Absolutionis verba; fit Sacramentum suis partibus constans: hoc est, Visibile, seu sensu perceptibile signum, inuisibilem cõferens gratiam, qua homini peccata remittuntur, tantaq; beneficia conferuntur, vt ex hoste fit filius Dei, liberatus peccatis, Hæres æternæ vitę, cui cœlum pateat, & infernus occludatur.

DE CONTRITIONE.

NOTA est B. Augustini sententia. *Omnis qui iam voluntatis suæ factus est arbiter, cum accedit ad Sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, non potest nouam inchoare.* Proinde tam his qui ad Baptismũ accedũt dicitur, à B. Petro. *Pœnitentiam agite & Baptizetur vnusquisq; vestrum*, quam illi qui post Baptismum peccauit, dictum est ab eodem. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua* nam tametsi vtroq; loco sit græcè Μετανοεῖτε, quod sonat, resipiscere; significatur tamen etiam dolor de præteritis malis; sine quo nulla est vera resipiscentia: Sicut latina vox Pœnitentia etiam includit resipiscentiam, hoc est, vitæ

L. de pœnitẽtiæ medicina c. 2. & homilia 27. & 50 c. 3. inter. 50. Act. 2.

Act. 8.

melioris propositum; licet ad peccata commissa referri videatur. Non enim vere resipiscit, quem non pœnitet commissorum: quemadmodum non ducitur vera pœnitentia, qui non statuit mutare vitam.

Hæc Pœnitentia ad peccatorum condonationem, omni sæculo & lege necessaria fuit: de qua sic Dominus in veteri lege. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et Dauid: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Et *Vide humilitatem meam, & laborem, & dimitte vniuersa delicta mea.* Item Rex Ezechias. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* B. Petrus commisso peccato in domo Cayphæ egressus amarè fleuit.

Ioe. 2.

Psalm. 37.
Psalm 24.
Isa. 38.
Matth. 26.
Mar. 14.

In lege euangelica sine omni dolore non dimittuntur adultis peccata. Minor tamen ad Baptismi Sacramentum necessarius est, quàm ad pœnitentiam: cùm illic gratis peccata donentur his qui primum in Ecclesiam admittuntur; hîc labore redimantur, vt ait Tertullianus, & tanquam secunda post naufragium tabula ad salutem apprehendatur.

Lib. de pœnitentia.

Dolor iste duplex est, perfectus, & imperfectus: illum vocant Contritionem; hunc Attritionem. Contritio est dolor de peccatis susceptus, cum spe obtinendæ veniæ, ob Deum summe dilectum, & proposito tum illa, tum alia vitandi. Hac contritione, si perfecta sit, &

cum

cum Dei charitate coniuncta, dubium non est, quin etiam ante Sacerdotis absolutionem, peccata condonentur, dum modo votum confitendi non desit: non enim in noua lege minoris efficacitatis est, quàm in lege veteri, in qua per eam sine Sacramento peccata remittebãtur: iuxta illud: *cùm auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit.* Et: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Hinc Christus de Magdalena ante Sacramenti huius institutionem. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ezec. 18. Psal. 50. Luc. 7.

Cæterum quia non omnium est ista perfecta contritio, & (vt ait B. Ambrosius) *facilius est inuenire qui innocentiam seruasset, quam qui vt decet pœnituisset.* Diuino beneficio in Ecclesia concessum est meritis Christi, vt vi Sacramenti, is etiam obtineat peccatorum veniam, qui Sacramenti fit particeps sola attritione, hoc est, dolore & peccatorum detestatione, quæ sine charitate Dei, sed vel ex metu gehennæ, vel ex peccati fœditate, aut ex imperfecto Dei amore suscipitur. Hic enim simul atque peccata sua sacerdoti confessus absolutionis sententiã accepit, diuinorum illorum verborum virtute, repente mutatus; perfunditur Dei gratia & charitate, fitq; (vt aiunt) ex attrito contritus, & depulso informi dolore attritionis, succedit contritio. Lib. 2. de pœnitentia. c. 10

Tametsi porro vera cõtritio, etiã ante Sacramẽtũ (vt dictũ est) ex voto Sacramẽti peccata con-

donet; tamē si sua culpa pœnitens Sacramentū negligat; haud dubiè eorum peccatorum reus tenebitur, quæ intuitu Sacramenti voto suscepti dimissa fuerāt. Proinde rectè B. Augustinus. *Quantumcunq; Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis portat; nec illi dimittetur, nisi venerit ad Baptismum. Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis* (id est, pœnitentiæ) *est causa.* ait idem alibi. Quia solo Sacramento reipsa susceptо, peccata perfectè tolluntur.

Tractatu 13. in Ioannem.

L. 1. de adulterinis coniugijs c. 28.

Hic dolor in peccatore varijs ex causis consueuit excitari, quarum frequentior est metus gehennę. *Rarissime enim accidit,* (ait B. Augustinus) *immò vero nunquam, vt quisquā veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo DEI timore perculsus. Si enim nullus est timor, non est qua charitas intret: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum. Sic timor primo occupat mentem: Non autem ibi remanet timor: quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem.* Hinc est quod Scriptura frequenter peccatoribus supplicia minetur; vt illorum metu peccata deserant. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius. Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis. Iam securis ad radicem arboris posita est. Timete eum qui postquam occiderit CORPVS, habet potestatem mittere in gehennam.* Huc pertinet historia diuitis epulo-

Ca. 5. de Catechizandis rudibus.

Tractatu 9. in epist. Ioan.

Psalm. 7.
Eccl. 5.
Lucæ. 3.
Matth. 3.
Matt. 10.

epulonis in terrorem auarorum Phariſæorum à CHRISTO recitata. Similis metus perculit Niniuitas ad pœnitentiam. Beatus Chryſoſtomus ſcripſit magnæ eſſe miſericordiæ diuinæ gehennam non ſolùm minari; ſed quibuſdam etiam inferni, vt cæteri metu peccare deſiſtant, ſi charitate nolint. Hic metus porro, ſi ſolùm cohibeat actum peccandi, non autem tollat peccandi affectum, vt in pleriſque furibus qui timore laquei ceſſant à furtis, nõ depoſita voluntate furandi, ſeruilis eſt, coniunctus cum peccato, qui tamẽ vtilis eſt; ad voluntatem in virtutem inflectendam, ſi aliquan diu peccandi conſuetudinem impediuit. Deponere voluntatem peccandi ſolo gehennæ metu, eſt etiam ſeruile, ſed virtuti vicinius, vt pote cui charitas & gratia per Sacramentum infunditur.

Luc. 16.

Ionæ. 3.

Vtilitatem huius timoris commendant veteres omnes, non vt in eo ſiſtamus; ſed vt per eum ad charitatem introducamur: quæ cùm in nobis perfecta fuerit, pellet timorem. Plura de his *a* Ambroſius, *b* Hieronymus, *c* Gregorius &c. Quamobrem grauiter errant hæretici, qui ſuis perſuadent Cõtritionem quæ ex inferni metu initium ſumpſit maiorem efficere peccatorem. In quos ita decreuit Concilium Tridentinum. *Si quis dixerit eam Cõtritionem, quæ paratur per diſcuſsionem, collectionem & deteſtationẽ peccatorũ, qua quis recogitat*

1. Ioan. 4.

a Serm. 15. in Pſal. 118.

b In Iſa. 13. & 25.

c L. 6. epiſtola 23. ad Theodiſtum, & Andræã. Seſſ. 14.

annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demùm illam esse dolorem coactum, & liberum, ac voluntarium Anathema sit.

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

Qui solo timore pœnarum dolet, retinet voluntatem peccandi: Atqui hoc est peccatum, ergo eiusmodi dolor inutilis est, immo noxius. Maior probatur, quia sublatis minis pœnarum fatebitur sibi non displicere peccatum.

SOLVTIO.

Neganda est propositio cum sua probatione: dolens enim de peccato metu gehennæ deponit voluntatem peccandi, ad quam deponendam inductus fuit hoc metu: magnum est autem discrimen, inter induci propter metum, & agere propter metum. Siquidem peccator metu inducitur, vt ex animo peccata deponat, Deiq; mandata perficiat; nec sine hoc metu eo induceretur: Inductus autem

iam

iam non metu pœnæ Deo seruit, sed propter Deum. Sicut Sacerdos qui spe emolumenti inducitur, vt chorum cum cœteris adeat, Deumque precetur, adit emolumento inductus: sed Deum serio propter Deum colit, & vt adolescens, qui forma inductus ad puellam amandam, non propter formam, sed propter personam diligit.

SECVNDA.

Rom. 5. Cognitio peccati facit magis abundare peccatum: non igitur est de peccatis cogitandum, aut dolendum.

SOLVTIO.

Distinguitur antecedens: Nam cognitio peccati in homine carnali, suis voluntatibus dedito, causa est grauioris peccati: tum quia nitimur in vetitum; tum quia fœdæ cogitationes commouent voluntatem; tum quia agnoscens Domini voluntatem; & non faciens vapulabit multis: At in eo qui non voluptatem, sed fœditatem peccati intuetur, pœnasque gehennæ, tollit desiderium peccandi. Peccatum simile est locustis Apocalypsis facie muliebri, & cauda scorpionis: Si faciem cum homine carnali cernas, moueberis, si caudam cum pœnitente, terreberis. *Apoc. 9.*

TERTIA.

Iuxta prouerbium vulgo receptum: Opti-

ma pœnitentia est noua vita : Non ergo de anteactis peccatis est cogitandũ, aut dolẽdum; sed de vitæ mutatione: confirmatur hoc, voce græca Μετανοία, quæ sonat resipiscentiam.

SOLVTIO.

Vulgi prouerbium hoc sensu verum est, quod certum indicium veræ pœnitentiæ sit, si vitæ emendatio sequatur. *Hæc enim est vera pœnitentia* (inquit Ambrosius) *iam cessare à peccato; sic enim probat dolere se sibi, si de cætero desinat.* Si porro hodie lachrymis peccata defleas, & cras ad eadem redeas, similis eris cani reuertenti ad vomitum, & sui lotæ, ad volutabrum luti. Vocula Μετανοία seu resipiscentia, licet videatur respicere terminum ad quem, non excludit pœnitentiam, quæ sonat terminum à quo. Sicut, si de eo qui Colonia Romam discedit, dicas discessisse Romam simul intelligis abijsse Colonia.

In 2. Cor. 2.

2. Petr. 2.

DE CONFESSIONE.

SECVNDA pœnitentiæ pars est peccatorum confessio, quam hæretici contumelio sè auricularem appellant, Catholici secretam: Nam muti non verbis ad aurem, sed signis ad oculum peccata aperiunt. Hãc Christus in hoc suo Ecclesiastico tribunali voluit adhiberi, vt nôrit Sacerdos Iudex, quid de reo pœnitente, eiusq; peccatis decernere debeat; an absoluere, an re-

an retinere, an plectere, an parcere, quãtã mulctam iniungere, quibus monitis solari, & terrere, quæq; remedia admouere. Sic enim Christus Sacerdotem instituit, huius tribunalis iudicem, vt simul esset medicus, qui non solùm punire, & remittere: sed etiam curare peccata nosset. Itaque duplici nomine voluit ei peccata aperiri, tum vt iudici qui sententiam ferret, tum vt medico qui vt vulneribus medicamenta adhiberet. sicut post Originem pulchrè exposuit S. Basilius. Nam etiam in Mosaica lege in huius rei typum, à lepra mundati se nudos sistere debebãt Sacerdotibus, vt singulis membris accuratè inspectis hominem vel absoluerent suspicione lepræ vel contaminarent. Hinc Christus conferens in Apostolos hanc iudiciariam potestatem, non sic locutus est. Ite & peccata remittite omnibus, quo loquẽdi modo vsus fuerat in præcepto dandi Baptismi. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* sed, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.* nempe vt auditis peccatis magno ea iudicio vel remitterent, vel retinerent. Quocirca ex hac diuina institutione semper in Ecclesia obseruatum est, vt Christiani pœnitentes peccata sua Sacerdoti aperirent. Sic in Actis Apostolicis. *Multi credentium* (πεπιστευκότων qui ante crediderant) *veniebant confitentes* (ἐξομολογούμε-

Hom. 2. in Psalm. 37. q. 229. compendio expli. Leuit. 13.

Matth. 28. Ioan. 20.

Act. 19.

vos, id est, aperientes) & *annuntiantes actus suos*, Non enim generatim fatebãtur se peccatores, neq; soli Deo confitebantur; sed actus suos, & peccata aperiebant, & enumerabant; qua eorum confessione effectum est, vt libri magicarum artium igni traderentur, quorum pretium ad 50. millia denariorum, hoc est, iuxta Budæum ad quinq; millia aureorum Coronatorum ascendebat. B. Iacobus Apostolus loquens de Presbyteris, ad infirmum sacro oleo vnguendum vocandis, addit, *confitemini* (ἐξομολογεῖσθε aperite) *alterutrum peccata vestra*. Hoc est, non soli Deo aperite, sed etiam conciui vestro & huiusmodi, non cuiuis, sed Sacerdoti, quem ad sacram vnctionem infirmo dandam aduocastis. Ita Origenes, Chrysostomus, & Augustinus hunc Apostoli locum exponunt. B. Clemens Romanus insigni & prolixa illa epistola, cuius non solum Gratianus, & Iuo in Decretis; sed etiam I. Concilium Vasense circa annum Domini 442. reuerenter mentionẽ facit, B. Petrum Apostolum sic locutum refert. *Quod si fortè alicuius cor vel liuor vel infidelitas, vel aliquod malum ex ijs quæ superius memorauimus, latenter irrepserit: non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præest: vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salutare curetur, quo possit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.* Beatus Dionysius Areopagita grauiter increpat Demophilum monachum, quod calce detrusisset peccatorem, qui se

Iacob. 5.

Hom. 2. in Leuit.

Lib. 3. de Sacerdotio.

Serm. 66. de tempore.

Cap. 6.

Epistola 6.

se ad Sacerdotis genua submiserat, & abiecerat peccata sua confessurus, eorumque medicinam accepturus: quodque Sacerdotem eiecisset, miserum illum appellans qui pœnitentem atque facinorosum efficeret iustum. Constat ex Minutio felice Christiano Iurisperito, qui anno Domini 211. floruit, gentiles hoc nomine risisse Christianos, quod Antistitis, ac Sacerdotis colerent genitalia, & quasi parentis sui adorarent naturam. Nimirum quia (vt ex D. Dionysio audiuimus) confitentes peccata sua, ad genua se Sacerdotis pro more abijcere solent. Beatus Irenæus testatur Rhodanenses fœminas ex hæresi conuersas exomologesim feciisse, vt Cerdonem Heresiarcham simulata conuersione sæpius eam repetiuisse. Est autem *exomologesis* (ait Tertullianus) *petitio veniæ eius qui delictum confitetur*. Commendat porrò idem Tertullianus multis hanc exomologesim, per quam dicit extingui gehennam, nec vllius verecundię prætextu prætermittendam esse. Beatus Cyprianus de eadem sæpius in epistolis loquitur: sed in sermone 5. de lapsis fatetur pios viros etiam quæ sola cogitatione commiserãt apud Sacerdotem dolenter, & simpliciter *confiteri solitos, & per exomologesim conscientiæ, pondus animi sui exponere, salutaremque medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirere.* Demùm sic monet: *confiteantur singuli quæso fratres delictum suum, dum adhuc, qui deliquit in sæculo est,*

In Dialogo dicto Octauius.

Lib. 1. ca. 9.

Lib. 3 ca. 4.

Lib. de oratione. c. 6.

Lib. 1. epi 3. lib. 3. epi. 14. 15. 16. 17. 18

dum

dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est.

Lib. 6. hist. cap. 27. Eusebius Cæsariensis testis est Philippum Imperatorem Christianum ab Episcopo nō prius permissum cum cæteris fidelibus *Ecclesiam intrare, quàm se cōfessus fuisset, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur astricti, locumq; pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant se, sua sponte collocauisset.* Accidit hoc sub annum Domini 249. cum Romæ sederet S. Fabianus Pontifex Martyr.

Origenes frequens est in inculcando, vt non Deo soli, sed etiam Sacerdoti peccata aperiamus; tunc enim ait dicturum Dominum. *Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas.* Item. *Est adhuc septima licet dura & laboriosa per pœnitentiam, remissio peccatorum; cum lauat peccator in lachrymis stratum suum, & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* Item. *Laicus ipse suum peccatum auferre non potest, sed requirit Leuitam, indiget Sacerdote.* Item. *Sicut hi qui intus habent inclusam indigestam escam, aut humoris, vel flegmatis stomacho grauiter & molestè imminentia; si vomuerint, releuantur: Ita etiam hi qui peccauerunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum; intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à flegmate, vel humore peccati. Si autem ipse accusator sui fiat: dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, &c.* B. Basilius ait: *occulta corde diffuse expl. dis denudanda esse his, qui fide & authoritate præditi*

Hom. 17. in Lucam. Hom. 2. in Leuiticum.

Hom. 10. in Num. Hom. 2. in Psal. 37.

q. 26. & 46.

sunt

sunt fratribus. Item. *Necessarium esse confiteri peccata his, quibus administratio mysteriorum Dei concredita est.* B. Chrysostomus sic ait: *Tempus quidem confessionis æque & lotis baptismate, & illotis profanisq; incumbit. Illis quidē vt post patentia criminum vulnera, pœnitētia interueniente curētur, & ad sacra mysteria redire mereantur: His vero vt ablutis in baptismo maculis ad dominicam mensam munda iam conscientia accedant.* Clarè distinguit confessionem Christianorum, ab ea quæ ante Baptismum fieri solet: quod per illā vulnera detegenda sint, & peccata Sacerdoti aperienda. *per patentia*, inquit, *criminum vulnera*: in hac autem non sit necessaria enumeratio peccatorum. Idem confert tribunal Sacerdotis cum tribunali Regis: quod hic maculas corporum remittat, ille animarum; iste terrena, ille cœlestia iudicet, cui etiam Rex ipse caput submittere debeat. Constat sanè in Regio tribunali crimina cognosci: cognoscenda igitur etiam erunt in tribunali Sacerdotis. Idem. *Grandis dæmon peccatum est. qui occultat peccata sua hominibus, & pœnitere non vult securus delinquit, & odibilis est.* Patianus similiter monet exomologesim Sacerdotibus faciēdam. B. Hieron. verò sic ait: *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eū peccati veneno infecerit, Si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, neque vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, Magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit: Si enim erubescit ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* B. Ambrosius duobus libris aduersus Nouatianos nostri temporis hæreticorum

q. 288. Compendio expl. & in regula monachorū. c. 21. & 98.

Hom. 10. in Matth.

Hom. 4. & 5. vidi Dominum.

Hom. 16. variorum locorum in Mat.

Epist. ad Simpronianum.

In cap. 10. Eccle.

rũ progenitores, elegãter antiquã Ecclesiæ de Sacram. pœni. fidẽ & doctrinã propugnat: dũ desertè affirmat, atq; ex scripturis demõstrat penes Sacerdotes authoritatẽ esse peccata dimittẽdi, eisq; peccata à pœnitentib. vt remittãtur a piri oportere. Inter alia sic habet. *Dominꝰ parius & ligãdi esse voluit & soluẽdi, quiutrũq; pari cõditione permisit. ergo qui soluẽdi ius nõ habet, nec ligãdi habet. Ius hoc solis permissũ est Sacerdotibꝰ. Vult Dominus plurimũ posse discipulos suos: Vult à seruis suis ea fieri in noĩe suo, q̃ faciebat ipse in terris positus. Si vis iustificari, fatere delictũ tuum: soluit enim criminũ nexus verecũda cõfessio peccatorũ. Non vult Deus vt insultet tibi diabolus & celantẽ peccata tua arguat: prævenі accusatorẽ tuum: si te ipse accusaueris, accusatorẽ nullũ timebis: si te detuleris ipse, et si mortuus fueris, reuiuisces. exi foras, delictum tuũ prod, vt iustificeris. Ore fit cõfessio ad saluẽ: Si confessus fueris à Christo vocatus, claustra rũpentur, & oĩa soluentur vincula. Ostende medico vulnus tuũ, vt sanari possis, etsi non mõstraueris nouit; sed à te audire expectat vocẽ tuam. Non solũ post pœnitentiam ab ista (peccatis) intus homo obseruare se debet; sed & ante pœnitentiam dum sanus est: quia nescit, si ipsam pœnitentiam possit accipere, & confiteri Deo & Sacerdoti peccata sua.* Idem fatetur se auditis suorũ peccatis, lugere, cõpati & flere consueuisse, cuius cõsuetudinis meminit Paulinus eius Presbyter his verbis. *Quotiescunq; illi aliquis ad percipiẽdã pœnitentiã, lapsus suos confessus esset; ita flebat, vt & illũ flere cõpelleret: videbatur etiã sibi cum iacẽte iacere. Causas aũt criminũ quas illi cõfitebãtur, nulli nisi Domino soli, apud quẽ intercedebat, loquebatur.* B. Aug. de eadẽ peccatorũ confessione Sacerdoti faciẽda sic loquitur. *Nemo sibi dicat: Occultè ago pœnitẽtiã, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoscet, quia in corde ago. Ergo sine causa dictũ est: Quæ solueritis in terra, soluta erũt in cœlo? Ergo sine causa datæ sunt claues in Ecclesia Dei? Frustramꝰ euãgeliũ Dei? Fruſtramus verba Christi? vt promittimus vobis, quod ille negat?* Itẽ. *Antequã confiteretur pec-*

Lib. 1. de pœnit. ca. 2.

Cap. 7.

Lib. 2. ca. 6

Cap. 7.

Exhortatione ad pœnitentiam.

Lib. 2. de pœnit. cap. 8.

In vita S. Ambrosij.

Hom. 49. inter 50.

Matth. 18.

tator, occultus erat: cū aūt cōfitetur, procedit de tenebris ad lucē: & cū confessus fuerit, quid dicetur ministris? quod dictū est ad funus Lazari: Soluite illū, & sinite abire. Quod dictū est ministris Apostolis. Quæ solueritis in terra soluta erūt & in cælo. Ite. In cōfessione sui accusatio, Dei laudatio est. Dicit ergo aliquis. Quid prodest Ecclesia, si iā confessus Dominica voce resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia cōfitenti, cui Dominus ait. Quæ solueritis in terra, soluta erūt & in cælo? Ipsum Lazarū attende. Cū vinculis prodit, iam viuebat confitēdo, sed nondū liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, cui dictū est q̄ solueritis, soluta erūt; nisi quod ait Dominus cōtinuo ad discipulos: soluite illū, & sinite abire? B. Prosp. Quorū (ait) peccata humanā notitiā latēt, nec ab ipsis cōfessa, nec ab alijs publicata. si ea cōfiteri, aut emēdare noluerint, Deū quem habent testē, ipsum habituri sunt & vltorē. Author operis imperfecti in Matth. quod B. Chrys. falso ascribitur, monet ne ob metū pudoris, à peccatorū cōfessione cessem⁹; quia Deus (inquit) nos ideo iubet confiteri peccata nostra, vt verecundiā patiamur pro pœna. Pluribus de his agit B. Bern. quatuor impedimēta exponēs, q̄ peccatorē à confessione deterrēt. 1. Verecundiā. 2. timorē pœnæ à Sacerdote iniugēdæ. 3. spē temporalis cōmodi si peccata ignoretur. 4. desperationē melioris vitæ. Sed his apponit cōsiderāda. 1. pudorē iudicij extremi, quādo vniuerso orbi peccata patebūt. 2. pœnā inferni. 3. bona sæculi futuri. 4. gratiā & auxiliū diuinū, q̄ Deus cōfitentib. pollicetur, & præbet. Sūt q̄ metuāt p̄ Sacerdotes detegēda peccata. At quia silentiū eis est diuino iure impositum, gratuis etiā pœna p̄ Canones trāsgressoribus infligitur nimirū vt non solū officio sacerdotali priuentur: sed etiā ad agendā p̄petuā pœnitentiā in arctū monasteriū detrudātur. Monenturq; seriò Sacerdotes à multis Cocilijs, Carthaginensi, a VVormatiēsi, b Trullano c, &c. & instruuntur ne in Sacramento tanti

Tractatu 2. & 49. in Ioan.

Ioan. 11.

Serm. 8. de verbis dom.

Lib. 2. de vita contemplatiua c. 7.

Hom. 3.

In meditationibus.

De pœn. dist. 6. c. Sacerdos. & in Concil. Latera c. 21. a 2. c. 32. 34. 3. c. 31. 4. c. 76. b cap. 7. c cap. 102.

tanti momenti minus recte, aut discretè aliquid agant. Ideoque non passim omnibus Sacerdotibus audiendi fidelium confessiones vel hoc tempore, vel in veteri Ecclesia munus commissum fuit; sed viris probis, & (vt ait Zozomenus) seruantibus secreti, quos pœnitentiarios appellabant, qui nossent peccatorum discrimina, & vulneribus medicinam temperare. B. Celestinus Papa abhinc 1200. annis pœnitentiam statuit Episcopis 15. annorum, presbyteris 12. si cum mulieribus quæ eis peccata sua confessæ essent, peccarent. His igitur satis demonstratum est peccatorum enumerationem, non humanis decretis, vt mentiuntur hæretici, sed diuina lege præceptam, ab Apostolis traditam, perque vniuersum orbem à Christianis omnibus obseruatam. Hoc idem persuadere potest, primo quidem istius rei difficultas, quæ nisi Dei mandato sancita esset, nullo pacto ab omnibus tam Regibus, quàm priuatis vbique terrarum admitteretur. Quid enim grauius non dico, Regi, Principi, vel Magnati, sed plebeio, & pauperi, quàm coram Sacerdote peccata omnia sua fateri, eius audire admonitionem, ferre increpationem, & susciperè pœnam? Superbia nobis innata nihil horum admitteret; si non Deus ipse legem tulisset. Deinde vero idem persuadet antiqua traditio, cuius initium post Apostolorum tempora nemo nouit. Si ab homine profecta esset res tam ardua, vtiq; neque

Lib. 7. c. 16.

30. quæst. 1. si quis.

author

author ignoraretur, neq; locus neque tempus, quæ in rebus minoris momenti ab historicis non tacentur. Quocirca Sacra Synodus Tridentina eos omnes anathemate ferit, qui peccatorum confessionem negant vel necessariam, vel à Christo institutam & mandatam, vel homini possibilem. *Sess. 14. can. 6. 7. 8.*

OBIECTIONES.

PRIMA.

Christus impossibile nihil iniunxit: at confessio peccatorum, & enumeratio est impossibilis iuxta Psalm. 18. *Delicta quis intelligit.* & Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Non igitur diuina lege præcepta.

SOLVTIO.

Neganda assumptio, tametsi enim impossibilis enumeratio omnium delictorum, sine quibus non viuitur; non est tamen impossibilis enumeratio criminum, hoc est, peccatorũ mortalium quantum confessioni sufficit: partim quia illa non difficulter vitantur; partim quia sola illa in confessione dicenda sunt, quæ post diligentem conscientię discussionem memoriæ occurrunt: quorum autem non meminimus, ea Christus absterget gratia sua, qua per absolutionis verba animam lauat.

SECVNDA.

Non minoris efficacitatis est Contritio in

noua lege, atq; fuit in veteri. At tunc per eam sine confessione remittebantur peccata, ergo etiam in noua. Consequentia probatur, quia iniquior esset conditio Ecclesiæ, cui hoc graue onus peccata aperiendi impositum est, quàm Synagogæ quæ hoc onere caruit.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio. Nec propterea iniquior est Ecclesiæ conditio, quàm Synagogæ: sed æquior multo, leuiorq; & melior. Siquidem fœlicitas Christianorum non in externis commodis sita est, aut in ijs quæ carni facilia sunt; sed in copia gratiæ diuinæ, quæ facilitatem adfert diuinis præceptis. Si enim corporis commoda voluptatesque spectes, plura in Synagoga inuenies; vbi nec Sacerdotibus vsus vxorum interdictus fuit, nec paupertas religiosis mãdata, neq; ieiunium quadragesimale indictum, neq; alia multa perfectionis officia carnali Iudæorum genti proposita: nullum erat votum castitatis, nemo se castrabat propter regnum Dei, nulli dictum erat: Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Christus perfecit legem, non fouit carnem, spiritum erexit, carnem depressit. Quod igitur ad peccatorum remissionem attinet; melior est conditio Ecclesiæ quàm Synagogæ. primò quod Iudæis per solam contritionem condonarentur peccata sine Sacramento: nobis per Sacramentum cum attri-

attritione. Illis ergo erat peccatorum remissio tum difficilior, tum incertior. Difficilior quidem, quia paucorum est vera contritio: incertior verò, quia in nobis verba Sacramenti operantur, & moralem certitudinem adferunt. Deindè quod Deus ad confessionis molestiam leuandam adest pœnitentibus sua gratia, per quam experitur peccator se pondere peccatorum exonerari, percipit animi quietem, gaudiũ spiritus, conscientiæ pacem: Nam pœnitentiũ lachrymæ oẽs corporis delicias suauitate vincunt. Tertiò quod metus confessionis vim habeat retinendi audaciam peccatoris. Quartò quod verecundia confitentis non parum ad satisfactionem iuuet. Quintò quod Christiani per confessionem suis Sacerdotibus noti, facilius ad referendas animi passiones iuuentur.

TERTIA.

Socrates & Zozomenus scripserunt occasiõe hæresis Nouatianorum, ab Episcopis institutam esse confessionẽ; eamq; per Nectarium Episcopum Constantinopolitanum propter Diaconum cum vidua fornicantem Constantinopoli abrogatam, & paulò pòst per vniuersum Orientem sublatam, solùm Romæ & in Occidente retentam. Non est igitur diuina lege præcepta.

SOLVTIO.

Falsum est antecedẽs ex ignoratione Histo- *Lib. 5. ca. 19.*
riæ quæ breuiter ex Socrate, Zozomeno, & *Lib. 7. c. 16.*

Lib.12.c.28 Nicephoro sic se habet. Cum Nouatiani nouã hæresim commenti, negarent lapsos cultu idolorum, ab Ecclesia recipi posse ad pœnitentiam, Episcopi Catholici ne sua facilitate admissionis, ansam eis aliquam præberent calumniandi, noluerunt lapsos passim ab omnibus presbyteris, aut plurib⁹, vt antea in more fuerat, Ecclesiæ reconciliari, & à tãto crimine absolui. Delegerũt igitur in qualibet Ecclesia virum doctum, prudentem & seruantem secreti, quem pœnitentibus reconciliandis præfecerunt. Qui audita eorum secreta confessione; si quæ publica peccata dicta essent, ea iubebat à pœnitẽte publice recitari, secreta autem subticeri. Ad quid enim deligebatur seruans secreti, si omnia propalanda erant? Accidit sub Nectario vt mulier peccatum cum Diacono commissum post secretam confessionem, cum cæteris peccatis suis publice notis, imprudens coram populo fateretur non sine offensione omnium. Quo imprudenti facto motus Nectarius amouit Presbyterum pœnitentiarũ, vel quia non satis cauisset mulieri, vel veritus ne quid in posterum simile eueniret: reuocauit igitur antiquũ morem alijs Sacerdotib. priuatim confitendi, sustulitq; duo. 1. Obligationẽ confitendi vni illi Presbytero pœnitẽtiali. 2 Cõfessionẽ publicã peccatorũ. In occidente retẽti sunt quidẽ presbyteri pœnitentiarij viri probi ac docti nõ data omnib. Sacerdotib. promiscuè reconciliãdi potestate, publica verò secretorũ peccato-

catorũ confessio in Campaniã, Samnium, & Picenũ prætextu laudabilis verecundiæ inuecta fuerat, quã B. Leo Papa his verbis sublatã voluit. *Illam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nunc per ignauiam à quibusdam illicita vsurpatione videmus committi, modis omnibus constituimus submouere (de pœnitentia videlicet quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus iudicari per confessionem secretã. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem erubescere apud homines non veretur, tamẽ quia non omniũ huiusmodi sunt peccata, vt ea quæ pœnitentiam poscunt non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo: sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, &c.* *Epist. 80.*

QVARTA.

B. Chrysostomus varijs locis hortatur fideles ad confitendum Deo & non hominibus. *Dicito* (inquit) *quotidie peccata tua in anima tua: non dico vt confitearis conseruo tuo qui exprobret. Dicito Deo qui curat ea.* Item. *Necessarium non est præsentibus testibus confiteri; cogitatione fiat delictorum exquisitio: absq; teste sit hoc iudicium, solus te Deus confitentem videat.* *Hom. 2. in Psal. 50.* *Serm. de pœnit. & confess.*

SOLVTIO.

B. Chrysostomus nusquam negat Sacerdoti aperienda peccata, vt potestate sibi à Christo commissa illa condonet. Hoc enim sæpius inculcat, Deiq; misericordia in hac authoritate Sacerdotibus data miratur. Duo porrò frequenter ad populum repetit. Alterum est con-

scientiæ frequens examen, quam vult discuti non semel per hebdomadam, sed quotidie præsertim vesperi; tum ad dolorem excitandum, Deique misericordiam implorandam; tum ad vitia in quæ facilius labimur deponenda: nihil enim ad hoc tantopere iuuat, quàm lapsuum illius diei, à se quotidie rationem poscere, salutariq; aliqua pœna mulctare. Huc pertinent verba illa. *Cogitatione fiat delictorum exquisitio. Singulis hebdomadis, imò singulis diebus nosipsos consideremus, & negligentiam ab animabus nostris expellamus. Cùm te videris hoc malo iurandi captum, hanc tibi damnationem impone vt impransus cubes. Quæ in die fecimus in nocte meditati gemamus.* Alterum nō esse publicè in posterū recitanda peccata, vt ante Nectarij Episcopi constitutionē fieri cōsueuerat; illamq; confusionem iam esse sublatā, quæ (vt ait B. Leo) nō paucos à cōfessionis vsu retardabat, qui metuebāt conciuiū irrisionē, impiorū exprobrationē, inimicorum delationem, & legū ciuilium pœnas. Hinc toties B. Chrysost. *Non te in theatrū conseruorum tuorū traho, non hominibus peccata tua detegere cogo. Cane homini dixeris, ne tibi exprobret; mihi soli dic peccatū priuatim.* His similibusque inuitat ciues ad cōfessionis vsum; quippe qui nō hominibus, sed soli Deo p̄ Sacerdotem peccata aperirēt, quē Sacerdotē oportet diuino iure tam tenacē esse secreti, vt non modo nulli quicq̄ in cōfessione auditorū reuelare debeat; sed libere affirmare nihil sibi in cōfessione dictū, nihilq; se in cōfessione audisse, qui non vt homos

Hom. 15. in Genesim. *Hom. 5. ad pop.* *Ho. 22. 41. 71. Ibid.* *Epist. 80.* *Ho. 5. de incomprehensibili Dei natura.* *Hom. 4. de Lazaro.*

homo; sed vt Deus, seu loco Dei confessionem excipit.

QVINTA.

Christus nullius confessionem audiuit; sed sine confessione peccata dimisit paralytico, Magdalenę, Latroni in cruce, & alijs. ergo non est etiam hoc tempore ad peccatorum remissionem necessaria confessio. *Matth. 9. Luc. 7. Luc. 23.*

SOLVTIO.

Negatur cōsequutio. tum quia Christo cum hominib. agente, necdum erat instituta cōfessio; tū quia Christo qui intima cordis arcana intuebatur, confessione nō erat opus: tum quia erat author gratiæ, & Sacramentorum, nullis Sacramentis alligatus, vt nostri Sacerdotes; sed qui suo arbitratu etiam sine Sacramentis peccata condonare, & gratiam conferre poterat.

DE SATISFACTIONE.

Tertia pœnitentiæ pars est satisfactio, qua DEO peccatis nostris offenso, honorem inique sublatum, actionibus pœnitentiæ compēsamus: Vt hoc enim Sacramento peccator in pristinum statum restituatur, non satis est dolorem afferre, & peccata Sacerdoti aperire, ab eoque verbis absolutionis remissionem consequi; sed necessarium est fructus facere dignos pœnitentiæ. *Ad emendanda enim crimina* (inquit Beatus Augustinus) *vox pœnitentis sola non sufficit: Nam in satisfactione ingentium peccatorum, non verba tantùm, sed opera quærumtur.* *Ser. 57. de temp.*

Hom. 50. ex quinquaginta. Non sufficit pœnitenti mores in melius commutare, & a malis factis recedere; nisi & de ijs quæ malefacta sunt, satisfiat Domino, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Nullus siquidem pœnæ debitæ grauioris accipiet veniam; nisi qualemcunque etsi minor est quàm debeat, soluerit pœnam. In quantã pœnæ vestræ (ait B. Patianus) nõ peperceritis, in tantũ vobis Deus parcet. Et Tertullianus. *In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus parcet.* Exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est: Sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, plerunque ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuũ, Presbyteris aduolui, & aris Dei adgenticulari, omnib. fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis vt pœnitentiam cõmendet; vt de periculi timore Deum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna supplicia non dico frustretur, sed expungat. Hoc pretio Dominus veniam adducere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.

Pareneſi ad pœnitẽtiam, lib. de pœnitentia.

Cap. 8. B. Ambrosius virginem lapsam in vitia carnis his verbis ad pœnitentiam hortatur. *Propria tu ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius intermittenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, at membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt, defluant oculi lachrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt, palleſcat facies quæ quondam viruit impudice, denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorreſcat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liqueſcens,*

velut

velut cera, ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum, sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cum haberet dominationem, malo cesſit imperio. Et ne exiſtimes cum hæreticis noſtri ſeculi hæc ab Ambroſio dicta; nō vt Deo ſatisfiat, ſed Eccleſiæ quæ de vera reſipiſcentia certior fieri deberet, atque ad politiam ſeruandam exhortatoriè magis, quàm vere, concludit his verbis. *Talis vita, talis actio pœnitentiæ ſi fuerit perſeuerans; audebit ſperare, & ſi non gloriam, certe pœnæ vacuationem.* Non quod peractis his omnibus, non tandem ſaluabitur: ſed quia forte non ſtatim à morte in gloriam recipietur, retinenda ad tempus eo loco, de quo B. Gregorius, & Beda agunt, qui nihil pœnæ, quam dilationem diuinæ viſionis habet: in quem recipiuntur nondum plene à peccatis omnibus etiam leuibus purgati, quo ad pœna hac damni ſatis patiantur, vel fidelium ſuffragijs liberentur. His alijſq; multis, quibus veterum Patrum libri referti ſunt, non in concionibus ſolùm, ne hyperbolica putes; ſed in dogmaticis quoque contra hæreticos ſcriptis, in commētarijs ſcripturarū, in decretis, alijsq; tractationibus clare conſpicitur ſatisfactionis neceſsitas, & antiquus vſus poſt lapſum Chriſtianorum. Nā de ea extant à Sanctis Patribus varij Canones pœnitentiales, qui pœnitentiæ modum, tempuſque præſcribunt pro criminum grauitate, iuxta ſcripturam. *Pro menſura delicti erit & plagarum modus.* Deut. 25.

L. 4. dial. ca. 36.

Lib. 5. hiſt. Angl. ca. 13.

Cœterum vt hæc Catholica de ſatisfactione

doctrina rectius intelligatur. Notandum est, satisfactionem esse partem iustitiæ restitutioni similem. Nam vt hac redditur substantia aliena iniustè sublata : ita per illam reparatur iniuria. Duplex est porro iustitia, perfecta vna, quãdo paritas est restitutionis, & damni, vel quia inter æquales personas æquale redditur; vel quia plus minusue restituitur pro maiori & minori qualitate personæ offensæ. Imperfecta altera; si non sit exacta æqualitas sed parti offensæ, ex benigna acceptatione, sufficiens: sicut illi accidit, cui pars debiti à creditore condonatur, aut à quo leue supplicium pro graui culpa reposcitur. Inter creaturam & Creatorem nulla potest esse perfecta iustitia, multoq; minus inter peccatorem & Deum, tũm propter immensam Dei Maiestatem, & creaturæ exilitatem, finiti enim ad infinitum nulla est proportio · tum quia Deo, cuius omnia sunt, reddi nihil potest. Proinde iustitia omnis inter homines & Deum imperfecta est admodum, & potius nulla, nisi ex misericordia, & donatione eius, quâ fit, vt minor sit forma iustitiæ, quemadmodũ si R. ex nihil pter tali trũ à mendico repetat qui filiu regium multis vulneribus & tormentis interemisset. Quouis peccato mortali infertur Deo iniuria quæ nullius creaturæ viribus reparari potest, opus est satisfactione infinita DEO infinito: hanc nemo perficere potuit præter infinitum filium Dei, qui vt nos tanto debito liberaret, pretiũ infini-

infinitum passione morteque persoluit. Quod pretium infinitum vt peccatori prosit, duobus modis applicatur, nempe Sacramentis & bonis operibus. Cumq; septem sint Sacramenta, quibus Christi merita velut vasculis continetur, duo eorum sunt ad peccatorũ remissionem instituta: Baptismus quidẽ ipso in Ecclesiam ingressu omnia prorsus abluit peccata & pœnæ reatum. In Pœnitentiæ vero Sacramento plus operis est, vt superius vidimus; quia est Sacramentum plenum molestiæ, doloris, & difficultatis. Et quidem Christus poterat vtriq; Sacramento parem facilitatem adhibere, sed ad vtilitatem nostrã vt non decuit, ita noluit: rectè & piè misericordiã suam cum iustitia temperans; vt misericorditer sine suis meritis peccator confessus per absolutionem Sacerdotis, fiat ex inimico amicus Dei, ex hoste filius, ex reo gehennæ, hæres æternæ vitæ; claudaturq; ei infernus qui prius patebat, & aperiatur cœlum paulo ante occlusum. Hæcq; omnia gratis virtute Sacramẽti. Iuste autẽ exigitur temporalis pœna, vt qui dimissa culpa in gratiam cum DEO redijt, iniuriæ illatæ soluat mulctam, & aliqua pœna DEO satisfaciat. Hæc enim iustitia etiam inter homines seruatur, vt qui vel furto, vel conuitio iniuriam intulit, proximumque offendit; ei quidem reconcilietur, & in amicitiam denuo admittatur, maneat tamen restitutioni honoris: & furti obnoxius: præcipiturq; offenso condonare iniuriã, pmit-

titur

titur autem sua inique sublata repetere. Quoties peccamus duo eueniunt mala: dum 1. à diuina gratia & amicitia excidimus, & 2. dum quantum in nobis est, Deo honorem detrahimus. *Conculcantes filium Dei* (inquit Apostolus) *&* Heb. 10. *sanguinẽ testamenti pollutum ducentes, & spiritui gratiæ contumeliam facientes.* Prius malum meretur à diuino conspectu abijci eiusque visione priuari: alteri debetur pœna, ad reparationem honoris. Quia verbo Deus offensus est infinitæ Maiestatis, homo autem nihil habet infiniti, quod reddat, neque capax est pœnæ intensione infinitæ, sumenda est hæc infiniti restitutio ab infinita & æterna duratione, qua peccator semper diuino conspectu priuetur, & fine fine pœnas luat. Tria sunt igitur mala quæ peccando incurrimus: priuatio diuinæ visionis, grauissima pœna sensus, & vtriusque æternitas. Per Sacramentum tollitur postremum, redditurq; ius ad Deum suo tempore contuendum, sed pœna relinquitur pro peccatis soluenda. Huc pertinet satisfactio de qua nunc agimus, quã hæretici impugnant, quod velit à Deo semper vniuersam pœnam, cum culpa dimitti, nihilq; soluendum, aut satis faciendum ei restare, qui cum Deo in gratiam redijt, quod in Baptismo fieri diximus, cui ipsi pœnitentiam faciunt parem. Sed his aduersatur Scriptura, quæ diserte testatur ab amicis Dei pœnas repetitas peccatorum. Moyses propter peccatum ad aquam Num. 20. contradictionis prohibitus est ingressu in ter

ram

ram promissionis. Dauid ob commissum ad ulterium,& homicidium priuatus est infante, & filium Absolonem habuit perduellem, & eiectus regno incommoda multa tolerauit: Et ne existimes has pœnas inflictas, vt sibi in posterum caverent,non vt peccata expiarent. Deus ipse causam adiunxit. Mosi quidem. *Quia non credidistis mihi,vt sanctificaretis me coram filijs Israel,nō introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Dauidi vero. *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur.* His autem peccati culpam à Deo condonatam fuisse testatur scriptura, quæ Dauidi dixit. *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Et Moysem post hoc peccatum non parum vt Deo præ cæteris hominibus familiarē commendauit,atque in Psalmis de eodem, & Aaron ejusdē peccati reo sic dicitur. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adiunctiones eorū.* quem locū tractans B. Augustinus, fatetur Deū exercuisse in eorum peccatum vindictam, cuius tamen culpa dimissa fuerat.

Deut.32. *2 Reg.12.* *& 15.* *Num. 20.* *2.Reg. 12.* *Psal 98.* *L.2. de peccatorum meritis cap.16.*

Fit autem hæc satisfactio tribus modis. Primus est,cùm à Deo tēporalis pœna infligitur in hac vita peccatori,morbis,morte,amissiōe bonorum,aut charorum &c. quæ ad mala Dauidi proposita reuocari possunt,ad famem,bellum,& pestem. Nam quæ ab hominibus,aut dæmonibus inferuntur non aliter atque à Deo immissa suscipi debent, iuxta illud Prophetæ. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus nō fecerit.* Et Iob in quem

2.Reg.24. *Amos 3.*

in quem Sathan Chaldæos & Sabæos commouerat,& vi ventorum filios ruina domus oppresserat. *Dominus dedit; Dominus abstulit.* Has pœnas sic nonnunquam infligit Dominus, vtiustis de causis eas nolit pœnitentia quauis, aut precibus reuocare. Ita infantem ex adulterio Bethsabee natum mori voluit, nullis lachrimis, ieiunijs, aut obsecrationibus Dauidis flexus. Moyses Deo charissimus deprecabatur pœnam sibi ad aquas contradictionis irrogatam. Sed audiuit à Domino. *Nequaquam vltra loquaris de hac re ad me. Sic statutum est omnibus hominibus semel mori* etiam infantibus sine peccato. Et varij morbi comitantur naturaliter peccata, vt podagra ebrietatē, morbus regius fornicationem, infamia furtum, egestas prodigalitatem &c. Post hanc vitam manet peccatores tormentum purgatorij, quod tamen in hac vita pœnitentijs, & operibus satisfactorijs caueri potest. Secundus. Si ipsemet homo opera huiusmodi ex se suscipiat, sicut Niniuitæ, Dauid, & Achab cilicio indutus, de quo sic Dominus Heliæ. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* In eandem sententiam loquitur B. Paulus *Si nos metipsos dijudicaremus, nō vtiq; iudicaremur. Aut enim ipse homo* (inquit D. Gregorius) *inse* (peccatum) *Pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.* Tertius modus est, cùm à Sacerdote Confessario virtute clauium imponitur pœnitentia. Quia enim

Iob. 1.

2 Reg. 12.

Deut. 3. Heb. 9.

3. Reg. 21.

1. Cor. 11.

Lib. 9. moral. cap. 27.

clauium

clauium est, non solùm soluere, sed etiam ligare, datáq; est potestas retinendi peccata, & remittendi: ad officium Sacerdotis pertinet obligare pœnitentem ad pœnam, operaq; pœnitentiæ, & peccata quãtum ad pœnam attinet, retinere, quoad satisfactum fuerit. Hoc modo B. Apostolus inflixit fornicario grauem mulctam, *tradens eum Sathanæ*, hoc est torquendum à dæmonio, *in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret.* 1. Cor. 5. In hanc rem extant à Patribus, & varijs Conciliis Canones pœnitentiales: vt illis Presbyteri pœnitentiarij in dandis pœnitentijs dirigerentur: quorum nonnullis præscribunt septẽ annos, alijs pauciores, alijs dies quadraginta, pro delictorũ, & pœnarũ grauitate, ad exemplum Dei qui Dauidi proposuit eligendos vel septem annos famis, vel tres menses belli, vel tres dies pestis. Niniuitę 40. diebus peccata sua expiárunt: Et Catholici quotannis quadragenam, hoc est, 40. dies pro totius anni peccatis in pœnitẽtia transigunt. Et quidem olim in veteri Ecclesia quãdo sub sanctis Episcopis vigebat Ecclesiastica disciplina, nõ prius impendebatur absolutio Sacerdotalis, grauibus ac p̃sertim publicis peccatis (excepto mortis metu) q̃ iniuncta pœnitentia iam perfecta esset: quo maiori feruore, & animi dolore, exemplo fornicarij Corinthij, pœnas de seipsis sumerẽt, seq; venia dignos exhiberent. Posteriorib⁹ verò tẽporibus, vt feruor ille refrixit, ita remissa est seueritas: patiũturq; Ecclesię Prælules, vt ante satisfactionẽ pœnitẽs absoluatur. 2. Reg. 24.

Cœ-

Cœterum opera illa satisfactoria quæ vel sponte assumuntur, vel à Confessario imponũtur, ad hæc tria reuocari possunt quæ Christus Apostolis in monte commendauit; Orationẽ (inquã) Eleemosynam, & Ieiunium. De quib' Angelus Raphael Tobiæ. *Bona oratio cum ieiunio, & eleemosyna.* Oratiõne Manasses impius Rex Iudæ impetrauit veniam. De eleemosyna sic ait Dominus. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et Daniel Regi Nabuchodonosor. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* De ieiunio autem Ioel Propheta. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu.* Ad orationem referuntur quæcunque præstamus Deo, vt sunt Missæ sacrificium, Dei laudes, meditationes quibus in Dei amorẽ accendimur, confessio peccatorũ, dolor de peccatis, Sacra Communio, Sanctorum locorum visitatio, &c. Ad eleemosynam, quidquid boni proximis exhibemus, vt opera misericordiæ, seu corporalia, seu spiritualia. Ad ieiunium vero, quicquid corpori molestũ est, vt Cilicium, Vigiliæ, Chameuniæ .i. super pauimentũ dormitio, nuditas, labor manuum, flagellatio, &c. Hæc autem dimissa culpa vera & de condigno satisfaciunt pro pœna: non prorsus iuste sed sufficiẽter. Ad iustitiã enim duo pertinent, vnum, vt reddas de tuo: alterũ vt reddas æquale. Horum neutrum in nostra satisfactione cernitur. Nam 1. Dei sunt quæ Deo reddimus, ipse gratiam largitus est per

Matt. 6.
Tob. 12.
2. Para. 33.
Luc. 11.
Dani. 4.
Ioel. 2.

quam

quam opera placent. 2. grauior est Dei offensa, quã quæuis nostra satisfactio. Censetur tamẽ satisfactio condigna, quia ex Dei gratia & præsentia Spiritus sancti, per quem filij Dei nominamur & sumus, qui in nobis efficax est, & opera perficit, habet satisfactio dignitatem quandã, & meritum infinitum; & tametsi ex se non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, vel ad iniuriæ Deo irrogatæ compensationẽ: sufficiunt tamẽ ex acceptione Dei. Sicut enim debitor meus mille aureorum, reuera mihi satisfaceret, redditis 1000. aureis, quos ei in eleëmosynã donassem: Ita Deo satisfacimus donis suis: & sicut ab eo nihil amplius exigi potest, qui leuem mulctã soluit grauiori culpæ per leges impositam; Ita satisfit Deo, si pœnam illam subeamus, quam ipse peccatis constituit, licet ex se non condignam. Hac doctrina satisfactionis vsqueadeo referta sunt veterum scripta, vt id nec hæretici ipsi diffiteantur, in quo more Patrum (vt vocant) hallucinationes ad Dei verbum, hoc est ad suam hæresim collimari volunt. Ideoq; non immerito à Sancta Tridentina Synodo his verbis feriuntur. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa, remitti semper à Deo, satisfactionẽq; pœnitentium, non esse aliam quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfeciisse Anathema sit. Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, sed neque sponte sus-*

1. Ioan. 3.

Rom. 8.

Sessione 14. canone 12.

Canone 13.

ceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemosynis, vel alijs etiã pietatis operibus: atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum nouam vitam. Anathema sit. Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Iesum Christum peccata redimunt, non esse cultum Dei; sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes. Anathema sit. Si quis dixerit claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clauium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse quod virtute clauium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsoluenda remaneat. Anathema sit.

Canone 14.

Canone 15.

OBIECTIONES hæreticorum.

PRIMA.

Debito per quempiã soluto, nõ opus est alia solutione. Christus abũde pro peccatis totius mũdi satisfecit, nõ igitur opus est nostra satisfactione.

SOLVTIO.

Ad maiorem dicitur. Debito soluto non opus quidem esse noua solutione; sed solutionis factæ applicatione, & acceptione. Christus hoc pretiũ pro omnibus persoluit; Verum æternus Pater pro his tantũ illud acceptat, qui se filio suo per Sacramenta, & bona opera coniungũt. Sicut igitur hoc pretio non satisfit peccatis impiorum, qui non resipiscunt, tametsi etiam pro illis soluto, vt qui praua voluntate sint à Christo alieni: Ita nec illis prodest, qui Sacramenta & opera bona negligũt, quib. velut medijs & instrumẽtis merita passionis Christi nobis applicantur. Sacramentũ quo Christi passione, peccata Christianis condonatur, est pœnitentia, quæ suis numeris perfecta nõ est, nisi

tribus

tribus partibus constet, cõtritione, confessione, & satisfactione. Proinde sicut pharmacum à medico paratũ, & vasculis inclusum nõ prodest infirmis nisi sumatur: Ita Christus medicinam confecit omnibus peccatis, & spiritualibus morbis, quam in Sacramentis inclusit, vt ea fruerentur, & curarentur, qui sibi Sacramenta qua par est deuotione adhiberent.

SECVNDA.

Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei quacũque die cõuersus fuerit ab impietate sua.* Atqui noceret, si post conuersionem seriam, & confessionem opus esset satisfactione per corporis pœnas, & afflictiones. Non ergo est satisfactio post conuersionem, & confessionem necessaria.

SOLVTIO.

Scriptura hęc duobus modis exponi potest 1. de perfecta conuersione, quæ non solum contritionem, & cõfessionem; sed opera etiam satisfactoria includit, vt eleemosynas, & sui mortificationem; de qua conuersione Ezec. 18. *Si panem suũ esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento &c.* Hoc pacto conuerso impio nõ nocebit impietas sua 2. de cõuersione seria sine satisfactione: tũc enim impio nõ nocebit sua impietas ad damnationẽ: sicut iusto auerso non proderit iustitia ad æternã salutem; tametsi impio nocebit impietas ad temporalem pœnam; sicut iusto proderit iustitia ad præmium aliquod temporale.

TERTIA.

Christus est Sacerdotibus omnib. propositus exẽplar ad imitãdũ. Ipse aũt sine satisfactione absoluit paralyticũ, Magdalenã, Public. Adulterã, Petrũ & Latronẽ: neq; legitur à quoquã exegisse satisfa-

Matth. 9. Luc. 7. Luc. 18. Ioan. 8. Matth. 26. Luc. 23.

ctionis opera: Igitur contra Dei verbum, & Christi voluntatem imponitur satisfactio pœnitentibus.

SOLVTIO.

Maior est falsa: Cum non in omnibus rebus & actionibus christum imitari vel teneamur, vel possimus. Vult enim vt à se discamus mansuetudinem, & humilitatem cordis, amorem fraternum, proximorum auxilium, eaque opera pietatis quæ vires humanas non excedunt. Itaque non est sequendus in ieiunio 40. dierum, in miraculis, & in actionibus Messiæ proprijs, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: ad quam Christi potestatem pertinet Sacramenta instituere, virtutem Sacramentorum sine Sacramentis conferre, peccata sine verbis absolutionis remittere, & simul pœnam cum culpa auferre. Nostrorum Sacerdotum potestas est alligata Sacramentis, Ideoque neque sine Confessione, neque sine satisfactione, quæ ad huius Secreti perfectionem pertinent, possunt pœnitentem in pristinum statum restituere. Quod vero ad minorē propositionem attinet, falsum est Magdalenam, Publicanum, Petrum, & Latronem sine omni satisfactione absolutos esse. Magdalena verecundo ingressu in cœnaculum Pharisæorum, lachrymis, quibus Domini pedes rigauit, capillis quibus tersit, & vnguento quo vnxit, vehementique dolore, quo sacros Domini pedes osculabatur satisfecit. Sicut Publicanus

Matth. 28.

insigni

insigni contritione, & pectoris tunsione; Petrus triduanis lachrymis; & latro pœna crucis, crurifragij, & supplicij mortis. Paralytici satisfactio cernitur in precibus tam suis, quàm baiulorum, atque in graui periculo lapsus, cum super tectum deferretur, & per tectum quatuor funibus, ante Dominum in lecto demitteretur; denique cùm curatus, publicè grabatum humeris gestaret, non veritus calumnias Pharisæorum. Adulteram non legitur Dominus absoluisse; sed mortis pœna non cõdemnasse. Non enim dixit. Ego te absoluo, sed nec ego te condemnabo. Ad quia adiunxit. Vade, & iam amplius noli peccare, videri poterit absoluisse, non tamen sine omni satisfactione, quam magno rubore, dolore, & metu dum caperetur, palam deduceretur, & accusaretur, affecit.

QVARTA.

B. Ambrosius de B. Petri Pœnitentia loquẽs, *Lachrymas* (inquit) *eius legimus, satisfactionem non legimus.* *Lib. 10. in Luc. ca. 96. & ser. 46.*

SOLVTIO.

B. Ambrosius satisfactionis nomine, non pro operibus pœnitentiæ; sed pro defensione, seu excusatione sui vtitur. *Maluit* (inquit) *ipse suum accusare peccatum, vt iustificaretur fatendo, quàm grauaretur negando: nõ inuenio quid dixerit; inuenio quod fleuerit. Recte fleuit & tacuit, quia quod deflere solet, non solet excusari.*

QVINTA.

Certissimum est peccata gratis demitti merito passionis Christi. Non igitur opus est satisfactionibus nostris, quæ obscurant virtutem crucis.

SOLVTIO.

Consequutio negatur. Nam & gratis remittuntur, & per satisfactiones nostras: gratis quidem 1. quia culpa nostris meritis condonatur, quando per Sacramenta redimus cum Deo in gratiam 2. quia opera iustorum non ex se, sed ex passione Domini vim habent merendi, & satisfaciendi, per satisfactiones vero nostras, quia nostra sunt opera, quibus per Dei gratiam satisfacimus pro peccatis. Non ergo obscuratur Crux Christi satisfactionibus nostris; sed illustratur, vtpote tantam vim habens, & tam ampla merita, vt etiam operibus iustorum virtutem satisfaciendi cõferat. Sicut sol est eo illustrior quod luce sua lunam, & stellas ad lucendum terris, illustrat.

SEXTA.

Doctrina hæc satisfactionis reddit conscientias fidelium inquietas; vt qui suorum operum merita ignorent: Christi autem doctrina pollicetur vbique pacem: ergo Doctrina satisfactionis non est doctrina Christi.

SOLV-

SOLVTIO.

Propositio negatur. Siquidem Ecclesiæ fides docet non satisfactionibus, sed gratis nos Deo per Sacramenta reconciliari, atque ab eo in amicitiam recipi, sublato metu gehennæ qui conscientiam angebat, & inquietabat: docetque experientia pœnitentem confessum atque à peccatis absolutum, graui pondere leuari, & conscientia quieta lætari, magnaque pace cordis frui: quæ pax & tranquillitas animi sanctis operibus pœnitentiæ in dies singulos incrementum sumit.

DE INDVLGENTIIS.

CAPVT XII.

NOMEN Indulgentia significat condonationem pœnarum, quibus dimissa culpa pro peccatis satisfaciendum erat. Christus enim qui teste B. Chrysostomo, omnem suam potestatem, quod ad peccatorum remissionem attinet, in Apostolos, eorumque successores contulit: non solum eis authoritatem dedit remittendi noxas seu culpas peccatorum, sed etiam condonandi pœnas; quoties ad commodum vel reipublicæ, vel saluti priuatorum fore putarent. *Lib. 3. de Sacerdotio.*

Quemadmodum Principes sęculares, quorum est ex iustitia fontes plectere, nonnumquam vel mitiorem pœnam infligunt, vel totam remittunt: immo subinde apertis carceribus vinctos omnes larga indulgentia soluunt, quantum inaugurantur, aut insueti gaudij signa edunt. quod vt raro fieri debet; ne facilitate Principum eneruetur iustitia, & mores dissoluantur, ita nonnunquam cum laude fieri decet, quoniam animarum salus, & reip. vtilitas præ oculis habetur. Non minor authoritas data est Apostolis in animas fideliũ, atque Principibus in corpora. Illis enim dixit. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* dicens: *quæcunque* nihil excepit. Constat aũt illũ necdum plene solutum esse, qui pœnæ reus est, & cui ex hac vita egredienti, nondum patet aditus regni cœlestis. Si igitur Ecclesia claues accepit quibus aperiat cœlum, & vincula omnia soluat; nulli dubium esse debet quin penes eam sit potestas peccatorum culpas simul & pœnas auferendi. Quam potestatem agnouit Apostolus Paulus, qui audito insigni dolore fornicarij, quem ipse Sathanæ puniendum tradiderat, *ne abundantiore tristitia absorberetur*, benigne ei indulsit, & condonata omni pœna in gratiam Ecclesiæ recepit. Eandem agnouerunt & vsurpârunt veteres Episcopi, qui seuerè quidem ecclesiasticam disciplinam tuebantur, ne peccatoribus habena laxaretur, subinde tamen pœnitentibus indulge-

Matth.18.

2.Cor.2.

dulgebant: & si quidem vniuersam pœnam ignoscebant, erat indulgentia plenaria: si vero quadraginta dierum, dicebatur quadragena: si autem aliquot annorum, vel dierum, tantundem à tempore pœnitentiæ auferebatur. Causæ porro indulgendi fuerunt variæ. Primo ne pœnitentes ingruente persecutione, Sacramentis destituti (quæ eis ante peractam pœnitentiam raro administrabantur) in hostes fidei inciderent, eorumque gratia non adiuti fidem proderent. *Nunc non infirmis, sed fortibus* (ait Beatus Cyprianus) *pax necessaria est, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus; sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus: cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Lib. 1. Epist. 1. ad Cornel. Secundo. Vt omni debito culpæ, & pœnæ remisso, maiore fiducia, & feruore Deus rogaretur. Ideo moris fuit in Ecclesia Romana (inquit Beatus Innocentius Papa) feria quinta ante Pascha pœnitentibus remittere, nimirum vt Pascha lætius, & quietius celebrarent. Epist. 1. ad Decent. c. 7. Eadem de causa conceditur etiamnum in Ecclesia à Romanis Pontificibus indulgentia plenaria, quoties ingruens aliqua necessitas monet Deum solito ardentius esse rogandum. Qui enim omni culpa & pœna liberi sunt, Deum, cui iam pro peccatis nihil debent, ad succurrendum publicis calamitatibus facilius flectere possunt. Tertio. Quoniam

a *Can.* 11 12. b *act.* 5. c. 16 c *cap.* 2. d *Cap.* 2 5. e *Cap* 3. f *Cap.* 5. g *Can.* 60. h *Can.* 19.

feruor & deuotio pœnitentium relaxationē hanc merebatur, tunc enim ad exemplum B. Pauli, poſt aliquantam ſatisfactionem, eis indulgeri ſolet. Varijs enim Concilijs tā generalibus, vt Niceno, *a* Chalcedonenſi *b* &c. quam prouincialibus vt Ancyrano, *c* Laodiceno, *d* Neocæſarienſi, *e* Ilerdenſi, *f* Agathenſi, *g* Epaunenſi *h* &c. decretæ fuerunt pœnæ & tempora pœnitentiæ his qui in grauia crimina lapſi eſſent, cum quibus tamen liceret Epiſcopis etiā ante expletum tempus pro eorum dolore & conſtantiā indulgentius agere. 4. Quando preces Martyrum intercedebant, qui carceribus detenti, pro Chriſti fide tormenta paſſi erat (hos enim appellabant Martyres etiam ante mortem, ſicut Confeſſores, qui pro fide vincti tenebantur) Siquidem lapſi & pœnitentes ad hos Martyres non raro recurrebant ab eiſque ſupplices libellos ad Epiſcopos pro obtinenda venia impetrabant, vt præter cœteros Tertullianus, & B. Cyprianus teſtātur, quibus acceptis Epiſcopi frequēter ad dandam ventā inducebantur: tum propter Martyrum dignitatem, qui tanquā nobiliſſima Eccleſiæ mēbra exaudiri merebātur: tum ꝙ ſuorū cruciatuum lapſos iſtos pœnitentes cuperēt eſſe participes. Siquidem vt in dimiſſione culpæ per Sacramē tum pœnitentię ſimul adſunt Iuſtitia & miſericordia: Iuſtitia quidē ex infinito merito paſſionis Chriſti, ꝙ pro peccatis condignū pretiū ſoluit: Miſericordia vero in applicatione gratuita

Li. ad Martyres. *Lib.* 3. *ep.* 14 15 16. 17. & *ſerm.* 5. *de lapſis.*

tuita, sine meritis nostris. Ita in Indulgentijs cernitur vtrũq;. Misericordia quidẽ, quia lapso indulgetur ne tẽpus perficiat: Iustitia vero quia aliorũ pœnis redimitur ista eius satisfactio. Quod vt planũ fiat, notare oportet, ab operibus bonis iustorũ duo præstari: Nã & merentur, & satisfaciũt: meretur quidẽ vt à diuina Spiritus S. gratia proficiscuntur; satisfaciũt verò, partim quia ab eadẽ gratia fiunt, partem quia pœnã adferũt delectationi ex peccatis ortę contrariã. Quę duo bonorũ operũ officia sic differunt, vt gratiã mereamur nobis, nõ alijs, satisfaciamus aũt etiã pro alijs. Sicut ambulatio mihi à medico præscripta curat valetudinẽ meã, non alterius, quæ tamẽ satisfacere potest obligationi illius, qui ad excubias ãbulare cogeretur, si ego curaturus valetudinem meã, id loco excubiarũ pro eo ambulando suppleã. Omnibus iustis & sanctis dũ in hac vita degũt, accrescit meritũ bonis operibus, quæ tamẽ nõ omnibus valent ad satisfactionẽ pro peccatis: vel quia nulla habẽt peccata pro quibus satisfiat: vt sacratissima virgo Maria Dei mater, *cuius animã doloris pertransiuit gladius*, quæ nõ immerito Regina Martyrũ celebratur; ꝓpter immẽsos Christi filij sui cruciatus, quos ipsa maiori cordis dolore persentiscebat, quam quiuis aliorum Sanctorum tormenta corporis. Vnde in Canticis dicit. *Fasciculus mirrhæ, dilectus meus mihi inter vbera mea cõmorabitur.* Vel quia pauciora sunt ipsorum peccata quam pro magnitudine pœnarũ. Sic dicebat de se B. Iob. *Vtinam Iob. 6.*

Luc. 2.

Cant. 1.

appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas qua patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret. Beatum Ioannem Baptistam *in* vtero sanctificatum, constat plures pœnas sibi dedisse & ab alijs toleratas esse, quàm meritus esset peccatis. Idem de Apostolis, multisque Martyribus confitendum est, & de sanctissimis Monachis & Anachoretis, quorum vita iuge fuit martyrium. Horum igitur pœnæ peccatorum meritis grauiores, si sanctos spectes, qui eos tolerârunt, non habet munus satisfaciendi. Tanta est porro Dei bonitas, vt hoc officium propter earum dignitatem, perire nolit, suoque effectu carere, proinde, quod in sanctis qui satisfactione non egent, minus faciunt, id alijs qui egent, per eas præstatur, quibus Sanctorum passiones applicantur, ad satisfaciendum pro peccatis. Sicut enim pecuniæ debitum amicus pro amico soluit; ita etiam viri iusti pijs operibus, & præsertim actionibus pœnitentiæ aliorum debitis satisfaciunt. Sic prosunt ieiunia nostra, eleëmosynæ & afflictiones corporum animabus defunctorum purgatorij ignibus detentis. Sic Beatus Paulus dicebat se *adimplere in carne sua quæ desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia.* nimirum graues labores suscipiens, quibus satisfactionem ei mereretur. Sic etiam nos pœnitentijs nostris subuenire possumus obligationi proximorum, & pro illis pœnas iniunctas dare. Christus igitur

Coloss. 1.

thesau-

thesaurum inexhaustum Ecclesiæ dedit, cui suas passiones infiniti meriti commisit, in quem etiam prædictas sanctorum, ipsis non necessarias, satisfactiones reponit, vt Ecclesiæ Præsules, præsertim verò summus pastor, & supremus bonorum ecclesiasticorum dispensator, quoties in rem Ecclesiæ vel animarum vtilitatem fore putabunt, eum aperiant, & pro debitis pœnitentium, hoc est, pro pœnis, quarum, post absolutionem Sacerdotalem rei tenentur, per indulgentiam dispensent, & Christi sanctorumque passionibus satisfaciant. In hoc ergo consistit iustitia, quod reuera pro pœnis nostris satisfiat; misericordia autem dum non nostris pœnis, sed Christi, & Sanctorum.

Ex his disces 2. Indulgentijs non remitti culpas peccatorum, quæ sublatæ esse debent per pœnitentiæ Sacramentum; sed pœnas temporales peccatis post remissionem culparum debitas, eumque qui nullis pœnitentijs obligatur, indulgentijs non egere. 2. Illis etiam non remitti temporaneas pœnas, quas in hoc mundo Deus peccatoribus infligit: vt sunt morbi, bella, fames, bonorum direptio, mors corporis &c. nec peccatum originale, malaque quæ primorum parentum peccato genus humanum infecerunt; neque pœnas ciuiles legibus sancitas, aut ecclesiasticas censuras, aut votorum obligationes, quarum tamen relaxãdarum potestas subinde fit diplo-

matis

matis pōtificijs, non vi indulgentiarum, quæ eousque se non extendunt, sed Pontificis authoritate. 3. Indulgentijs condonari 1. pœnitentias seu pœnas à confessario iniunctas 2. eas quæ ex sacris Canonibus iniungendæ, aut subeundæ forent 3. pœnas purgatorij quæ pœnitentijs huius vitæ respondent. Itaque per indulgentiam plenariam tollitur omnis pœna purgatorij; per indulgentiam septem annorum, vel definiti temporis, redimitur tantum pœnæ, quantum sublatum fuisset, si illius temporis completa esset pœnitentia. 4. Doctrinam Ecclesiæ de hoc indulgentiarum thesauro neque erroneam esse, neque nouam; sed Sacræ Scripturæ & praxi veteris Ecclesiæ consentaneam. Itaque S. Synodus Tridentina his verbis decernit. *Cum potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit: atque huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit. Sacrosancta Synodus Indulgentiarum vsum Christiano populo maximè salutarem, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit: eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate Eccl siastica disciplina eneruetur.*

Sess. 25.

OBIE-

OBIECTIONES.

PRIMA.

Christi merita applicantur fidelibus per fidem & Sacramenta ad peccatorum remissionem: ergo non per indulgentias.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: quia non vnico sed varijs modis applicantur nobis merita passionis Domini, vt Sacramentis, bonis operibus nostris, & aliorum &c. Sacramento pœnitentiæ applicantur ad culpæ condonationem; non autem semper ad remissionem totius pœnæ, nisi peracta pœnitentia quæ peccatis debetur. Indulgentijs autem applicatur ad satisfactionē huius pœnitētiæ temporalis.

SECVNDA.

In veteri Ecclesia non fuit vsus indulgentiarum, nisi ad remissionem pœnarum, quas Episcopi per Canones Ecclesiasticos ad conseruandam disciplinam singulis peccatis decreuissent: nihil igitur tollūt, quo coram Deo vel in hac vita, vel post hanc vitam, ad satisfactionem obligamur.

SOLVTIO.

Negandum antecedens. Siquidem vetus Ecclesia non ad solam politicam disciplinā Ecclesiasticos canones condidit; sed vt his pœnis per Canones statutis vere satisfieret Deo pro peccatis. Nam prout est mitissima mater, non

ſtudet ſuos filios nouis pœnarum oneribus grauare, quibus coram Deo grauati non erant: ſed grauius flagellum, quod peccatorem à Deo manet, leuat mitiori pœna. Sicut enim pater ſi manibus ſuis filium caſtiget, acrius cædit quàm mater blanda, & viribus infirmior: Ita Deus per ſe puniens peccata, magis ſæuit, quàm mater Eccleſia, vt vere dixerit Apoſtolus. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* *Hebr.10.* Docent hoc peccatum Adæ quod omnes luimus; Curioſitas Bethſamitarum in arca Moyſis inſpicienda, quæ ſubita morte ſeptuaginta primariorũ, & 50. millium ex plebe punita fuit: Elatio Dauidis numerantis populum, propter quam 70. millia virorum peſte perierunt &c. *1. Reg.6.* *2. Reg.24.* Qui ex hac vita nondum liber obligatione templis pœnæ migrat, incidit in ſeueras manus Dei viuentis, hoc eſt, in purgatorij ignem, cuius ardori, & cruciatui nihil par eſt in hoc mundo, vt poſt Beatum Auguſtinum ſcripſit S. Cæſarius Arelatenſis, vtpote ad quem ignis noſter non eſt alius quã ignis pictus ad noſtrum, quemadmodum abhinc 1300. annis Sanctus Præsbyter Polycarpus Chromatio & Tiburtio dicebat. *In Pſal.37. Hom.8.* *In vita S. Sebaſtiani.* Ne in hæc tam acerba tormenta incurrant fideles, decreuit pia mater Eccleſia eorum loco pœnitentiales Canones, multo quidem faciliores, ſed non parum efficaces, tum ex vi clauium, tum ex virtute obedientiæ, tum ex diuina gratia, & ſtatu merendi, per quæ

fit,

fit, vt his Canonicis pœnis non tantum satis patiamur, ſicut in tormentis purgatorij; ſed etiam ſatisfaciamus, minoribuſq; pœnitentijs redimamus ardentiſsimos purgatorios ignes. Quãdo igitur p indulgentias liberamur canonicis pœnitentijs, ſimul etiam abſoluimur à pœnis purgatorijs, quarum loco pœnitentiæ illæ decretæ erãt. Non enim vult Eccleſia mater filios ſuos præpoſtera pietate minoribus malis leuare, & grauare maioribus.

TERTIA.

B. Cypriano non parum diſplicuit Epiſcoporum ſui temporis leuitas, qui ſpecie indulgentiarum, lapſos contra Eccleſiáſticum morem, ſine ſatisfactione ad Sacramentã admittebãt, licet à Martyribus rogati. Non ſunt igitur probandæ indulgentiæ.

SOLVTIO.

Neganda conſequentia, cũ potius ex antecedente inferendum eſſet: ſunt igitur probandæ indulgentiæ tanta antiquitate confirmatæ; ſed earum abuſus eſt improbandus. Nã B. Cypriani ætate duæ natæ ſunt hæreſes occaſione reconciliationis lapſorum. Vna Nouatianorum, qui nullos lapſos volebant in gratiam poſſe recipi. Altera his prorſus aduerſa cuiuſdam feliciſsimi, qui promiſcue omnes admitti iubebat ſine vlla vel exomologeſi, ſeu confeſsione, vel ſatisfactione. Vtramq; impugnat B. Cyprianus media via cum Eccleſia incedens, quæ contra Nouatianos reconciliat lapſos pœnitentes,

tentes, & contra feliciſsimum non ſine confeſſione & ſatisfactione recipit, quam tamen ſatisfactionem etiam tunc moderari ſolet inducta martyrum precibus, & pœnitentium feruore. Non ergo reprehendit indulgentias, ſed nouam hæreſim, qua nonnulli preſbiteri indulgentiarum nomine prætextu pietatis abutebãtur. *Ante* (inquit) *expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis: ante offenſam placatam indignantis Dei & minantis pacem eſſe putant, quam quidam fallacibus verbis venditant.* *Serm. 5. de lapſis.*

QVARTA.

Indulgentiæ conceduntur à pleriſque Pontificibus multorum millium annorum: Atqui vero ſimile eſt, & prope certum, quod mundus tot annis non ſubſiſtet, nec ignis purgatorius, qui poſt iudicij diem nullus erit: Igitur inanis & ridicula eſt iſta conceſsio.

SOLVTIO.

Negatur conſecutio; Vt enim mundus cum purgatorio igne poſt annos non ita multos intereat; non tamen fruſtra tot annorum indulgentiæ conceduntur, quod pleriq; peccatores tanti temporis mulctam per ſacros Canones mereantur, qui aliquibus peccatis 7. alijs 10. alijs 12. annos pœnitentiæ decernunt, de quibus Iuo & Gratianus, & ante eos B. Gregorius Nyſſenus, Petrus Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, & alij multos collegerunt. *Si quis* ergo in his peccatis ſit frequens, & aliquot annis

nis continuus, facile eiecit multorum milliũ annorũ debitum contrahere, quod in igneis purgatorijs, si non mora, certe grauitate quantum morę deerit, soluet. Incertum tamen est an tempori in hac vita pœnitentibus definito respondeat tantundem durationis purgatorij: fieri enim potest vt illic propter pœnæ grauitatem citius perficiatur, quod hîc diutius luere iubemur.

QVINTA.

Ecclesia est mater fidelium; Proinde si penes eam sit indulgentiarũ potestas, qua liberet filios suos metu purgatorij, deberet vtiq; liberalissima manu indulgentias omnibus effundere, si non sanis, saltẽ morituris: Hæc dum non facit, videtur doctrina hæc non vera sed fraudulenta.

SOLVTIO.

Pietas non semper in laxitate & indulgentia, sed in bona disciplina, & iustitia consistit. Nõ est pius parens qui semper puero indulget, neq; pius iudex, qui vinctos omnes semper dimittit: profundere indulgentias in viuentes, & sanos eneruat diciplinã, dissoluit mores, dat ansam vitijs. Omnibus morientibus conferre indulgentias, & à pœnis purgatorij securitatẽ efficiet segnes, & minº pro salute soliciros. Plª igitur cõmodi affertur Ecclesiæ moderato indulgentiarum vsu, quam profusione: Satius quippe est animas in purgatorio pœnas debitas luere, quam nimia laxitate multos periret

præsertim cum Ecclesiæ continuis precibus, sacrificijs, eleemosynis & meritis hoc supplea tur, quod ab indulgentijs deest.

SEXTA.

Indulgentijs impediuntur opera bonapœnitentibus imposita: Sunt igitur non solum inutiles, sed etiam noxiæ.

SOLVTIO.

Negatur antecedens. Non enim datur Indulgentia, vt quicquam operis boni prætermittatur; sed vt molestia pœnarum leuetur, vtq; pœnitentia debita, & subinde propter criminum enormitatem viribus impar Ecclesiæ thesauro soluatur, & vt opera bona maiori fiducia, feruore, & fructu ab his qui Deo iam nihil amplius pœnarum, aut satisfactionum debent, præstentur: Illa enim, cùm prius in debitorum solutionem impendenda erant, ijs per indulgentias persolutis, valebunt ad maiora merita, & vberiorem gratiam. Hoc porro argumentum si quid valet, persuadebit moderationem in indulgentijs seruandam: mouebitq; pœnitentes nihil de impositis pœnitentijs, propter indulgentias remittere, vt his officijs vsum sibi parent virtutum, assuescantq; bonis operibus, pœnasq; pro peccatis inflictas in aliud spirituale lucrum tum suum, tum aliorum conuertant.

SEPTIMA.

Seculares Principes, vt pœnas sontibus relaxent, non egent thesauro, sed potestate sua

reos

reos dimittunt. Non igitur opus est hoc thesauro, sed poterunt Pontifices indulgere sua authoritate.

SOLVTIO.

Negatur cõsequentia, quia dispar est ratio secularis Iudicis, & Ecclesiastici. Ille externas tantum pœnas sumit, & remittit: Iste animas attingit: Ille quandoque iustitia, quandoque misericordia vtitur: Iste semper iustitiam cũ misericordia miscet: Ille nullis formis, aut modis alligatur: Iste non nisi præscriptis cerimonijs, & ritu peccata dimittit. Quocirca ille nec Sacramentis eget ad recipiendum in gratiam, neque thesauro ad indulgendum: Iste quia peccata non tam in se quàm in Deum cõmissa condonat, non potest nisi ex præscripto Dei, offensi per pœnitentiæ Sacramentum condonare culpam, quo iustissima merita Christi gratis nobis imputantur; neque pœnas remittere nisi per cõdignas Christi, Sanctorumq; satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ depromptas, nobisque misericorditer applicatas.

OCTAVA.

Christi satisfactiones soluendis omnibus debitis pœnarũ sufficiunt. Non est ergo in hoc thesauro opus meritis Sanctorum, nisi per ea obscurare velimus merita Christi.

SOLVTIO.

Negatur consecutio: nõ enim ad obscuranda sed ad illustranda Christi merita reponuntur satisfactiones Sanctorum in hoc thesauro, vt

quæ vim omnem suam merendi & satisfaciendi non à se, sed à meritis Christi accipiũt. Sicut igitur sol non obscuratur lumine lunæ, vel stellarum; sed illustrior redditur vtpote tam clarus & lucidus, vt omnibus astris non solùm lumen aliquod; sed insignem splendorem conferat, per quem etiam has terras illustrent: Ita virtus meritorum Christi, ex eo censetur maior, quod vim satisfaciendi etiam sanctorum operibus tribuat. Gloria Christi est, quod Sanctos effecerit imitatores operum suorum: sicut gloria præceptoris est, sui similem formare discipulum.

NONA.

Opera sanctorum mercedem suam receperunt in cœlis. Non ergo nobis prosunt in hoc thesauro.

SOLVTIO.

Ad antecedens. Opera Sanctorum vt à gratia & charitate profecta mercedem acceperunt: vt autem satisfactoria nondum receperunt: qa eorum merces vt talia sunt, in eo consistit, vt finem suũ consequantur, qui est p debitis pœnarum satisfacere, quod in Sanctis ipsis quia non præstiterunt, reseruantur in thesauro, vt pro alijs satisfaciant: qua ex re hæc noua gloria ad Sanctos accedit, vt ab his summa gratiarum actione laudentur, qui eorum satisfactionibus, per indulgentias vsi fuerunt.

DECIMA.

Sanctorum merita non sunt infinita; ergo iã

exhaustæ

exhausta tam amplis indulgentijs quæ à Pontificibus largissimè conceduntur.

SOLVTIO.

Clemens Papa 6. his verbis respondet. *De thesauri huius consumptione, seu minutione, non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quã pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* *Cap. Vnigenitus in Extrauag. communibus.*

VNDECIMA.

Nullus iustus caret peccato. Non ergo cuiquam supersunt pœnæ, seu satisfactiones, quas pro alijs soluat, cum ipsemet nunquam careat debitis.

SOLVTIO.

Negatur consequentia: quia vt nemo careat peccatis minutioribus, sine quibus vita ista non ducitur, & quæ facile obtinent veniam: multi tamen carent peccatis grauioribus, quæ maioribus pœnitentijs, & satisfactionibus egent. Hi ergo qui plura patiuntur quàm pro merito suorum delictorum, satisfactiones & pœnas suas reponunt in hoc thesauro Ecclesiæ.

DVODECIMA.

Quicquid Sancti patiuntur in hac vita, debent Deo pro peccato primi parentis, in quo omnes peccauerunt; & quicquid sustinẽt mali, in satisfactionem illius peccati sustinent. Nullæ ergo sunt illis pœnæ, aut satisfactiones superfluæ.

SOLVTIO.

Mala omnia istius vitæ sunt effectus peccati primorum parentum: per illud enim translati sumus ex statu fœliciſsimo innocentiæ, in hùc statum miſerrimum plenum calamitatum; Quæ calamitates, & afflictiones tametſi ad illud peccatũ, velut ad primã cauſam suã referri debeant, non cenſentur tamen eſſe illius ſatisfactiones. Sicut qui graui ſiti preſſus auidè bibit, ſi forte in morbum incidat; cauſam quidẽ ſuo morbo dedit potu largiori, ſine ſuo tamen peccato: qui potus virtutem ignorabat, & ſiti æſtuabat. Ideoq; morbus eſt quidem effectus potus, non tamen ſatisfactio peccati, quod in eo nullum fuit. Pari modo afflictiones & miſeriæ noſtræ non infliguntur ad ſatisfaciendũ peccato originali noſtro, vel inobedientiæ primorum parentum; ſed conſequuntur naturam noſtram originali iuſtitia ſpoliatam: quemadmodum bruta animantia nulla ſua aut ſatisfactione ſimilia patiuntur.

DE

DE SANCTA CRVCE.

CAPVT XIII.

CVM homo Christianus, iuxta B. Pauli Apostoli doctrinam, miles sit in hac vita, meritò illi conueniunt militum insignia, quæ sunt, signum sanctæ Crucis, & Symbolum Apostolorum. Milites enim externo signo distinguuntur, & symbolum habent militare, dum agunt excubias. *Ephe.6.11. 12.13.16.*

Hoc igitur signum Crucis, dicitur, & est signum Christiani hominis, tum quod eo contineantur mysteria fidei nostræ, tum quod Christiani soli hoc signo cum fide vtantur, & hoc signo ab alijs Gentibus dignoscantur: *Nobis enim absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,* vt ait Apostolus; quem locum B. Effrem ad signum crucis rectè accommodat. B. Ignatius ad Philippenses scribit, nihil esse quod Dæmon vsqueadeò prosequatur odio, quàm signum crucis, quodque per omnes hæreticos hoc vnicè curet, vt memoria crucis aboleatur: quos hæreticos S. Paulus vocat, *inimicos crucis Christi:* Neque verò id per hæreticos tantùm, sed etiam per Iudæos conatus est semper diabolus, quando totis trecentis annis Iudæorum inuidia, occultatum fuit lignum crucis, vt testis est Bea- *Gal.6.14. Lib. de pœn. c.3.epist.5. Hostes crucis. Phil.3.18.*

tus Paulinus Nolanus. Hinc & ab ijsdem summa semper ignominia affecta est sacræ crucis imago, vt scribit B. Athanasius, & S. Gregorius Turonensis. Christiani autem à Christi temporibus, semper summa veneratione coluerunt, & lignum ipsum Dominicæ crucis, & signum crucis, quo se quotidie muniunt. Refert Beatus Chrysostomus Christianos olim magno studio & pietate, particulas crucis, si quas nacti fuissent auro inclusisse. B. Cyril. Hierosolymitanus testis est particulas Crucis à Christianis per vniuersum orbem deferri solitas, & D. Paulinus Nolanus, miraculo magno tribuit, quod crux Christi in tot particulas diuisa, quæ per vniuersum orbem dispersæ essent, adhuc integra Hierosolymis, sua ætate, perseueraret.

In crucis signo, cuius quotidianus vsus est in Ecclesia, à Christianis duo sunt consideranda, mysterium, & vtilitas. De mysterio videtur locutus B. Paulus cum ait; *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*, iuxta B *a* Augustinum, *b* Gregorij Nysseni, B. *c* Cypriani expositionem. Hoc quippe signo quasi in summa explicantur Christianis, quæ toto symbolo Apostolorum continentur: ea nimirum, quæ vt explicitè credantur ab omnibus, sunt necessaria. Quia enim sine expressa fide Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, & passionis Christi, remissionis peccatorum

Epist. 11. *ad Seuerum.*
Lib. de Pass. imaginis Christi.
In gloriam SS. Mart. c. 12.
Deuotio Christianorum.
Lib. contra gētiles quod Christus sit Deus.
Catech. 4. & 13.
Epist. 11. *ad Seuer.*
Mysterium Crucis.
Eph. 3. 18.
a Epi. 112. *ad Paulinum. c.* 13.
Epist. 120. *ad Honoratum c.* 26.
b in Catech. ca. 32.
c Sermone de passione Domini.

torum, ac vitæ æternæ, nemo potest in numero Christianorum haberi; Apostoli symbolum fidei, quod Apostolorum Symbolum vocatur, collegerunt, quo hæc omnia necessaria paucis complexi sunt, quemadmodum testantur D. a Clemens Pontifex, B. b Maximus Taurinensis, D. c Ambrosius, B. d Hieronymus, B. e Irenæus, B. f Leo Pontifex: item g Ruffinus Aquileiensis. Cæterùm, quia multi Christiani vel ob ingenij tarditatem, vel ob temporis angustias, symbolum illud duodecim articulorum memoriæ non ita commodè mandare poterant, Apostoli eorum infirmitati consulentes, aut CHRISTVS potius per Apostolos, signum crucis instituit, quod omnia contineret, quæ symbolum Apostolorum; nempe sanctæ Trinitatis mysterium, incarnationem, & passionem Domini, remissionem peccatorum, & vitam æternam.

Cùm enim dicis: *In nomine Patris*, vnum significas nomen, vnam virtutem, vnam diuinitatem sanctissimæ Trinitatis. Nomen *Patris* in fronte, significat hunc esse principium Trinitatis, nunquam in has terras missum, à quo Filius generatur, & Spiritus sanctus procedit: *Filius* collocatur circa ventrem; vt intelligamus eius proprium esse in sancta Trinitate generari: eundemq; à Patre missum in vterum Virginis, & descendisse in vterum seu medium terræ: *Spiritus sanctus* medium obtinet locum, tanquam charitas Patris & Filij, & is, per quem

a *Epist. 1.*
b *Ser. de tra ditione sym boli.*
c *Epist. 81.*
d *Epist. ad Pamachium cõtr. errores Ioan. Hierosolimitani.*
e *lib. 1. cont. hæres. c. 2 et lib. 3. cap. 4.*
f *Ser. 11. de pass. Dom. & Epist. 13. ad Pulcher. August.*
g *in exposit. symb. ad Laurent.*

quem Filius (qui sola diuina charitate motus, humanam naturam assumpsit) de cœlis venit in vterum virginis. Postremò tamen loco nominatur Spiritus sanctus tanquam tertia persona in Deitate, à Patre & Filio procedēs. Iam Crux ipsa non obscurè refert passionem Domini: ea autem formatur vel tota manu, hoc est, quinque digitis, ad indicandum quinque Christi vulnera; vel vt vult Innocentius, tribus digitis, ob sanctissimam Trinitatem, quæ in passione Christi operata est humanam salutem; vel duobus coniunctis, ad indicandas duas in persona Christi naturas, contra Monophysitas; qui, quod vnicam in Christo doceret naturam, vnico digito hoc signum formari vo lebāt, vt author est Nicephorus Callistus. Quod verò à sinistro latere in dextram progre diamur, significat effectum passionis Christi, qua ex latere sinistro translati sumus ad dextrum, id est, ex hœdis facti oues; ex inimicis, amici Dei; ex reis æternæ damnationis, hæredes æternæ vitæ. Et hactenus de mysterio.

Lib. 2. de Sacramento al. 4. c. 44.

Lib. 18. Eccl. Hist. cap. 53.

Vtilitates Crucis.

Vtilitates eius sunt variæ: Est enim sancta, & efficax oratio fidelium, qua sese signantes,

1. implorant diuinum auxilium in actionibus omnibus, per maiestatem sanctissimæ Trinitatis, per Christi passionem, & incarnationem, per omnia beneficia, quæ merito passionis accepimus,

2. Est deinde oblatio, qua nos, nostraque omnia hoc signo Crucis Deo offerimus iuxta admo

monitionem B. Pauli: *siue manducatis, siue bibitis,* 1.Cor.10.31.
siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et.
Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in Col.3.17.
nomine Domini nostri Iesu Christi: gratias agentes Deo
per ipsum. Hac de causa Christiani & ciuitates
suas, & terminos signo Crucis muniunt, iuxta
vaticinium Isaiæ Prophetæ. *In die illa erit altare* Isaiæ 19.19.
Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta
terminum eius, & erit in signum, & in testimonium Do-
mini exercituum in terra Aegypti, hoc est, tempo-
ribus Messiæ erigentur altaria in Ecclesijs Ae-
gyptiorum: & cruces constituentur in vijs, &
finibus Aegypti: vt omnibus significetur De-
um in Aegypto coli. 3.

Tertiò: hoc signum Crucis est coniuratio Epip.hær.30.
quædam ad depellendum Dæmonem, eiusque Chryſ.homi.
vires frangendas: quomodo SS. Antonius, Hi- 55.in Matth.
larion, Iosaphat Dæmones superârũt, sicut in Cyril.Hie-
ipsorum Historijs referunt Athanasius, Hiero rosol.catech.
nymus, & Damascenus. B. Chrysostomus sua- 4.& 13.
det pectori crucem imprimendam ad cohiben Athan.de hu
dos prauos in corde motus. B. Augustinus te- manitate.
statur sæpe morbos esse depulsos virtute signi Verbi.
sanctæ crucis. Quod idem affirmant veteres o- Chry.hom.
mnes: fuitque illa res tam clara olim, & vsi- 88.in Matth.
tata Christianis, vt Iulianus Apostatata ab im- Aug.lib.22.
pijs Idolorum cultoribus in specum dæmo- de ciui. Dei.
nes consulturus, adductus; dum territus, pro cap.8.
consuetudine, quam Christianus didicerat, si- D.Greg.Na-
gnum ederet, dæmones omnes eo signo fugâ- zianzenus o-
rit. rat.in Iulia-

num.l.6.tripart.hist.c.1.Lib.3.Annal.in Mauritio.

rit. Refert Ioannes Zonaras circa annum Domini 590. Turcas cùm graui fame premerétur, à quodam Christiano edoctos, sibi crucis *signū* impressisse, eorumq; neminem fame periisse.

4. Quartò: Excitatur spes nostra signo hoc Crucis, & fiducia remissionis peccatorum assequendæ. Hinc in templis Cruces eriguntur, vt sciamus per Crucifixum omnia petenda, & impetranda. Hinc in sacramentis omnibus cruces adhibentur, nec sine cruce (*vt ait* Beatus Augustinus) quicquam sanctificatur: *vt intelligamus omnia virtute Crucifixi nobis donata, & impetrata*, quæcunque petuntur. Hinc rursus in turribus Ecclesiarum Crux collocatur, gestans gallum gallinaceum: vt peccatores dum crucem & gallum eminus vident, pœnitentiæ Petri, & veniæ per crucem concessæ recordentur. Denique morituris exhibetur Crux Domini, vt de suis meritis diffisi, eo potissimum tempore, quo grauius à Dæmone ad desperationem tẽtantur, spem suam omnẽ in Crucifixo ponant, cuius meritis & passione petant iuuari.

Serm. 19. de Sanctis.

5. Quintò: Hoc signo excitatur in nobis charitas, dum per id renouatur memoria passionis Dominicæ.

6. Sextò: Hoc signo crucis excitamur ad imitationem Crucifixi, iuxta admonitionem Beati Pauli: *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Itaque in Sacramento Baptismi Iæpius Christia,

Heb. 12. 2.

Rianis signum Crucis imprimitur in fronte, pectore, scapulis, vertice, sicut notauit Rabanus Maurus: vt meminerint Christiani suum esse Christum sequi, & crucem ferre. In Sacramento ordinis, Presbyteri atque Diaconi signantur, vt norint sui nunc muneris esse Christi exemplo bona facere, malaq; sustinere. In supplicationibus Christianorum præferri cõsueuit idem signum, sicut videre est apud *a* Palladium Episopum Helenopolitanum, *b* Venerabilem Bedam, *c* Ioãnem Diaconum, vt Christiani se fateantur, sub Christi vexillo militare, vitamq;, & mores Christi profiteri. *d* Et legibus Imperatorijs mandatur, vt Cruces huiusmodi ferantur in supplicationibus ab his, qui eas ferre solent, ac deinde in locis honestis reponantur.

B. Dio. Areopagi. c. 5. Eccles. Hierar. Li. 1. de Inst. cleric. c. 27.

a *In vita Ioan. Chrysost.*
b *lib. 1. hist. Aug. c. 25.*
c *In vita Greg. li. 2. cap. 35.*
d *In Auth. collat. 9. ti. 15. de S. Ep. c. 32. omnib. autem. Cap. 73.*

Discimus hinc, quanti faciendæ sint imagines crucis, quas Concilium Constantinopoli tanum vetuit in pauimẽto depingi, vel insculpi; ne signum nostræ redemptionis, humanis pedibus conculcaretur. Exstat insigne miraculum, apud Diuum Gregorium Turonensem, inuenti Thesauri à Tiberio eius nominis secundo Imperatore, ad amotam ex pauimento crucem æneam, sub qua ingens pecunię vis recondita erat.

Li. 5. Hist. Fran. c. 19.

Tametsi sacræ Scripturę expressis verbis nõ iubeant signum Crucis imprimi: non obscurè tamen fit huius signi, eiusque virtutis mentio.

Scripturæ sacræ. Exod. 12. 13.

Nam

Nam quod in AEgypto in ſuperliminaribus domus, ſanguis fundebatur, quo viſo perculſor primogenitorum parcebat familiæ; a B. Cyprianus, & b Beatus Euſebius Emiſſenus figuram eſſe aiunt Crucis in frontibus Chriſtianorum imprimendæ, qua viſa dæmones nihil eis nocituros. c Moyſes quondam extenſis Deum manibus deprecans, quando Ioſue aduerſus Amalech dimicabat, ſignificabat, authore d Diuo Cypriano, fore vt diabolus, qui per Amalech figuratur, virtute Chriſti crucifixi frangeretur. Apud Ezechielem litera Tau, quæ quondam, teſte Beato Hieronymo figuram crucis præ ſe ferebat, in frontibus dolentium, atque gementium ſignari iubebatur: vt ſeruandi ab interficiendis dignoſcerentur; quod Beatus Cyprianus, & Origenes ad ſignum crucis referunt: ſicut & locum Apocalypſis; vbi Angelus *ſigno Dei viui conſignat ſeruos Dei in frontibus eorum.* Quòd verò Apocalypſis 22. dicitur: *nomen agni ſcriptum in frontibus Sanctorum.* Beatus Cyprianus intelligit crucis ſignum adferre omnibus ſalutem, qui eo in frontibus notantur. Tertullianus in verbis Habacuc: *cornua in manibus eius*, & Dauidis, *à cornibus vnicornium humilitatem meam*, per cornua accipit crucis apices, per quam Dominus ventilauit dæmones, ſibique ſubiecit vniuerſum orbem. Chriſtus aſcenſurus ad patrem *eleuatis ſuis manibus benedixit diſcipulis*: quod de ſigno crucis plerique interpretantur. Verba autem, quibus vtimur in Cru-

a *Lib. 2. ad Quirinum, cap. 22.*
b *Ho. de fer. 2. Paſchæ.*
c *Exod. 7. 11. 12.*
d *Lib. de exhort. martyrum c. 8. & lib. 2. ad Quirinum. c. 21.*
Ezech. 9. 4.
Hom. 8. in diuerſos Euangelij locos.
Apoc. 7. 2. 3.
Lib. 2. ad Quirin. c. 22.
Habac. 3. 4.
Pſalm. 2. 22.
Luc. 24. 50.

Crucis signaculo, à Christo sunt nobis eodem tempore tradita: *In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* *Matt. 28. 19.*

Igitur iuxta vetustissimam Christianorum consuetudinem, *semper ore & signo* (vt ait Beatus Martialis Christi discipulus) *teneamus crucem*: *Epist. ad Eucharium.* seu, vt loquitur B. Hieronymus, *ad omnem actum, & omnem incessum manus pingat crucem*: vel vt Tertullianus, *ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad mensas, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem signaculo crucis teramus.* Denique, vt Prudentius ait. *Epi. ad Burdegal. c. 8.* *Lib. de corona militis.*

Fac cùm vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumq; cordis,
Crucis figura signet
Crux pellit omne crimen:
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit. *In hymno ante somnū.*

DE VSV ET VENERATIONE Imaginum.

IMAGO, quia est in genere signorum, rem aliquam significat, quæ aliud cùm sit, aliud quippiam animis nostris denunciat: Quamobrem duo sunt, quæ in imaginis natura continentur, nempe vt in se est res quædam; & vt in aliam rem inducit cogitationem nostram: *Imago quid.*

illud materia dicitur, hoc forma: veluti in pictura materiæ locum obtinent colores: in statua æs, lignum, aurum, argentum; & figura illa sculpta vel fusa. Loco autem formæ est similitudo rei alterius, qua res per imaginem significatur & repræsentatur. Ad rationem porrò imaginum externarum, licet materia aliqua necessariò pertineat, nulla tamen est sine qua imago naturam suam non possit retinere; potest enim vel in auro, vel in plumbo, vel in ære, vel in alia quacunque materia sculpi imago vel pingi.

Prototypa. Res autem, quarum imagines haberi possunt, sunt illæ omnes, quæ sub sensum cadunt. Vnde fit, vt res meræ spirituales imagines non habeant, veluti Deus, angeli, anima humana: nisi internas aliquas & spirituales imagines, quæ in mente sunt humana, vel Angelorum.

Imago duplex. *Externa.* *Interna.* Possumus namque imaginem generatim acceptam diuidere in externam, quæ rem aliquam repræsentat sensibus nostris externis: & interna, qualis est in imaginatione nostra & intellectu. Hoc modo etiam Angeli ipsi multarum rerum habent imagines: & res spirituales (solo Deo excepto, cuius nulla imago dari potest) menti repræsentantur. Inter imagines externas seu corporeas non solùm habendæ sunt, quæ picturis aut sculpturis constant; sed multæ etiam actiones corporales, quibus aliæ actiones ceu imagines obijciuntur oculis: veluti spectacula Comœdiarum aut Tragœdia-

Actiones vt sint imagines.

gœdiarum imagines sunt rerum præteritarū: sic veteris legis sacrificia, immolationes, & variæ cæremoniæ imagines erant atq; figuræ, vt ad Corinthios: vel vmbræ, vt ad Hebræos appellat D. Paulus. Ex his videre licet propriam imaginis rationem non esse positam in materia, sed in repræsentatione; hocque imaginem externam esse oculis, quod verbum exterius est auribus, & quod species interna est cogitationi: ac proinde non esse habendam rationem materiæ; nec coli lapides, vel ligna, sed totum honorem, qui defertur imagini, redundare in prototypon, cùm imago, & prototypon non considerentur vt res duæ, sed vt res vna.

1. Cor. 10. 6. Heb. 10. 1. *Vmbram enim habens lex futurorū bonorū, non ipsam imaginem rerum.* B. Basilius cap. 19. SS. D. Athan. sermo 4. in Arianos.

Hæc cùm ita se habeant, Ecclesia Catholica ab Apostolis & Spiritu sancto instituta, Imaginum vsum ab Apostolis acceptum hactenus constanter retinuit, ob multas earum vtilitates. Omittam loci & templorum ornatum, de quo Tertullianus, quam ob causam Moyses iussu Dei in tabernaculo fœderis, & Salomon in templo Domini multa & sculpsit, & pinxit, cùm satius sit sacris picturis loca sacra quàm prophanis ornare.

Lib. 2. cōtrà Marcionem. *Vtilitates imaginum.*

1.

Earum prima annotârunt Beatus Gregorius, Beatus Ioannes Damascenus, vt doceantur rudiores, *dicit enim* inquit B. Gregorius, *pictura in Ecclesijs adhibetur, vt qui literas nescium saltem in picturis videndo legant, quæ legere in codicibus non valent: nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.*

Greg. lib. 9. epist. 109. ad Serenum Epis. Massili. Damasc. li. 4. orthodox. fidei c. 17.

2. Secunda est, vt per imaginem reuocentur in memoriam quæ absentia sunt, & olim gesta. Constat enim memoriam renouari visis pictu-
3. ris. Hinc ex Apostolorum traditione maiores *Serm. de 40. mart.* docuerunt vbique formari imaginem crucis, vt semper passionis Dominicæ recordemur.

Orat. de diuinit. Filij & Spi sanct. Vide etiam B. Greg. lib. 9. indict. 2. epist. 53 ad Secundinum.

Tertia, vt moueant & excitent animos, sicut pulchrè Beatus Basilius, *res in bello fortiter gestas, tum eloquentes homines sæpe, tum pictores exprimunt, illi sermone ornantes, hi tabulis delineantes, & vtrique multos ad fortitudinem excitarunt.* B. Gregorius Nyssenus fatetur se nũquam intuitum imaginem immolati Isaac sine lachrymis.

4. *Honor imaginis.* *a li. 4. de vita Constanti.* *b lib. 5. Eccl. hist. ca. 7.* *c In orat. in Iulianũ Imperatorem.* *d in primis homilijs ad populum Antiochenum.* *e Orat. funebr. in S. Nicetam.*

Quarta vtilitas: vt in imagine honoretur Christus eiusque Sancti: quia enim erectione statuarum & imaginem, homines ab hominibus honorari consueuerunt: idem honor Christo Sanctisque debetur ab hominibus: cùm velit sibi Christus omne genus honoris deferri, qui vlli creaturæ defertur, quique nomine honoris censetur: quo in genere est imaginum erectio, earumque veneratio. Sic enim honorari consueuerunt olim Imperatores, & qui in pretio habebantur: & id quidem tam à Christianis, quàm ab Ethnicis, sicut de Constantino *a* Eusebius, & *b* Sozomenus: de Iuliano. Diuus *c* Gregorius Nazianzenus: de Theodosio. Diuus *d* Chrysostomus scribunt. Eleganter *e* Theosterictus, *Fac*, inquit, *esse imaginem aliquã regalem alio modo in loco impressam, deinde duos homines prætereũtes regalẽ imaginem vidisse: eorum.*

rumque alterum, eò quod in Regem optimè factus esset, ad imaginem ipsam cucurrisse, eamque amplexatum esse: alterum verò illi homini succensentem qui fecerint, in eam expuisse, & lutum ipsum veraque manu tollentem illam ipsam imaginem corrupisse, ac deleuisse: velim dicas si Rex vtriusque factum cognouerit, vtrinam illorum hominum succensebit, aut vtrum charum habebit? Nónne priorem illorum honoribus ac stipendijs prosequetur: posteriorem verò puniet?

Hoc sanè faciunt Christiani, dum venerantur imagines, quod fieri ex antiqua traditione solet sacris Euangelijs; quibus, dum in Ecclesijs recitarentur, accensi cerei, vt est apud Diuum Hieronymum, adhibebantur; eaque in membranis descripta multi Christiani de collo dependebant, vt ait D. Chrysostomus. Sicut igitur non chartæ, nec membranæ, sed verbo Dei honor habetur; ita nec statuæ, nec picturæ, sed Christo eiusque Sanctis. Beatus Leontius Episcopus Neapoleos Cypri, *Sed tu*, inquit, *adoras librum Legis, non naturam membranarum, aut atramenti adorans, sed verba Dei quæ in illo continentur: sic & ego imaginem Christi adorans, non lignorum, aut colorum naturam adoro: absit, sed inanimatum characterem Christi. Hunc enim cùm habeam per ipsum Christum me tenere & adorare mihi videor.* Octaua Synodus generalis Constantinopolitana sic statuit: *Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi, & omnium Saluatoris, æquo honore cum libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus: sicut enim per syllabarum eloquia, qui in libro feruntur, salutem consequuntur omnes: ita per colorum operationem imaginariam, & sa-*

B. Hier. eōt. Vigilantiū. Vide Liturg. D. Chrys. hō. 19. ad popul. Antiochenū. & ho. 43. operis imperfecti in Mat. Leont. lib. de adoratione crucis contrà Iudæos. Cano. 3.

pientes, & Idiotæ cuncti, ex eo quod in promptu est, perfruuntur vtilitate: quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura prædicat & commendat. Dignum est enim, vt secundùm congruentiam rationis, & antiquissimam rationem, propter honorem, qui ad principalia ipsa refertur, etiam deriuatiuè imagines honorentur, & adorentur, vt sanctorum Euangeliorum sacer liber, atq; typus gloriosæ Crucis. Hactenus Concilium.

Hoc insuper agũt Christiani, dum colunt imagines, quod agere solent, qui ad nomen Iesu, vel magni alicuius viri caput aperiunt: Hic enim honor si magnati defertur meritò etiam debetur Christo saluatori: de quo B. Apostolus, *In nomine*, inquit, *Iesu omne genu flectatur.* Qui verò nomini exhibent honorem, non syllabis, literis, aut voci, sed Christo Domino honorẽ habent, qui tali voce significatur.

Honor nominis.

Phil. 2. 10.

Cultus internæ imaginis.

Rursus qui ante pictam aut sculptam imaginem iacentes precantur, non agunt aliud, quàm illi, qui sine externa imagine in terram prostrati, Christi crucifixi similitudinem in mente & cogitatione sibi formant, in eaque summa veneratione Christum adorant. Quod enim est illis interna imago cogitatione efficta, hoc nobis est externa imago in statua vel pictura adumbrata. Ac proinde sicut Idololatria nulla committitur veneratione internæ imaginis, quæ in phãtasia seu cogitatione formatur: sic nulla est Idololatria, si veneremur externam imaginem, quam oculis corporeis cernimus, quia non alius in imagine honoratur,

tur, quàm ipsum πρωτότυπον. Ex quo non obscurè consequitur, omnem honorem qui prototypo debetur, etiam exhiberi imagini posse, quandoquidem non imagini sed prototypo exhibetur in imagine: proinde reprehendi non sunt Christiani, qui Christũ in sua imagine flexis genibus, apertis capitibus, iunctis manibus adorant, & precantur, ab eoque misericordiam, auxilium, & opem implorãt.

Ornatus imaginum.

Neq; illi qui imagines vestibus, monilibus, & id genus alijs ornare solent: cùm constet Moysen tabernaculum fœderis, & in primis Salomonem templum Domini auro, argento, gemmis mirandum in modum exornauisse: hodieque nobiles cubiculorum suorum parietes vestiant aulæis, & equos purpura, auroq; & argẽto insternant. Cur nõ liceat hoc facere imaginibus in honorem Christi ac Sanctorũ, quod ad honorẽ hominis fit parietibus & iumẽtis.

Cerei ad imaginem.

Nec reprehensione digna, sed commendanda est Christianorum consuetudo, qui cereos in honorem Sanctorum, coram imaginibus accendunt: quandoquidem id in veteri lege ante vmbratilem fœderis arcam diuino mandato fiebat; & (sicut supra dictum est ex Beato Chrysostomo & Hieronymo) cerei ad lectionem sacrorum Euangeliorum deferebantur. *Exo. 27.20.* Exstat insigne miraculum apud Ioannem Euiratum, de anachoreta Ioanne, cuius lampas, quam ante imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ accensam habebat, ipso per semestre non *Ca. 180. Prati.*

rarò absente, nunquam extinguebatur.

Processiones. Denique Ecclesiæ consuetudo circumferendi statuas, & imagines in supplicationibus, antiquo vsu confirmata est, & meritò commendanda: hoc enim fieri potest imaginibus Christi & Sanctorum, quod olim factum est arcæ fœderis: quæ cùm iussu Dei circum vrbem Iericho, magna pompa circumueheretur, corruerunt mœnia vrbis. Refert Nyceta Choniates in Manuele & Ioanne Commenis, vt Imperatores, victoria precibus sacratissimæ Mariæ Virginis obtenta, eiusdem virginis imaginem curru triumphali inuexerint, quasi matrem CHRISTI in sua imagine triumphare vellent. Si quis absens, extremo supplicio adiudicatus, haberi nequit, eius imago legibus ciuilibus eadem ignominia afficitur, quæ in πρωτότυπον ipsum decreta fuerat, vt palam fiat omnibus, quid mereatur ille, qui in sua imagine afflictatur. Quod igitur sine peccato fit in hominis ignominiam, quidni fiat in Christi & Sanctorum gloriam?

Iesu. 6. 14.

Multitudo imaginum. Neque verò est reprehensione, sed laude dignum, quod multitudine imaginum Ecclesias nostras ornamus, cùm Salomonis templũ plenum fuerit picturis: & ea sanctarum imaginum multitudo iugem nobis CHRISTI ac Sanctorum memoriam ob oculos ponat: & veteris Ecclesiæ ea fuerit consuetudo, vt sacris picturis, historiæ & vitæ Sanctorum in parietibus describerẽtur: sicut videre est apud

a Prudentium, & b Paulinum Nolanum.

Cæterùm vitio vertunt nonnulli, quod ad certas imagines frequentius oretur, adeoque peregrinationes instituantur, tanquam in ligno fiducia collocetur, non in prototypo, quod in quauis imagine colitur. Quibus dicendum, non ex idololatria, sed alijs de causis imagines quasdam præferri cæteris; vel quia ad excitandam pietatem sunt accommodatiores: sic B. Chrysostomus. *picturam*, inquit, *dilexi fusili cera confectam plenam pietatis*: vel quia coram aliqua Deus miracula operatur curationum & saniratum; quemadmodum olim per virgam Moysis & Aaron, potius quàm per alia eiusdem generis ligna: & sicuti in hoc potius quam in alio loco, ad Sanctorum inuocationem, mirabilia operari solet: quemadmodum testatur B. Augustinus. Sicut enim in virga Moysis & Aaron nihil sanctitatis vel diuinitatis inerat; nec vnus locus ex se est alio sanctior: ita non plus numinis est in vna imagine quàm in alia: sed Deus est, qui miracula operatur, vbi, quando, quomodo diuinæ maiestati suæ visum fuerit.

Iam verò non repugnare sacræ Scripturæ vel vsum, vel honorem imaginũ, ex ipsamet vetere Scriptura patet, qua sola putatur hic cultus prohiberi. Nam & in tabernaculo fœderis iussu Dei, ad exemplar ostensum Moysi diuinitus in monte, factæ sunt imagines, idque spiritu Dei, diuinaq; sapientia, intelligentia, & scientia, & intellectu, quo plenus fuit Beseleel

a *in hymno Cassiani & Hippolyti.*

b *Epist. 12. Seuer.*

Cur certæ imagines frequentius colantur.

1. *Serm. quod vt triusque testamenti vnus sit legislator*

2. *Epi. 137. ad Clerum & populũ Hippon.*

Exo. 25.

Exo. 31.

3. Reg. 6. & 7. leel sculptor, & in templo Salomonis, mandato Dauidis, qui filium de omnibus perfectè instruxerat, innumeræ figuræ, tum pictæ, tum fictæ venerationem & ornatum loco sancto affe-

a Serm 5. cõtra Iudæos. b Lib. 4. Orthod fidei c. 17. rebant. a Vide Leontium Neapoleos Cypri Episcopum, & b Damascenum. Honor verò quis maior q̃ vt ab imagine petatur grauissimi morbi curatio? Ideo namque factus est æneus serpens, vt ipsius intuitu pellerentur serpentes igniti, non quidem imaginis virtute, sed Messiæ è cruce victoriam de antiquo serpente reportaturi, caputque serpentis conteriturí: sicut id pulchrè exponunt Diuus Chrysostomus, & Seuerianus Gaballorum Episcopus.

Num. 21. 9. Ioan. 3. 14. Hom. de adoratione Crucis Hom. in encenijs.

Quod ad veterem Ecclesiam pertinet, certũ est, ab Apostolorum temporib. imagines Christi & Sanctorum, non sine cultu & veneratione in vsu fuisse. Tertullianus est auctor in sacris calicibus depingi solitas imagines Christi de humeris ouem portantis. Eusebius Cæsariensis refert imaginem Christi æneam à Syrophœnissa constitutam ad sua vsq; tempora perduransse, quam Deus ipse hoc miraculo honorauit, vt herbę, quæ ponè crescebant, quando fimbriam eius attigissent, omnem morbum depellerent: quem honorem Christi non ferens Iulianus Apostata, cum deiecta Christi imagine, suam substituisset, hanc fulmine deturbatam, Christi verò à fidelibus in templo cum honore depositam, author est Nicephorus, qui etiam testatur Constantino imperatori à Beato Syl-

Lib. de pudicitia.

Lib. 7. Eccl. hist. ca. 14.

uestro,

pestro exhibitas imagines Apostolorum Petri & Pauli (quæ etiamnum Romæ asseruantur) ealq́ue passim haberi à Christianis, & depingi solere temporibus suis, testantur *a* Beatus Ambrosius, & *b* B. Augustinus. Crucem iubentur ex liturgia D. Chrysostomi venerari Sacerdotes Græci sacrã aram accessuri: crucis adoratio ipso paraſceues die quàm sit antiqua testantur Rabanus Maurus, & Rupertus Tuitiensis, & ipsemet *c* D. Chrysostomus his verbis: *Venit nobis anniuersarius dies: qui & ter beatam, vitalemq́; conseruatoris nostri crucem præfert, & ad venerandum proponit, & nos, qui syncero corde eam, castisq́; labris veneramur, castos efficit, atque ad stadij sanctorum ieiuniorum cursum parationes robustioresque declarat.*

L. 10. ca. 30.

a ser. de SS. Geruas. & Prothasio.

b de consensu Euangelistarum. lib. 1. ca. 10.

c ser. 10. de adoratione Crucis.

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

PRæcipua argumenta, quæ ab Hæreticis, contra venerationem imaginum hodie adferuntur, olim etiam à veteribus Iconoclastis allata, & in Synodo septima Nicæna, ab alijśq; Patrib⁹ multis doctissimè confutata sunt, quorum primum est ex Exod. *Non facies tibi sculptile, neque vllam similitudinem eorum, quæ vel in cælo, vel in terra, vel vbius locorum sunt.*

Exod. 20.

SOLVTIO.

Non omnem [illegible] prohiberi sculpturam aut picturam

picturam, alioquin contra istud diuinum præceptum veniisset Moyses, qui & Cherubin in tabernaculo, & serpentem æneum in deserto fecit: prohibetur igitur omnis pictura, vel sculptura, quo pacto ea ab Ethnicis habebatur: quorum quidam arbitrabantur, idolum illud, aut imaginem esse Deum, dicentes a *ligno, pater meus es, & lapidi, tu me genuisti*, de quibus multa Isaiæ 44. Sapien. 13. & in varijs Psal. Sic exod. 32. dixerunt aureo vitulo: *Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de Aegypto.* Alij paulo sapientiores docebant idola esse corpora Deorum, aut eorum habitacula, quibus illi tanquam spiritus corporibus insidentes, non parum sanctitatis darent, ita teste B. Augustin. docuit Hermes Trismegist⁹: Varro alio, sed simili errore implicitus fuit, vt demonstrat pulchrè B. Augustinus lib. 7. de ciuitate Dei cap. 5. 6. & aliquot sequentibus. Epicurei verò existimarunt quidem Deum in cœlis versari, sed corporeum: vnde idola docuerunt Dei esse figuras atque imagines. Ab his erroribus, vt populum suum Deus abduceret, vetuit fieri sculptile, hoc est, aliquam imaginé quam putarent esse Deum, vt primi illi; vel aliquid habere numinis vt Varro, Hermes, Porphyrius; vel diuinitatem posse vlla similitudine referri. Cùm enim Deus infinitæ sit maiestatis atque naturæ, nulla est imago, non dico corporea, quæ oculis: sed nec spiritualis, quæ intellectui vel hominis, vel angeli, diuinam naturam repræsentare possit. Neque verò hoc pacto

Ethnici variè coluerunt imagines

1. a *Ierem. 2. 27.*

2. *Lib. 8. de ciuitate Dei cap. 13.*

3. *Cicer. lib. 1. de natura Deorum.*

pacto Ecclesia Dei picturas veneratur, vt imagines putet diuinæ naturę effigiem expressam continere: quemadmodum pulchrè B. Augu. in Psalm.113.explicauit. Christi autem & sanctorum imagines in Ecclesia habẽtur,quod eorum corpora fingi,pingi sculpi,& repræsentari possint. *Augustin. in Psa. 113.*

Imagines Patris & Spiritus sancti.

Verùm dicunt aduersarij haberi imagines sanctissimę Trinitatis: vt Patris in specie senis, & Spiritus sancti in forma columbæ.

Sed dicimus,has imagines nec esse Trinitatis,nec Patris,aut Spiritus sancti.*cui*, inquit Isaias,*similem fecistis*,id est, facere potestis,*Deum aut quam imaginem ponetis ei?* & Moyses,*Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Oreb,de medio ignis; ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem masculi vel fœminæ.* B.Paulus item Athenienſibus loquens: *Genus cùm simus Dei,non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi, & sculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum esse simile.* Nulla igitur ratione dicendum est,Christianos vel colere,vel asseruare sanctæ Trinitatis,vel Patris, vel Spiritus sancti imagines. Nam quod Prter depingitur vt senex dierum: non imago est Patris,sed repræsentatio vsionũ Danielis, & B.Ioannis Apostoli Rursum columba picta non est imago Spiritus sancti, sed illius columbæ,inqua in Iordane Spiritus sanctus descendit.Cæterùm eiusmodi picturæ,tametsi tolerentur ob mysticam significationẽ, sicut imago agni, quem Ioan. Baptista digito demon-

Isa. 40. 10.

Deut.4.5.

Actor.17. 29.

Dan. 7.9. Apo.5.11. Matth.3. 16.

demonstrat in pictura, & imago ouis gestatæ humeris Christi, quod hodie nobis Christianis, nullum subsit periculum idololatriæ: docendus tamen est frequenter populus, (ne in hæresim Anthropomorphitarum incidant) Deum corporis expertem esse, ac incircúscriptæ atque infinitæ maiestatis.

SECVNDA.

Coloss. 3. 2. Ad Colossenses scriptum est: *Quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram*, ergo mens est eleuanda ad cælum, non ad imaginem terrenam.

SOLVTIO.

Ex hac ratione pari modo sequeretur, non esse adeunda templa, nec percipienda Sacramẽta, nõ cogitandũ de Christi natiuitate, passione morte, & alijs, q̃ nõ in supnis, sed terris gesit. Itaque superna illa, de quibus Apostolus loquitur, non locis & partibus huius mundi (ait Beatus Augustinus) sursum esse intelligenda sunt; sed meritò excellentiæ, ne in eius mundi parte figamus animum nostrum, quo vniuerso debemus nos exuere. *Illi* igitur quærunt, quæ sursum sunt, qui omnia sua referunt eò, vt cùm CHRISTO aliquando regnent. Hi enim siue edant, siue bibant, dormiant, orent, seu domi, seu in templis, vel coram imagine, vel sine illa, in omnibus Deum quærunt: contrà verò, *illi* quærunt quæ sunt super terram, quorum finis venter est, aut res terrena: & tamẽ q̃ imaginẽ venerantur, non eã venerantur, vt est

L. 33. q. 28.

res terrena:

res terrena: neq; in ea honorem suum figunt, sed per eam transferunt ad πρωτότυπων honorem omnem, nempe ad Christum, aut ad Sanctum aliquem in cœlis agentem.

TERTIA.

Primæ Ioan. 5. 1. *filioli custodite vos à simulacris*, planè prohibentur omnes imagines.

SOLVTIO.

Quæcunq; eiusmodi dicuntur in sacra Scriptura, constat de idolorum cultu dici; à quo Christiani adeò debent abhorrere, vt non solùm idola non colant, sed nec vllum cum idolis cõmercium habeant, & non cibum quidem sumant, qui idolis est immolatus, sicut ad Corinth. latè probat B. Paulus: Christiani verò non tam simulachra adorant, quàm Prototypa ipsa per imagines. *1. Cor. 9. & 10. 2.*

QVARTA.

B. Epiphanius imaginem Christi velo suspensam, in templo dilacerauit, indicans repugnare sacris literis, imagines in templis haberi: hoc enim de se scribit in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quam fecit Latinam B. Hieronymus.

SOLVTIO.

Corrupta est hæc epistola à veteribus Iconoclastis, qui plurima istius Patris loca, vt in septima Nicæna Synodo apertè demonstratũ fuit, deprauarunt: ob id fortasse, quod scirent

B. Epi-

B.Epiphanium ex Iudæo factum Christianũ, & quasdam hæreses reprehendisse, quæ imaginibus non solùm Christi, sed nonnullorum etiam Philosophorum, adeoq; ipsius Pilati thura adolebant. Clarè enim patet à B.Epiphanio hoc figmentum non additum epistolæ, tum quod dictio omninò diuersa sit indigna B.Hieronym.tum quod concluſa iam & finita epistola, hoc figmentum ex abrupto adijciatur, cum toto præcedenti contextu nullo pacto cohęrẽs: tum quod Beatus Gregorius epist. ad Serenum Episcopum Massilienſem: qui in ſua ciuitate imagines cõfregerat, eum huius facti reprehẽdens, dicat hactenus à nullo Episcopo Catholico tale quid factum, quale Serenus designauerat: quod falso procul dubio asseueraſſet Beatus Gregorius, ſi id olim feciſſet Epiphanius, cuius epistolam à Beato Hieronymo verſam, virum doctiſsimum latere potuisse non est credibile.

Lib.9.ca.9.

QVINTA.

Ex Concilio Elibertino canone 36. *Placuit picturas in Eccleſijs esse non debere ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.*

SOLVTIO.

Hic canon satis expreſsè loquitur de non exprimenda diuinitate, quæ neque corpus, neque ſimilitudinem habere potest: *ne, inquit, quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur:* con-

ſtat

stat quippe circa tempora Constantini Magni (quibus hoc Cõcilium celebratum ex subscriptione Osij Cordubensis videtur) ortos fuisse Anthropomorphitas, qui cum Epicureis Deũ faciebant corporeum. His ne præberetur maioris erroris occasio, ex picturis historiarum veteris testamenti, quibus Ecclesiæ Christianorum ornari consueuerant, iussit Concilium 19. Episcoporum, eiusmodi picturas, de templis nonnullarum prouinciarum Hispaniæ per id tempus auferri, ob eam potissimum causam, quod antiquis illis Patribus Adamo, Abrahamo, Moysi, visibilem illam formam, qua Deus se illis ostẽdit, appingere necessum esset.

DE ORIGINE *Iconoclastarum.*

PRIMI Iconoclastæ, vt refert Tarrasius Patriarcha Constantinopolitanus in 7. Synodo Nicæna, fuêre antiquissimi hæretici, illi videlicet, qui in Christo negarunt humanam naturam, vt Marcionistæ, & Manichęi: hi enim cùm Christo non verũ, sed phantasticum corpus attribuerent, docuerunt etiã, illius phantasmatis nullas habendas, aut colendas imagines. Aduersus quorum errorem (vt author est Michael Singelus) scripsit Beatus Dionysius Areopagita: aduersus eosdem fortassis est editus canon ille ab Apostol. Antiochiæ, quem Pamphilus martyr in Biblio-

Actione. 5.

Primi Iconoclastæ.

Francisc. Turrianus li. 1. pro canon. Apostolorum c. 25.

theca Origenis repetit in hæc verba, *Vt qui saluantur* (id est, Christiani) *ne errent circa idola, sed ex aduerso* (hoc est, loco Idolorum Gentilium) *statuant eius qui Deus est, & homo, incontaminatam manu factam imaginem veri Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, & famulorum eius, contra idola & Iudæos: neque amplius errent circa idola, aut similes Iudæis existant.* Gentiles imagines colebant falsas, Iudæi & Iudaizantes hæretici nullas: vtrique vitari iubentur.

2. Hos deinde in eodem errore secuti dicuntur Arriani, inter quos grauiter in 7. Nicæna Synodo accusatur Eusebius Cæsarienſis.

Actio. 6.

3. Sub annum verò Domini 495. imperante

Li. 16. c. 29. Anastasio primo, vt est apud Nicephorũ, Persa quidam genere, fortuna seruus, nomine Xenaias, cui Petrus Gnaphæus nomen dedit Philaxeni, Episcopus Hierapoleos, non baptizatus, eandem hæresim contra veneratione imaginum induxit, & magna Monachorum manu, quos ipse sua hæresi imbuerat, stipatus, in vrbem veniens, cùm clero vellet manus inferre, grauem accepit à ciuibus cladem, & Monachorum cadauera in Orontem fluuium abiecta fuerunt.

4. Temporibus B. Gregorij Papæ (vt est in Limonario Sophronij) Dæmon conatus eandem hæresim persuadere Theodoro Anachoretæ, cùm nihil proficeret, persuasit Sereno Episcopo Massilienſi, vt ex Ecclesijs Massilienſibus imagines eijceret; sed hunc statim repressit B. Gre-

Gregorius binis literis.

His sopitis duo Iudæi, vt refert Ioannes Zonaras, conueniunt quendam Arabem, nomine Izitho, cui euecto ad Arabum principatum promittunt imperium, atque in eo longam vitam, si imagines ex toto suo imperio exterminaret: paret ille, & imagines vbique demolitur: sed anno nondum elapso moritur: vnde Iudæi in Isauriã profugiunt; vbi inuento opifici cuidam adolescenti Leoni Imperium prędicũt, si iurare velit, se adepto Imperio, id præstiturum, quod ipsi postularent: Iurat, euehitur ad imperium: Iudæi nihil aliud se postulare affirmant, quàm vt imagines ex toto Imperio Romano profliget. Quod cũ Leo imperator conaretur, resistẽtes impijs conatibus eius 12. sapientissimos viros, qui Romanis Imperatoribus à cõsilio esse cõsueuerant, cum domo & bibliotheca, vniuersaq; suppellectile viuos exussit, & reluctãtibus omnibus pijs, hæresim Iconoclastarũ inuexit: qua re motus Gregor. III. Pontifex, Imperium Occidentis illi ademit, quod postea Leo III. ab Imperatoribus Græcis ad Carolum Magnum transtulit. *Lib. 9. ep. 9. & 109.* *libr. 3.* 5.

Huic Leoni Isaurico successit in Imperio & impietate filius Constantinus quintus, cognomento Copronymus: homo improbus, magicis artibus, & incantationi deditus, multisq; falsis erroribus imbutus, vt qui Christi diuinitatẽ negârit, quemadmodum (teste Zonara) Anastasius Patriarcha Constantinopolitanus 6.

iureiurando confirmauit. De hoc eodem Sabellicus sic ait: *Constantinus Imperator elephantico morbo periit, maximusque consumptus doloribus dixisse fertur, addictus sum inextinguibili flammæ.*

Lib. 3. Enneadd. 8. li. 8.

7. Leo quartus huiusce filius non segnis paternorum studiorum æmulus atque imitator, cũ insano flagraret amore gemmarum, nec ex prophano conquisitis expleri posset: ex templi S. Sophiæ sacrario abstulit, cauillo vsus, Christum, cuius templum esset, pauperiem, nõ gemmas probasse. Depromptam igitur coronam ex sacro auro & gemmis contextam, sacrilego capiti imposuit, sed pœna statim secuta est. Nam caput sacrilegio pollutum, carbunculi apostemate intumuit, quo nomine fuerat gemma: pauciſque diebus vi morbi cõsumptus, iustas sui sceleris pœnas luit. Aduersus hos coactum est in Nicæa celeberrimum Concilium generale, quod Adrianus I. celebratis Romæ & Francoforti Synodis, damnata pseudosynodo Ephesina, quam eius ætatis hæretici falso nomine, septimam Synodum generalem appellabant, magno Patrum consensu approbauit. Hos veteres Iconoclastas posteriores Hæretici secuti, toties ex vniuersõ orbe damnatam atque sepultam hæresim reuocarunt.

DE

DE VENERA-TIONE SANCTO-RVM.

CAPVT XIIII.



DE cultu, veneratione que Sanctorum (quam olim temporibus Diui Hieronymi hæreticus Vigilantius impugnauit, *Quinq; præ-* infigniter & doctè à Patribus *positiones.* illius ætatis refutatus, atque damnatus) doctrina Catholica his quinque propositionibus, quantum satis erit, explicari potest.

HARVM PRIMA SIT: Sanctorum animas cum Christo in cœlis viuere, Dei vultum intueri, & perpetua gloria frui, iuxta verbum Saluatoris ad latronem: a *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso*: Et desiderium B Pauli, qui optabat b *dissolui, & esse cum Christo*. Christus b enim passione, & morte sua ianuas cœli reserauit, per quas ascendens ad Patrem, primos secum introduxit veteres illos Patres, qui ad eius vsque tempora in Limbo, siue, vt Christus loquitur, c in sinu Abrahæ asseruati fuerant captiui. d *Ascendisti in altum* (inquit Dauid) *cepisti captiuitatem*: vel, vt loquitur B. Paulus, e *ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*. Cœlorum

a *Luc. 23.* 43. b *Phil. 1. 13.* c *Luc. 16. 22* d *Psal. 67.* 19. e *Eph. 4. 8.*

lorum namque excelsa conscendens (ait in hunc locum D.Hieron.) eos, qui in captiuitate Diabolica tenebantur, absoluit, ac postse velut captiuos deductos æternæ vitę restituit. Quemadmodum igitur animæ impiorum, qui ducunt a *in bonis dies suos, in puncto ad infernum descendunt*, sicut de *b* diuite epulone, *c* Core, Dathan, & Abiron, & plerisque alijs ex Scriptura constat: pari modo, maioriqúe ratione animæ iustorum, vel hîc, vel post mortem purgatæ, statim in cœlos euolant, cùm Deus sit pronior ad præmia conferenda, quàm ad pœnas infligendas: Itaque in Apocalypsi animabus sub altari clamantibus, d *datæ sunt singulæ stolæ albæ*, hoc est, (vt ait B.Gregorius, & venerabilis Beda in hunc locum) gloria immortalitatis. De quibus animabus sic loquebatur B.Ioãni vnus de senioribus: e *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum DEI, & seruiunt ei die ac nocte*: si seruiunt, non dormiunt, non sopitæ sunt, nec vna cũ corporibus extinctæ.

a *Iob.21.13.*
b *Luc.16. 23.*
c *Num.16. 23.*
d *Apoc. 6. 11.*
In 4. Psal. pœnitent.
e *Apo.7.14.*

SECVNDA PROPOSITIO: Sancti cum Christo in cœlis æuum degentes, non ignorant quæ à viuentibus in terra geruntur. Quæ propositio varijs rationibus confirmari potest. Nam primò quidem, Angeli in cœlis, dum gaudent f *super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis*. vtique norunt in cœlis consistentes, quid in mundo agatur: non modò foris, sed intus etiam in cor-

Rationes.
1.
f *Luc.15.7.*

de pec-

de peccatoris, in quo est vera pœnitentia, & dolor de peccatis. Cùm igitur Sancti in cœlis sint a *sicut Angeli Dei* (vt Christus loquitur) hoc est, eiusdem gloriæ & beatitudinis, non ignorabunt vtique quid apud nos agatur. Secundò verò Patres in Limbo ante Christi aduentum nosse poterant, quæ fiebãt in terra: Sciebat Abraham b *Epulonem illum recepisse bona in vita sua, & Lazarum similiter mala*: Sancti igitur, qui nunc astant Deo, maioríque gloria fruuntur, potiori ratione eadem non ignorabunt. Tertiò, plerique in inferno non ignorant, quæ ad ipsorũ maiorem damnationem à viuentibus fiunt, sicut diues epulo nouerat fratres ad sui imitationem perditè viuere: multò ergo magis cognoscent Sancti, quæ à viuentibus gerantur ad suam maiorem gloriam. Quartò nonnulli viuentes absentia & futura, adeoq; cordis occulta non ignorarunt, vt Eliseus qui seruo suo Giesi, c *Nonne*, inquit, *cor meum in præsenti erat, quando descendit homo de curru suo in occursum tuum?* & Samuel Saũli, d *Omnia quæ sunt in corde tuo, dicam tibi: & de asinis patris tui, quos perdidisti*. B. Petrus absens sciebat, e Ananiam & Saphiram fraudasse de pretio agri, B. Paulus intuitus cor f claudi mendici, cognouit eum fidem habere, g vt saluus fieret. Idem raptus in tertium cœlum audiuit g arcana verba, & B. Stephanus ex Synagoga non impeditus vel tabulatis, vel tecto, vel loci distantia, *h* vidit cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.

a *Matth.* 22 30. 2. b *Luc.16.* 20. 3. 4. c 4.*Reg.5.* 26. d 1.*Reg.9.* 20. e *Act.5.4.* f *Act.14.9.* g 2.*Corin.* 12.4. h *Actor.7.* 56.

Denique Prophetæ futura & præcognouerunt, & prædixerunt. Si igitur hæc gratia fiuentibus, cur non etiam Beatis illis cum Christo iam regnantibus, eiusque gloriam intuentibus?

Tribus modis in notitiam rerum venimus.

Cæterùm, vt intelligamus quonam modo Sancti in cœlis à nobis absentes, in rerum nostrarum notitiam venire possint: considerandum est, quomodo viuentes res humanas cognoscant. Hoc porrò fieri inueniemus tribus modis: Primò dum rem ipsam vel intuentur, vel aliquo sensu percipiunt: veluti cùm homo hominem videt, eius actiones inspicit, verba 1. audit, mores considerat. Secundò, cùm quid 2. non in se directo intuitu, sed per reflectionem intuemur, quomodo ea videmus in speculo, quæ post tergum nostrũ sunt, & quæ alioquin videre nequimus, vt oculos, frõtem, faciemq; 3. nostram. Tertiò cùm absentia aliorum relatione discimus, velut per internuncios, literas, historias & scriptos libros, qui nobis non tantùm absentia, sed multo antè præterita referunt.

Vt Sancti cognoscant hæc inferiora. Cap. 15.

Et quidem de tertio modo, dubium nullum est, Sanctos in cœlis cognoscere quæ in terris gerimus, internũtijs Angelis, & ijs, qui ex hac vita migrant, vt B. Aug. de cura pro mortuis agenda, testatur: & B. Gregor. qui homilia 6. in Euangelia testis est, B. Ioannem Baptistam fuisse Christi præcursorem ad inferos, sanctisque Patribus annunciasse Christi aduentum,

a Iacob Patriarcha Angelos vidit ascendentes & descendentes scalam illam in cœlum vsque protensam: ascendentes quidem ad preces nostras offerendas, descendentes verò ad fauorē nobis diuinum impertiendum: b quod Raphaël Angelus se feciſſe testatus fuit seniori Tobiæ, & in c Apocalypsi Angelus legitur imposuiſſe incēsum, *quæ sunt*, inquit, *orationes Sanctorū*. a *Gen.* 28. 12. b *Tob.* 12. 12. c *Apoc.* 8. 3. & 5. 8.

Dubium etiam non est, quin secundo modo diuina reuelatione Sancti cognoscant, quæ ad ipsorum gloriam promouendam à nobis geruntur. Quemadmodum enim Rex quisp...m, si de assidentis sibi amici magno commodo, vel eximio aliquo bono, per literas certior factus esset, non existimaret amicum hoc iure amicitiæ celandum esse, cuius sciret gaudium his nouis vehementer augeri posse; ita Deus, qui sanctorum suorum perfectum gaudium desiderat, nihil eorum ipsos celat, quæ aliquo modo vel augere id, vel perficere possunt: eiusmodi verò sunt orationes, quæ ad ipsos à viuentibus effunduntur, & quæcunque in ipsorum gloriam ab ijsdem suscipiuntur. Mirabatur Elisæus sibi occultatam mortem filij Sunamitidis matrisque tristitiam: d *Anima eius*, inquit, *in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi*. *Simile.* d 4. *Reg.* 4. 27.

Cæterùm longè aliter viuentibus absentia reuelantur atque Sanctis, qui æterna gloria fruuntur; Illis enim nota fiunt occulta inspiratione, his autem contemplatione Diuinæ

essentiæ, in qua veluti in speculo res omnes & ab illis videntur, & sunt longè perfectius, quàm in semetipsis existant. Dominus Moysi exhibiturus essentiam suam contemplandam, *Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum*, id est, quicquid aliquo modo nomen & rationem boni habere potest, id omne in mea essentia, quam ego visurus, ostendam tibi. Et Beatus Ioannes, a *Quod factum est, in ipso vita erat*, id est, creatura omnis in Deo est, non quidem vt in se mortua, sine sensu, materialis, corporea, imperfecta; sed vita, id est, viuens, immaterialis, perfectissima. Itaque Beatus Gregorius de animabus sanctis loquens: *quæ*, inquit, *intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum, quia foris sit aliquid quod ignorent. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?*

Exod. 33. 19.

a Ioan. 1. 3.

Li. 12. mora. ca. 13. & li. 4. Dial. c. 33.

Vtrum Sancti primo modo res humanas intueantur, videtur habere dubitationem. Nam [b] B. Augustinus libro de cura pro mortuis agenda, tametsi non dubitet mortuos, vel diuina reuelatione, vel Angelorum, aut aliorum hinc migrantium denunciatione, rerum nostrarum fieri certiores; non audet tamen asserere Sanctos vbique esse præsentes, vbi ad eorum inuocationem miracula eduntur: Proinde ex eiusdem [c] D. Augustini, & [d] B. Gregorij sententia, dicimus defunctorum animas naturaliter per se nec adesse nobis, nec nostra contemplari; dono tamen beatitudinis & gloriæ, non

b Cap. 16.

c Cap 15. & 16. de cura pro mort.

d lib. 12. Mor. ca. 13.

non ex cęlis modò nostra intueri posse, sed diuino etiam permissu quandoque nobis adesse. Si enim concessum est[a] B. Stephano ex Synagoga Christum videre, & B. Paulo in tertio cęlo diuinam essentiam contemplari: nullum est inconueniens, si fateamur Sanctos è cœlis videre opera nostra in terris, sicut contemplantur pœnas dānatorum in inferno. Cùm enim nulla corporis mole præpediantur, non impediętur etiam locorum distantia, nec corporibus interiectis, quo minus preces nostras audiant, actiones intueantur, adeoq; in cordibus nostris & cogitationibus illa videant, quæ ipsis volumus manifesta. Quemadmodum enim sine externa voce aut sensibili signo, Angeli tũ sibi mutuò, tum animabus loquũtur, & vicissim ab illis audiuntur atq; intelligũtur: ita homines sola voluntate sua spiritibus tam bonis quàm malis, interna desideria & cogitationes aperire possunt, & ab illis intelligi: non obstante corpore quo vestiũtur, vel quauis loci intercapedine, tametsi magna: nolentiũ verò cogitatio, aut mens, præter vnum Deum, *qui solus scrutatur corda & renes*, aut cui voluerit Deus reuelare, patet nemini.

[a] *Actor. 7. 56.*

TERTIA PROPOSITIO: Sancti in cęlis non solùm viuentium necessitates nouerunt: sed maiori, quàm dum in terris agerent, charitate Deum pro illorum salute deprecantur. Quod varijs Scripturæ locis atque rationibus probari solet. Siquidem Angeli, quibus *Rationes.* 1.

Sancti

Sancti in cœlis à Christo similes futuri dicuntur, non rarò leguntur precati Deum pro Israëlitico populo, vt Zachariæ primo, vbi his verbis rogatur ab Angelo Deus: *Domine exercituum, vsquequo tu non miserebéris Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.* Addit deinde Propheta. *Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria*, quibus significare voluit, vsque adeò acceptam fuisse Deo precationem Angeli, vt statim quæ petebat impetrauerit. Similiter Danielis decimo. Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium Angelo agenti apud Deum causas populi Israëlitici cótra Principem Persarum.

2. Deinde in Apocalypsi, viginti quatuor seniores, qui à numero duodecim Patriarcharú, & duodecim Apostorum, Sanctos vtriusq; testamenti referunt, dicuntur a *Cecidisse coram agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt*, inquit Scriptura, *orationes Sanctorum*. Offerunt igitur Deo preces Ecclesiæ prostrati in terram, id est, precibus suis nostras preces iuuantes, Deoq; commendãtes.

a *Apo.* 15.8.

3. Præterea libro secundo Machabæorum ca. 15. Onias summus Sacerdos vita defunctus, apparens Iudæ Machabæo, de Ieremia Propheta sibi astante dicebat; *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate*: Ieremias verò porrecto Iudæ gladio, *Accipe*, inquit, *sanctum gladium, munus*

à Deo,

à Deo, *in quo deijcies aduersarios populi mei Israel*. Visionem probauit euẽtus: nam Iudas postridie Nicanorem, & triginta quinque hominum millia prõstrauit, Orige. hom. 3. in cant. eadem hac Scriptura Sanctorum inuocationem confirmat Et OEcumenius his verbis Apostoli Petri: a *Dabo autem operam, & frequenter habere vos, post obitum meum, vt horum memoriam faciatis:* 2.Pet.1.15. ait plerosque sanctos viros post mortem quoque horum, qui hic sunt, recordari, ac pro viuentibus intercedere, dum per traiectionem sic legi volunt: *Dabo operam etiam post obitum meũ, vt vos semper horum memoriam faciatis.*

Quartò, Sancti in cœlis aduersus impios subinde expetunt vindictam, vt videre licet Apocal. 6. vbi magna voce dicuntur clamare: *Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Multò igitur magis à Deo misericordiam pijs Christianis exorant. 4.

Quintò, Dæmones ipsi rogasse Deum legũntur, & impetrasse hominum quorundam pœnas, odio humani generis incitati: vt de S. Iob constat: & Matth. 9. vbi cùm aliud nõ possent, hoc vnum exorarunt à Christo, vt mitterentur in gregem porcorum, vt saltem illorum interitu, molestiam adferrent hominibus: Et diues Epulo pro fratribus Abrahamum rogauit, ne venirent in locum tormentorum. Et quidem quod ad rem præsentem attinet, parum refert, qua ratione ad orandum inducan- 5. Luc.16.28.

tur,

tur, siue metu grauioris supplicij, vt damnatis siue odio, vt Dæmones; siue fraterna charitate, vt Sancti: hoc enim solum quæritur, cur nó orare possint Sancti in cœlis, cùm orent Dæmones atque damnati?

6.

Sextò, viui pro viuis Deum orant, vt Beatus Paulus in varijs Epistolis, pro ijs Ecclesijs ad quas scribebat, se feciſſe commemorat. Atque in veteri Testamento Moyses, Elias, Daniel, Ieremias: *Si igitur Apostoli & Martyres* (inquit contra Vigilantium D. Hieronymus) *adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solicíti, orant pro cæteris: quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse cœperint minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas: & postquam esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est? & pro his, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit?* Ita D. Hieronymus.

a *Coloſ.* 1. 9. & 2. *Theſſ.* 1. 11. & *Rom.* 1. 10. & *Philip.* 1. 5. & 2. *Tim.* 1. 3.

QVARTA PROPOSITIO: Constat ex Scripturis, Sanctos in cœlis regnantes cum Christo, hæc terrena curare, & administrare: ita enim Dauid Propheta futurum prædixit: *b Constitues eos Principes super omnem terram*: quę principatum quia assecuti non sunt, dum in terris viuerẽt; afflicti potius, & ludibrio ab omnib. habiti, *c* omnium peripsema, & tanquã huius mũdi purgamẽta, vel, vt est Græcis, καθάρματα, id est,

b *Psal.* 44. 17.

c 1. *Cor.* 4.

id est, anathema, tanquam exitiales & scelesti homines; post hanc vitam obtinere debent, si Deus verax est in Scripturis suis. Quod alio loco idem Propheta Dauid non obscurè dixit: a *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Simile quid promittitur à Christo in Apocalysi Angelo Thyatirę: b *Qui vicerit, & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatē super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tāquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Clarè hîc dicit Christus eandem potestatem accepturos à Deo statim à morte Sanctos in cœlo, quam ipse accepit à Patre suo, Psal. 2. promissam: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionē tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea, & tanquā vas figuli confringes eos.* Datur itaque Sanctis authoritas impios cogendi, cohibendi, puniendi, & pios ex ipsorum manibus eripiendi.

a *Psal.* 149. 5.6.7.8.9.

b *Apoc.* 26.

Quando apud Matthæum, c & Lucam d seruo fideli promittitur à Christo: *Quoniam super omnia bona sua constituet eum*: manifestè indicatur Sanctos esse administratores bonorum Dei, atque hanc terram curare, cùm etiam illa in bonis Dei numeretur, & alibi, e *Euge serue bone, eris potestatē habens super decem ciuitates*, & alij, *eris super quinque ciuitates*: significauit (inquit Beatus

c *Matt.* 24. 48.

d *Luc.* 12. 44.

e *Luc.* 19. 17.

Ambro-

Lib 8 in Lucam. Ambrosius) *per ciuitates animas, quibus iure præponitur, qui pecuniam Domini sui mentibus hominum fœnerauerit*: nam sicut Angeli præsunt, ita & hi, qui vitam meruerunt Angelorum. Certè si Reges
a 1.*Cor.* 2.9. sunt, & Sacerdotes in cœlo: imò a *si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se*: nulla vel fuit, vel mente cogitari potest gloriæ potestas & imperium, quod cum Sanctorum præmio conferatur. Poterunt igitur beneficio gloriæ suæ, quicquid Reges potestate; quicquid opulenti diuitijs, quicquid docti sapientia. *Si ergo* Reges exercitu hostes profligant, diuites egenis subueniunt, medici arte curãt; id præstare poterunt Sancti non minus, quàm id præstiterũt
b 4. *Reg.* 9. 35. Angeli, *b* quorum vnus 185. millia vna nocte
c *Tob.* 11. 14 prostrauit, *c* alius Tobiæ lumen reddidit, *d* pe-
d *Tob.* 9. 7. cuniam à Gabelo tulit, & nuptijs filij parentũ
e *Act.* 12. 11. pauperiem, totamque familiam ditauit, *e* ter-tius Petrum carcere liberauit, &c.

QVINTA PROPOSITIO: Cùm Sãcti in cœlis summa gloria à Deo afficiantur,
f 2.*Pet.* 1.4. consortes quodammodo *f* diuinæ naturæ, vt loquitur Beatus Petrus, similes Deo, quem
g *Apo.* 3.12. clarè vident, sicut est in Apocalypsi: *g habentes super se nomen Dei scriptum, & nomen ciuitatis nouæ Hierusalem, & nomen Christi nouum*, id est, diuinitate repleti, & gloria cœlesti, vt Christi cohæredes, *h* nimis honorati à Deo, id est, magis quã
h *Psal.* 138. 17. mens humana capere possit, meritò à viuentibus omnem honorem accipere merentur & debent,

debent, qui alicui creaturæ in hoc mundo sine reprehensione defertur. Excipio honorem diuinum, vtpote, de quo Deus sic loquitur: a *Gloriam meam alteri non dabo.* Proinde quicquid exhibetur principibus, parentibus, aut quibuslibet hominibus; quicquid etiam Angelis, id meritò deferri potest ac debet Sanctis cum Christo viuentibus. a *Isa.* 42. 8.

Porrò ne erretur in hoc cultu & honore, cõsiderandum erit, quis honor soli Deo debeatur: quod Christus his verbis expositit: b *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Solus ergo Deus est adorandus, soli etiam Deo seruiendum. Sed quia in Scripturis hæ voces adorandi & seruiendi aliquando creaturis tribuuntur, c sicut Loth dicitur duos Angelos adorasse, d Abraham filios Heth, e Iacob cum vxoribus & filijs, Esau fratrem, f Nathan Prophetam Dauidem Regem; necessum est has voces duobus modis accipi, vno vt soli Deo conueniant; altero, vt etiam creaturis. Et posteriori quidem modo significant externum aliquem cultum, aut venerationem: vt adoratio sit honorem externum exhibere, caput aperire, genu flectere, in terram se abijcere: qui honor olim Regibus habebatur, & nunc quoque parentibus vel præceptoribus offensis filij & discipuli supplices fiunt: quod tamen adorationis genus imperfectum est, in externa ceremonia consistens. Priori igitur modo significatur interna reuerentia, & subiectio: estque perfecta b *Matt.* 4. 10. *Quid adoratio.* c *Gene.* 19. 1. d *Gen.* 23. 7. e *Gen.* 33. 3. f 3. *Reg.* 1. 23. *Adoratio creaturæ.* *Adoratio Dei.*

fecta adoratio (quam Græci λατρειαν vocant, soli Deo exhibendam) non contenta veneratione externa: sed per illam plenè atque perfectè se homo Deo subijcit, & cernitur, primò
1. quidem in eo, vt intellectus agnoscat Dei magnitudinem & excellentiam, eumque creaturarum omnium conditorem: deinde verò vt
2. voluntas ex hac consideratione se ipsam totã Deo creatori submittat, atque in ipsum tanquã in vltimum finem sua omnia referat: tertio vt
3. actus aliqui externi edantur, quib. hunc animi nostri affectum foris testificemur, & manifestemus: veluti genua flectere, vel corpus in terrã prosternentes, aut pectus tundentes, &c.

Itaque adorare cultu diuino, non est genua flectere, aut caput aperire, vel se inclinare quauis intentione: sed hæc ipsa, vel alia id genus exhibere, aut præstare ea mente, vt cultu externo perfectam hanc internam subiectionem protestemur: Vnde sequitur externam venerationem ex se non esse latriam, sed ex sola illa interiori, à qua exterior illa pendet, nomẽque & speciem accipit: Cùm enim *Iudentes*
a Marc. 15. 20. *a* Iudæi Christo genua flecterent, *non fuit adoratio*, sed irrisio: pari modo si principem, parentem, præceptorem simili cultu externo honoremus, non erit latria, sed honor humanus,
b Actor. 10. 26. nisi in mente sit error: sicut *b* Cornelius Centurio B. Petro Apostolo, & *c* B. Ioannes Angelo honorem diuinum exhibere cogitabant.
c Apoca. 19. 10. & 22. 8. Hæc paucis explicauit Christus Samaritanæ;

a qui

3. qui adorant Deum, in Spiritu & veritate oportet adorare. In Spiritu, hoc est, vt externa adoratio ab interna ducatur: *In veritate*, hoc est, sine mendacio, vt mens conformis sit externæ actioni, ne corpore prostrato animus sit erectus: ne manibus eleuatis in cœlum, animus in terra hæreat: ne voce orantes, mente taceamus, &c. a *Ioan. 4. 24*

Simili modo est explicandum nomen *seruitutis*, cùm dicitur *soli Deo seruiendum*. Hominibus enim seruire, est obsequium aliquod præstare, quod mandat B. Apostolus seruis, *vt cum bona voluntate Dominis suis seruiant*; Deo verò seruire, est omni ex parte ei subditum esse; *vt siue manducamus, siue bibimus, siue quid aliud facimus; omnia in gloriam Domini nostri faciamus. Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus.* *Seruitus.* *Ephe. 6. 7. & Colos. 3. 22.* *1. Cor. 10. 31. & Col. 3. 17.* *Rom. 14. 8.*

Ex his facilè intelligimus, quis & qualis possit ac debeat honor Sanctis tribui, & quis soli debeatur Deo. In primis namque interna reuerentia, & agnitio summæ maiestatis, qua credimus dono fidei, ad vnum Deum pertinet: in quem vnum credimus, non in aliquem Sanctorum. Deinde interna voluntatis submissio, qua nos vni Deo subijcimus, in ipsum speramus, ab ipso pendemus, eum toto corde, tota anima, & mente diligimus. Tertiò actus omnes exteriores, qui tali intentione & mente eduntur. Porrò horum actuũ quidã ex se hãc mentem & intentionem significant: alij non per se *Honor soli Deo debitus.* 1. 2. 3.

quidem, nisi peculiariter eò referantur. Prioris generis sunt sacrificij oblatio, altarium, & templorum erectio, votorum nuncupatio, de quibus multa a B. Augustinus & b Damascenus. Atque in Exodo sic loquitur Deus : c *Qui immolat Dijs occidetur, præterquam Domino soli.* Posterioris generis actus creaturis etiam exhibentur, mutata mente atque intentione : sicut de capitis apertione, prostratione, atque id genus alijs diximus. Proinde nullam Deo *infert iniuriam*, qui Sanctis omnem illum *honorem*, affectum & cultum, tam internum, quàm externum defert, & exhibet, qui sine reprehensione deferri potest creaturis, seu Angelis, seu hominibus. Sunt ergo amandi & metuendi; sunt laudandi atque rogandi, tum vt pro nobis apud Deum intercedant, tum vt ipsi nobis opitulentur: sunt illis genua flectenda, capita aperienda, lumina accendenda, statuæ erigendæ, supplicationes decernendæ : quæ omnia principibus viris fieri sine obloquio consueuerũt. Atque hæc omnia vsque adeò non repugnant Scripturis, aut rationi, vt his omnino consentanea B. Paulus in varijs Epistolis precatus est Christianos, d vt se ad Dominum in orationibus suis iuuarent, vt e *in omni instantia & obsecrationibus, pro omnibus sanctis & pro se orarent*: f *vt fierẽt obsecrationes, orationes, postulationes, pro omnibus hominibus*. g Deus mandauit Eliphæ Themanitæ, vt B. Iob orationes peteret. Si igitur viuentium preces licet implorare, cur non etiam Sanctorum,

a *Lib. 10. de ciuit. cap. 4. lib. 20. contra Faust. Mani. ca. 21.*

b *lib. 4. ortho. fidei cap. 16.*

c *Exod. 22. 20.*

d *Ro. 15. 30.*

e *Ephe. 6. 18.*

f *1. Tim. 2. 2.*

g *Iob. 42. 8.*

rum, non iam mortuorum, sed cum CHRISTO regnantium? Præterea ab hominibus bonis frequenter inuocati sunt Angeli: *a* nam & Loth rogans Angelum pro conseruatione oppidi Segor, quod petijt impetrauit: de Patriarcha Iacob sic dixit Oseas, *b Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit & rogauit.* Si ergo rogari possunt à viuentibus Angeli, poterunt & Sancti, qui sunt *c* sicut Angeli Dei.

a *Gen.* 19. 20

b *Ose.* 12. 4.

c *Mat.* 22. 31

Si maiorum traditionem de hac Ecclesiæ doctrina inspiciamus, vix inuenias Doctorum aliquem, qui non & vehementer inuocationem Sanctorum commendarit, & ipsemet Sanctos inuocarit.

OBIECTIONES *Hæreticorum.*

PRIMA.

ADuersus hanc Catholicam doctrinam, multa quidem ab aduersarijs obijciuntur, sed eorum nonnulla ex præcedentibus, quale est, quod Anabaptistæ plerique volunt, animas in abditis quibusdam locis quiescere, nec ante diem iudicij cum Christo in paradiso cœlesti viuere: Et quod aiunt reliqui, Sanctos ignorare quæ apud nos geruntur, nec preces nostras intelligere. Aliæ igitur adferendæ sunt obiectiones, quarum prima est: CHRISTVS est d *vnus mediator Dei & hominum*, non sunt igitur Sancti vlli mediatores, ne ipsi qui-

d *1. Tim. 2. 5*

dem Apostoli, vt inquit *a* Beatus Augustinus: non ergo pro nobis orant, neque vt id præstent sunt à nobis solicitandi.

a *Lib. 2. con. epist. Par. cap. 8.*

SOLVTIO.

Eodem argumento conficietur, nec Sanctos Angelos pro nobis orare: nec esse rogandos viuentes: peccasseque B. Apostolum Paulum, qui, vt superius ostendimus, viuentium preces sibi expetijt. Proinde dicendum, vnum quidem esse Mediatorem, sicut apud Matthæum dixit Christus: *b vnum esse patrem & vnum magistrum*; nō tamen incommodum esse, si plures sint mediatores, sicut plures sunt patres & plures magistri. *c* Beatus Apostolus apertè fatetur, Moysen fuisse Mediatorem inter Deum & populum Israēliticum, quod eiusmodi nomina longè aliter Christo atque hominibus in Scripturis tribuantur: illi excellentiori ratione, hominibus verò quadam participatione. *d* DEVS solus dicitur bonus, & tamen *e* omnis creatura Dei bona est; sed Deus natura sua est ipsa bonitas creaturæ bonitate participata. Ita Christus omnium est magister, quia vt foris, ita & intus docet: cæteri verò doctores atque magistri (vt Nicodemus *f Magister in Israel*) externa tantùm voce instituūt. Sic mediator est Moyses, & sunt mediatores Sancti & Angeli, qa & intercessores, & deprecatores: Christus verò longè excellentius & magis ꝓpriè, tū quia natura medius inter Deum & hominē, cū vtramq; naturā in vna

b *Matth. 23. 8. 9.*

c *Galat. 3 30.*

d *Matt. 19. 17.*

e *1. Tim. 44*

f *Ioan. 3. 10.*

Christus vt Mediator.

na personahabeat: tumquia vtriq; parti satisfecit, nempe DEO Patri offenso, & hominibus à DEO auersis. Is namque verè est Mediator inter partes, qui vtrasque componit, maximè si de suo hoc faciat: & læsæ quidem satisfaciat, alteram verò siue iustè, siue iniustè auersam, quacunque ratione, etiam muneribus placet. Læsus & offensus erat Deus Pater peccatis hominum: satisfecit ei persoluto sanguinis pretio & morte obita Christus: homines tametsi rei, qui DEVM sceleribus suis ad iracundiam prouocarant, auersi tamen à DEO mala voluntate, tanquam indignati in gratiam redire nolebant: hos etiam placauit misso Spiritu sancto, cœlestique gratia, alijsque donis & charismatibus, vt iam verus mediator reconciliauerit ima summis, *interficiens inimicitias in semetipso, reconcilians nos Deo, per crucem & mortem suam.* Eph.2.16. Hanc prærogatiuam mediatoris soli CHRISTO, qui est vnicus mediator DEI & hominum, tribuit Apostolus.

SECVNDA.

Christus pro nobis orat Patrem, a *qui semper viuit ad interpellandum pro nobis*: b *quem habemus aduocatum apud Patrem*; cùm igitur ille c semper exaudiatur pro sua reuerentia, non opus erit alijs precatoribus, ne videamur iniuriam irrogare orationi Christi, tanquam minus efficaci.

a Heb.7.25
b 1. Io.2.1.
c Heb.5.7.

SOLVTIO.

Etiam hac ratione efficeretur, non esse implorandas orationes viuorum, ne minus efficax habeatur oratio Christi. Est igitur dicendum, non ob id Sanctos pro nobis Deum precari, tanquam Christi oratio minus sufficiat: sed primum quidem ad Christi dignitatem ostendendam; qui, tametsi pro nobis patrem oret, oratur tamen ipse, & à nobis, & à Sanctis pro nobis. *Nam reuerentur* (inquit Beatus Bernardus) *in Christo homines diuinam maiestatem, vt opus sit mediatore ad mediatorem istum.* Deinde verò ad malitiam peccatorum nostrorum detestandam, quæ tanta est, vt ipsi per nos soli, nec ad Deum Patrem, nec ad Filium accedere audeamus, sed interpellatores quæramus Deo chariores, vt Sanctorum meritis, & precantium multitudine, Deus ad misericordiam inflectatur.

Cur Sancti pro nobis orent.

1.

Serm. vlt. de assump. B. Vir.

2.

Neque verò existimandum est, Christum eo modo apud Patrem pro nobis intercedere, quo modo rogant vel viuentes, vel Sancti in gloria: quia non anxiè, non dubitanter, non supplicis more petit, sed tanquam authoritatem habens, & suo iure, exhibitis meritis, postulat quidquis. atque vt discrimen hoc inter Christi intercessionem & preces Sanctorum cognoscatur, valebit hæc similitudo: Si fingamus à Rege in carcerem coniectos centum mercatores ob debitum quinquaginta millium coronatorũ; & illos cùm soluendo non sint, vel de vita vel

Discrimen inter Christi intercessionem & preces Sanctorum.

vel de perpetuis vinculis periclitari : Fingamus rursus nobilem virum, vt captiuos illos in suam transferret potestatem, omniq; debito liberaret, soluisse Regi centum coronatorum millia (duplũ videlicet eius debiti, quod Regi erat dandum) hac tamen conditione, vt pro suo arbitratu, quos vellet, de carcere educeret, libertatiq; donaret. Nobilis sanè iste, alia nulla oratione apud Regem vtetur, quàm memoria persoluti pretij, sed si quis alius, seu consanguineus, seu amicus pro captiui alicuius liberatione instet, precibus erit opus, adeundusq; nobilis, & per precium ab ipso solutum rogandus. Rex iste est Pater cœlestis, debitores nos, qui suam maiestatem peccatorum grauitate offendimus; debitum igitur contraximus magnum, & amplius quàm decem millium talentorum: Christus verò abundè pretio sanguinis sui, hoc debitum persoluit, & amplius dedit, quàm debitum fuit, (siquidem peccata hominum numerari possunt, merita Christi numerari non possunt) vnde hoc obtinuit à Patre æterno vt ei *a data sit omnis potestas in cœlo & in terra*; & b *sicut pater quos vult viuificat, sic & filius quos vult viuificat*, & quibus vult, peccata condonat, bonaq; largitur; eius ergo orare est, merita ac passionem exhibere, atque per illa, suo iure captiuos missos facere. Sancti verò homines, cùm nullum ius prætexere possint, rogant & supplicant, Christiq; merita passionem & mortem pro nobis offerunt. Hinc & il-

Similitudo.

a Mat. 28. 18
b Ioan. 5. 21

lud discimus, nunquam esse rogandum à nobis Christum, sicut rogantur Sancti, vt oret pro nobis: sed vt gratiam, & bona cœlestia impertiatur nobis.

TERTIA.

Sancti in cœlis laborum suorum & meritorum perfectissimam atque plenissimam mercedem receperunt: ipsis igitur nihil amplius, vel pro se, vel pro alijs debetur: neq; ipsi orationibus quicquam impetrant viuentibus.

SOLVTIO.

Sancti quidem in cœlis nihil vel *sibi* meretur, vel nobis: attamen in præmio antecedentium meritorum continentur magna amicitia & familiaritas cum Deo: cùm igitur amicus omnis ius habeat petendi & impetrandi ab amico, fit, vt tametsi nihil amplius merentur, rogent tamen pro nobis: & pars præmij ipsorum est, vt ne repulsam patiatur, sed quod petunt, exorent; rogare autem non est mereri.

QVARTA.

Col. 2. 18. B. Paul. ad Colo. 2. *nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum*: videtur consuetudinem Christianorum reprehendere, qui nimia humilitate Angelos ad Patrem mediatores quærunt, quod se indignos iudicent, qui per se exaudiantur.

SOLVTIO.

Nihil hic B. Paulus contra piam Christianorum consuetudinem agit, sed contra hæreses

Simo-

Simonis Magi, & Gnosticorum, qui, vt author est B. Epiphanius, docebant oblatis sacrificijs Angelos colere, tanquam vitæ suæ authores, quod non existimarent homines à Deo, sed ab Angelis creatos, quos constituebant mediatores inter Deum & homines vana & superstitiosa humilitate. Quæ hæreses cùm potissimum viguerint in Asia, vbi erant ciuitates Colossenses & Ephesina; factum est, vt B. Paulus tres suas epistolas ad Colossenses, ad Ephesios, & priorem ad Timotheum Episcopum Ephesinum, aduersus has hæreses dederit atque in ijs multa de Angelis, deque Christi authoritate differuerit: quod sit *a Mediator Dei & hominum*: b *supra omnē principatū, potestatem, virtutē & dominationē*: c *in quo sunt condita vniuersa, in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates.* Hæc hæresis vsque ad tempora Concilij Laodiceni cùm perseueraret, in eo d Concilio decretum fuit, non oportere Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere. Similem cultum exhibuerunt olim in Arabia mulierculæ quędam Beatæ Mariæ Virgini, offerentes in sacrificium collyridem. Sed has idololatrias, vt graues blasphemias abominantur tam Christiani viuentes, quàm Sancti glorioſi, qui se Dei ministros, non autem Deos agnoscunt,

a *Tim.* 2. 5.
b *Ephe.* 1. 21
c *Colo.* 1. 16.
d *cap.* 35.

QVIN-

QVINTA.

Ad Roman. 10. Paulus his verbis: *Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt?* videtur significare neminem inuocãdum, præter vnum Deum, in quem solum est credendum: non igitur sunt inuocandi Sancti.

SOLVTIO.

Pari ratione sequetur, non esse inuocandos, aut rogandos viuentes, cùm in illos nemo credat. Non hoc igitur vult B. Paulus, neminem inuocari aut orari debere, nisi eum vnum, in quem credimus, qui est solus Deus: sed hoc tantum dicit, neminem inuocare, orare, aut honorare posse Deum, si eum ignoret, & in eum nõ credat; loquiturq; satis apertè, de inuocatione Dei, sicut ex antecedentibus patet: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

Act. 2. 8.

SEXTA.

Deus per se potest adiri, nec opus habet intercessoribus, qui aditum parent ad instar Magnatum, qui & absentia ignorant, & inordinata ira commouentur, vt mediatoribus sit opus ad eorum animos placandos. His cùm non sit opus Deo, qui omnia intuetur priusquam fiãt, & maiori misericordia abundat, præditusque est, quàm vlla creaturarum: non opus erit intercessoribus.

SOLVTIO.

Etiam ex hac ratiocinatione, si vera est, con-

ficitur,
talibus
immed
docet
interce
nostras
sericor
in cæte
præstar
spiritu
dem pa
uare, inf
tem eru
rum, v
ditioru
ris eruc
potu vi
vel lab
re: vult
mur pa
sulcent
res susc
manite
lud face
inquien
pro vobis
eius susci
Que
stare o
sas secu
antur, n

ficitur, non esse mortales intercessores à mortalibus vsurpandos atque appellandos, cùm immediatè Deus possit adiri. Itaque non ob id docet Ecclesia Sanctos orandos, quasi eorum intercessione Deus indigeat, qui per se preces nostras exaudit, per se misericors, & pater misericordiarum: sed vt intelligamus Deum, qui in cæteris rebus externis, quas posset per se præstare, causis secundis vtitur, etiam in rebus spiritualibus adhibere easdem. Posset ille quidem pauperem in necessitatibus per se subleuare, infirmum curare, hostes depellere, mentem erudire: vult tamen in his vti opera aliorum, vt nempe pauperes implorent auxilium ditiorum, infirmi medicorum, & indocti à viris eruditis instituantur. Posset & sine cibo & potu vitam nostram propagare, aut sine cura, vel labore nobis de necessarijs vitæ prospicere: vult tamen vt in sudore vultus nostri vescamur pane nostro, & vt agricolæ terram aratro sulcent, semina spargant, aliosq; graues labores suscipiant. Sic poterat Deus Eliphan Themanitem orantem exaudire, tamen placuit illud facere, per intercessionem Sancti Iob, *Ite*, inquiens, *ad seruum meum Iob, & offerte holocaustũ pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non imputetur vobis stultitia.* Iob 42.

Quemadmodum igitur Deus, qui per se præstare omnia potest, quæ tamen statuit per causas secundas efficere, si causæ illæ non adhibeantur, non præstabit, sicut in his, quæ paulò ante

tè commemorauimus, est manifestum: ita quæ Deus Sanctorum precibus statuit largiri, sine illis non largietur, tametsi ipsemet roges, & vehementissimè vrgeas. Constat hoc in miraculis sanitatum, similibusq; donis, quæ beneficijs & precibus Sanctorum, supra vires naturæ consequimur. Cur autem velit Deus has causas secundas, id est, Sanctorum orationes adhiberi; multæ possunt adferri rationes. Prima, vt præcellentissimam Dei Maiestatem & amplitudinem melius cognoscamus, cuius serui sunt Principes orbis terrarum, & patroni Regum ac populorum: Domini enim dignitas, ex præstantia ministrorum elucet. Quamobrem qui Sanctos docent imbecilles esse, rerum nostrarum ignaros, homines mortuos: parum gloriosè de Deo sentiunt & loquuntur. Dauid propheta significat, ad Dei gloriam pertinere Sanctorum honorem, cùm in Psalmis canit, a *Laudate Dominum in sanctis eius*: &, b *mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Secunda, vt dum peccatorum nostrorum sordes cum Dei Maiestate coniungimus, maiori in ipsum feramur reuerentia & humilitate, adhibitis intercessoribus, qui pro nobis deprecentur: placuit enim Deo humilitas Publicani, c *qui non audebat oculos in cœlum attollere*, & d Centurionis, qui non arbitratus se dignum, qui CHRISTVM ipse accederet, misit seniores Iudæorum. Tertia ad depellendam à peccatoribus

Cur Deus velit sanctos orare pro nobis.

1.

a *Psa.*150.1.
b *Ps.*138.17.

2.

c *Luc.*18.13.
d *Luc.*7.5.

3.

bus desperationem, qui dum se indignos existimant, quos Deus exaudiat, verenturque per se adire CHRISTVM, in quo reuerentur diuinam maiestatem (vt inquit Beatus Bernardus) indigent mediatore, ad mediatorem CHRISTVM. Itaque quondam filij Israel specie ac maiestate Dei perterriti, dixerunt Moysi: a *loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Ad hanc infirmitatem nostram se DEVS accommodans, concessit patronos Sanctos, qui nobis similes aliquando fuerunt peccatores, vestiti carne humana & experti infirmitatem nostram, sicut Israelitis dedit Moysen mediatorem & interceſſorē. Quarta, ad deprimendam superbiam nostram, vult à nobis coseruos nostros honorari, eisque ab ipsis etiam imperatoribus honorem summum exhiberi, *qui* (vt inquit Beatus Chrysostomus) b *ante loculum Petri piscatoris, & Pauli tabernaculorum fabricatoris in terram prosternuntur.* Quinta, vt ad rectè viuendum incitemur, viso honore à Christianis hominibus exhibito illis, qui virtutes, dum in terris agerent: seriò coluerunt. Ita veteres Episcopi, vel ob hoc Sanctorum Martyrum festos dies magna veneratione celebrarunt, vt Christiani ad Martyrum imitationem accenderentur, quos Martyrij gloria intelligerent constitutos Ecclesiæ apud Deum patronos. Sexta, vt nobis commendetur meritum passionis CHRISTI, quo præstitum est, vt

a *Exo. 20. 19*

4.

b *Hom. 66. ad pop. Hom. 26. in 2. ad Cor.*

5.

6.

Sancti

Sancti non solùm in cœlis viuant in gloria Patris, sed vt in summam dignitatem euecti, sint curatores hominum, Regum patroni, & Principes super omnem terram. Nam si quis abiectum aliquem hominem Regi aliquo officio reconciliet, multum is quidem præstiterit: plus tamen fecerit, si eum non solùm in gratiã restituat, verùm etiã efficiat, vt eum Rex sibi adoptet filium, & Regni totius constituat Patronum.

SEPTIMA.

Apocal.19.10.& 22.8. cùm B. Ioannes adoraturus Angelum, in terram se abiecisset, his verbis prohibitus est: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum: Deum adora.* Ergo veneratio non est exhibenda Angelis, aut Sanctis.

SOLVTIO.

Non hoc sequitur, sed potius illud: Ergo Sancti vel Angeli eo pacto adorandi non sunt, quomodo B. Ioan. hos Angelos venerari statuerat, nempe diuino honore, vt aiunt B. Athanasius & D. Augustinus. Quia enim crebrò Christus illi in forma Angeli oblatus fuerat, existimabat etiam tunc illum esse Christum, qui sibi loquebatur: maximè quia diceret: *Ecce venio velociter.* Respondet Angelus, se non Christum esse, sed seruum Christi, atque illum esse adorandum diuino cultu: hoc est, quod dicit *Deum adora*, seu, vt legit B. Cyprianus, *Dominum Iesum adora.*

Orat.3.in Arianos.c.8.de Pastoribus.

Lib.de Patientia.

OCTA-

OCTAVA.

Magnus videtur in eo abusus, quod Sanctos inuocemus oratione Dominica, cùm neq; sint Dij neq; Patres nostri in cœlis: Præterea quod Christum, aut sanctam Trinitatem verbis de cœlo ad B. Virginem allatis salutemus.

SOLVTIO.

Dum in honorem Sanctorum recitamus orationem dominicam, non tam alloquimur illos, quàm Deum ipsum, quem tali oratione precamur. Recitamus tamen eam in honorem Sanctorum, quibus velut libellum supplicè Deo offerendum, suisq; precibus commendandum tradimus. Salutationem porrò Angelicam non Christo, sed eius matri recitamus, cui orationes nostras Deo factas, tali salutatione cõmendamus, vt quæ est humani generis patrona & aduocata, negotia nostra Deo exposita curare dignetur.

NONA.

Si quid possunt Sancti, vbique id possunt, & vbiq; rogandi sunt: non igitur discurrendum est, aut peregrinàdum ad certa loca, vt illic votorum & precationum nostrarum compotes efficiamur.

SOLVTIO.

Fatemur Sanctos totius orbis loca, & vniuersum genus humanum summa charitate cõplecti: peculiari tamen ratione & cura ea loca fouent, in quibus sacra illorum ossa asseruan-

a *Lib. de viduis.*
b *De Martyribus Taurinens.*
c *Cap. 16. de cura pro mort.*
d *in Felice.*
e *Ser. de Epyphodio & Alexandro.*
f *2. Mach. 15. 14.*
g *Epi. 137.*

tur (vt testes sunt B. *a* Ambrosius, B. *b* Maximus Taurinensis, B. *c* Augustinus, B. *d* Paulinus Nolanus, & reliqui veteres) *Et vbi super eos furor incubuit passionis*, sicut loquitur *e* Eusebius Emissenus. Denique illum populum meritò præteris curant, ex quo originem ducunt: quomodo *f* Ieremias Propheta legitur multum orasse pro populo Israel *g* B. Augustinus tametsi non ignoraret Deum, & Sanctos vbiuis exorari posse, misit tamen ex Aphrica Clericos suos Nolam Campaniæ ad memoriam S. Felicis, vt illic obtinerent, quod occulto Dei iudicio obtinere alibi non poterant.

DECIMA.

Displicet etiam quod ad varios morbos varij Sancti coluntur & inuocantur: quasi non possint omnia omnes.

SOLVTIO.

Non negat quidem Ecclesia Sanctos omnes omnia posse apud Deum: docet tamen etiam non aduersari fidei, si quemadmodum diuersa sunt ministeria *h* Angelorum bonorum atque malorum, quorum *i* alij præsunt hominibus, alij regnis, alij elementis (vnde in Apocalypsi habemus Angelum aquarum & ignis) sic etiam Sanctis beatam cum CHRISTO in cœlo vitam degentibus, & hæc inferiora administrantibus, pro diuersitate meritorum, diuersa vel loca commendata dicantur, vel dona ad fidelium Christianorum auxilium. Quemadmo-

h *Mat. 18. 10*
i *Dan. 10. 14*
Apo. 16. 5.
Rom. 12. 3.
1. Cor. 12. 12.

modũ enim in hoc mundo diuersa sunt charismata: ita fieri potest, vt in futura quoque vita diuersæ sint in Sanctis administrationes.

DE SANCTORVM RELIQVIIS.

CAPVT XV.

SANCTORVM reliquias docet Catholica Ecclesia non abijciendas sed in magno honore & pretio à Christi fidelibus habendas, his præcipuè de causis.

PRIMO quod dum viuerent, templa fuerint Spiritus sancti: à quo etiam post mortem retinent sanctitatem. Non enim (quod blasphe mus ille Constantinus Copronymus volebat) instar crumenæ pecunijs vacuæ, existimanda sunt Sanctorum ossa, Spiritus sancti præsentia & sanctificatione destituta: cùm habeant etiamnum sanctitatem, & vim contactu suo sanctificãdi, quemadmodum B. Chrysostomus in Genesin scribit, & B. Basilius, cum fratre suo Gregorio Nysseno. 1. *Cur Ecclesia honoret Sanctorum reliquias.* *Hom. 15. in Psal. 115.* *Hom. de S. Theodoro.*

SECVNDO, quod corpora Sanctorum membra sint Christi, non solùm ob inhabitantem Spiritum Christi in ipsis, ob quẽ mortalia 2.

corpora suo tempore viuificabuntur: sed ob
1.Cor.10.17. Christi quoq; corpus, per quod efficitur. *Vt vnii*
Rom.8. *corpus simus omnes, qui de illo vno pane manducamus,* &
Ioan.6.57. vt corpora ipsorum sint resurrectura in resurrectione iustorum, sicut ait Saluator, *qui manducat me, & ipse viuet propter me. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

3. TERTIO, quia eorum res, qui nobis sunt maximè coniuncti & chari, magna diligentia conseruare solemus atq; venerari, præcipuè si magni sint viri, qui nobis illas res suas sibi charissimas commendauerunt. Nulli sanè præstantiores sunt Principes quàm Sancti, qui diuinitate pleni cum Christo sola terrarũ gubernant: nec quisquam Christiano homini magis esse coniunctus debet, quàm illi qui cũ Deo sunt coniunctissimi. Illi ergo cùm nobis commendauerint sua corpora, quibus in hac vita nihil habuerunt charius, quo erga illa animo esse debemus.

4. QVARTO, quod sanctos Angelos legamus affecisse honore Sanctorum corpora, quorum ministerio sepultus est Moyses, cuius corpus prætexit Michael Angelus, vt author est B. Iudas Apostolus.

5. QVINTO, irrationabiles creaturæ legun
a Dan. 6.21. & 14.40. b 3.Reg. 13. 24. tur Sanctorum corporibus tum viuentium, tũ defunctorum non rarò peperciſſe, vt a Danielis, & b Prophetæ illius inobedientis iussu Dei occisi, trium puerorum in camino ignis, *quos i-*

gnis

quis non contristauit, neque quicquam molestiæ attulit.

SEXTO, Deus ipse miraculis Sanctorum corpora honorare solet: vt *a* qui ad contactum a ostium Elisei mortuum excitauit, *b* pallio Eliæ Iordanem diuisit, vmbra B. Petri, & sudarijs atq; semicinctijs B. Pauli languores sanauit, Dæmones eiecit, multaq; alia, & olim Patrum memoria ad Sanctorum reliquias patrauit, & etiam nunc præstat. B. Ambrosio reuelauit corpora Sanctorum Martyrum Geruasij & Prothasij, vt ex locis obscurioribus prolata populi deuotioni & cultui proponerentur: refert Damascenus & Sozomenus de Sãctorum ossib. defluere oleum ad populi sanitatem, sicut & Eugrius, & Constantinus Episcopus Titij aiunt grumos sanguinis ex sepulchro B. Euphemiæ Martyris emanare. 6. 4. *Reg.* 13. 4. *Reg.* 2. & 8. 14. *Actor.* 16. *Li.* 4. *Orthodoxæ fidei cap.* 16. *Lib.* 9. *Eccl. hist. cap* 3.

Proinde maiores nostri Sanctorum reliquias magna semper veneratione coluerunt, vsqueadeò vt author libri de Ecclesiasticis dogmatibus scriptum reliquerit. *Si quis Sanctorum Reliquias non honorandas esse dixerit, illum non esse Christianum, sed Eunomianum.* Testes sunt Beatus Augustinus & Prudentius, alijque veteres, sua ætate sepulchra Martyrum ornata floribus. Et Beatus Gregorius Turonensis, Sanctorum reliquias adhibitis cereis & crucibus, comitante toto populo deferri consueuisse. Beatus Gregorius Romanus varijs Principibus sacras reliquias eximij muneris loco mittebat. Theodoretus quod penes se haberet S. Iacobi vetus *Lib.* 2. *Eccl. hist. ca.* 3. 73. *cap.* *In gloriam Beat. mart. c.* 23. *In Philotheo.*

indumentum, aut Dæmonem prohibitum, ne sibi vulnus infligeret. Infinita sunt alia, quæ in veneratione reliquiarum adferri possent aduersus oratores Sanctorum; nisi ante mille ducentos annos in Vigilantio & Eunomio, ab Ecclesia damnati essent, & à sanctis Patribus, nominatim Beato Hieronymo, insigniter refutati: vnum tantum ex Theodoreto lib. 8. affectionum Græcarum adijciendum videtur, vt omnibus palam fiat, quàm vetus sit Christianorum consuetudo, qui in gratiarum actionem, ad Martyrum memorias, non solùm peregrinantur, sed vota sua, donaque persoluunt, & earum partium simulachra appendũt, quæ curationem perceperunt. Ita enim habet, *Martyrum templa conspicua cernimus, magnitudine præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoreq; quodammodo pulchritudinis suæ latè fundentia: neq; hîc per annum semel, aut bis, aut quinquies aduenimus, sed in ijs sæpenumerò dies festos peragimus, sæpè diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes hymnosque cantamus. Quique homines prospera sunt valetudine, conseruari sibi eam à Martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt: insuper & steriles viri & mulieres dari sibi filios poscunt: qui verò parentes sunt, integra sibi & propria custodiri, quæ consecuti sunt dona. Item qui peregrè aliquò proficiscuntur, petunt sibi Martyres esse comites in via, vel potius itineris duces. Qui verò iam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes: Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres, tanquam diuinos homines, intercessores; sibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Piè verò fide literq; precatos ea maximè consequi, quæ desiderant*

kant testantur ea, quæ votorum Dei dona persoluunt: manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò simulachra manuum suspendunt ex argento auroue confecta. Gratissimè namq; accepit eorum Dominus, qualiacunq; sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consecutis allata. Hæc inquam, sepultorum ibi Martyrum, quæ sit virtus, ostendunt. Martyrum autem virtus, quem ipsi coluerunt Deum, verum esse Deum declarat. Hactenus Theodoretus, qui floruit ante annos mille.

OBIECTIONES
Hæreticorum.
PRIMA.

Lucæ 11. alloquitur Christus his verbis Pharisæos. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarũ, Patres autem vestri occiderunt illos: profectò testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorũ: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Videtur Christus venerationem & cultum reliquiarum, quem veteribus Prophetis Pharisæi exhibebant, in vitio constituere.

SOLVTIO.

Duobus modis sepulchra occisorum erigũ- *Sepulchra*
tur: priori quidem ab amicis in defunctorum *duobus mo-*
honorem; posteriori verò ab inimicis in sig- *dis eriguntur*
num victoriæ: priori modo, qui sepulchra Sanctis erigunt, eisque honorem habent, vt Christiani, iure reprehendi non possunt: sed illi merito reprehenduntur, qui ad gloriam suam,

maiorum suorum, à quibus Sancti iniustè nè ci dati fuerunt, sepulchra huiusmodi excitant, tanquam trophæa victoriæ: quo *modo* reprehensi fuerunt hoc loco Pharisæi. Cùm enim illi faterẽtur se filios eorum, qui Prophetas occiderant, & non secus ipsi atque Patres, iustos omnes odio persequerentur: interpretatus est Christus hanc sepulchrorum erectionem, non fieri in Prophetarum, sed parentum homicidarum honorem, quorum homicidia his sepulchris viderentur *approbari*, & perfici à filijs, eiusdem in Sanctos animi.

SECVNDA.

B. Antonius (vt testis est S. Athanasius) vetuit post mortem corpus suum asseruari, sed iussit terræ mandari ex præcepto Dei, *Terra es, & in terram ibis.*

SOLVTIO.

B. Antonius, quod virum sanctum decebat, mandauit de suo corpore discipulis: non damnans tamen eos, qui postquam terræ mandata fuerunt corpora Sanctorum & impletum Dei verbum, *Terra es, & in terram ibis*, sacras reliquias ex puluere educunt, & à cæterorum hominum corporibus segregatas honestiori loco dignantur. Cæterùm ipse cùm se cerneret ab omnibus in pretio haberi, cauebat barbaram Aegyptiorum consuetudinem, qui, vt est apud Pomponium Melam, defunctorum sibi charo-

rum

rum corpora inhumata, in penetralibus ædiũ suarum asseruabant.

TERTIA.

In veteri lege mandata fuit defunctorum sepultura, prohibitusq; contactus cadauerum, tanquam rei immũdæ, quod præceptum in noua lege reuocatum non legimus: non sunt igitur ex sepulchris mortuorum ossa in publicũ efferenda.

SOLVTIO.

Beatus Basilius magnum dicit interesse discrimen inter corpora Sanctorum veteris & noui testamenti, quod illic immunditia contraheretur contactu mortui, sed nunc, inquit, *Martyris ossa quisquis attigerit, illi iustitiæ sanctitatisq; quodammodo particeps, ob gratiam, ex eorum corporibus procedentem, efficitur.* Christus enim resurrectione corporis sui, & Spiritu suo sancto, quem in corpora sanctorum infudit; sanctaque Eucharistia, quam Sanctis in corpore viuentibus cõmunicauit: apertoque cœlo, in quod sanctas animas, quæ tempore legis in Limbo tenebantur, & quæ in nouo testamento ex corpore migrant, induxit, corporibus & ossibus Sanctorum munditiam & sanctitatem contulit. *In Psalm.* 117.

DE PVRGATORIO.

CAPVT XVI.



NTE mille ducentos annos, Aërius hæreticus risit Ecclesiam Dei pro fidelibus defunctis orantem, quemadmodum a D. Epiphanius, & B b auguſt. inter cæteras eius hæreſes de ipſo ſcripſerunt: quem poſtea plerique alij ſecuti poſt multos annos veterem errorem ab inferis excitauerunt. Vt verò Eccleſiæ doctrina ab Apoſtolis nobis per manus tradita, plenius de hac re intelligatur, videtur aliquot propoſitionibus res omnis poſſe illuſtrari.

a *Hæreſ.75.*
b *Hære. 53.*

Reatus pœnæ manet dimiſſa culpa.

PRIMA PROPOSITIO.

Non ſemper ablata culpa à Deo, aufertur omnis pœna peccatis debita: hoc eſt, quandoque fit, vt qui crimine aliquo mortifero ſe aſtrinxerunt, à Deo quidem accipiant peccati condonationem, liberenturque à reatu & obligatione pœnæ æternæ, efficianturq; amici & filij Dei, maneant tamen obligati ad pœnam aliquam & temporaneam ſatisfactionem. Hoc varijs Scripturæ teſtimonijs & exemplis declaratur: Moyſes enim, qui ad aquas contradictionis grauiter Deum offenderat, tametſi poſtmodum Deo reconciliatus, non minorem quàm antea cum ipſo familiaritatem & gratiam inierit, pœnam tamen luere debuit iſtius peccati, nempe,

Num.20.22

nempe, non introducere populum in terram promissionis, sed ante traiectum Iordanis morte multari. Similiter Dauid post adulterium cum Bethsabee, & necem Vriæ Hetæi, audiuit à Nathan Propheta, *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris*, id est ignouit peccatum, & te in gratiam recepit; audiuit tamen & hoc, *Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius, nec recedet gladius de domo tua vsque in sempiternũ.* 2. Reg. 12. Quæ omnia ipsi euenisse constat in seditione Absalonis filij. Deniq; primorum parentum inobedientia, tametsi & ipsis remissa fuerit, & nobis in Sacramento Baptismi condonetur, manet tamen sententia Dei: *In sudore vultus tui vescēris pane tuo: In dolore paries filios, & morte morieris.* Genes. 3.

SECVNDA PROPOSITIO.

Pœna ista post culpam dimissam reseruatur iustis & vtilibus de causis. Primò quidem, vt homo peccati prauitatem & malitiam experientia cognoscat, atque in posterum ab eo sibi pro viribus caueat: quo modo de Maria sorore Mosis post murmur aduersus fratrem leprosa dixit Dominus Mosi oranti: *Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debebat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, & post reuocabitur.* Num. 12. Deinde verò, vt virtutum officijs homo insistat, & aduersantia vitia pugnando vincat, &c. Cur pœna reseruetur. 1. 14. 2.

TER-

TERTIA PROPOSITIO.

Mors non tollit omnẽ pœnam.

Hæc pœna, quæ post dimissam culpam superest toleranda, nõ tollitur omnibus per mortem. Mors enim naturæ debita ob peccata primorum parentum toti humano generi, hoc est, æquè iustis atque iniustis infligitur. Itaque

2. *Mich.* 12. 43. Iudas Machabæus sanctè pro peccatis mortuorum curauit sacrificia: & apud Apostolum, *qui-*

2. *Cor.* 3. 15. *dam saluantur, sic tamen quasi per ignem.* Quanquam negandum non est afflictiones quandoque & dolores, tum infirmitatem, tum mortis, vel pœnam omnino tollere, vel saltem imminuere, pro peccatorum qualitate, & pœnitentia morientium.

QVARTA PROPOSITIO.

Qui cum reatu pœnæ temporalis ex hac vita migrant, neque rectà proficiscuntur in cœ-

Apoc. 21. 27 lum, *quo nihil coinquinatum aut immundum ingreditur*; neque in infernum, cùm non mereantur pœnã æternam: Est igitur locus aliquis medius, in quo peccatis animę purgantur, quæ iam in gratia Dei constitutæ, pœnis solùm temporalibus peccata sua expiant. De quo loco Zacharias

Zach. 9. 11. Propheta sic ait: *Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* Loquitur

Ephe. 4. 8. Propheta Christo; qui descendens ad inferos, *captiuam eduxit captiuitatem.* Per lacum autem, in quo non erat aqua, non potest intelligi Limbus Patrum, cùm diues epulo rogauerit sibi ex

Luc. 16. 24. eo p Lazarũ adferri aquã, ad linguæ refrigeriũ.

Intelligen-

Intelligendus ergo est locus purgatorij carens aqua consolationis, ex quo Christus post resurrectionem suam non paucos eduxit: Sicut B. Petrus in Actis Apostolicis significare videtur: *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus impiorum, affligentes interemerunt, quem Deus suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferni.* CHRISTVS enim dolores inferni nullos sustinuit, sed liberauit animas, quæ illis tenebantur in locis Purgatorijs, quemadmodum exponit Diuus Augustinus libro 12. de Genesi ad literam capit. 33. & Epist. 99. ad Euodium. Hic est enim lacus, de quo canit Ecclesia. *Libera eas de pœnis inferni, & de profundo lacu.* B. Apostolus cùm ait, *in nomine Iesu omne genu flectendum, cœlestium, terrestrium, & infernorum,* & B. Ioannes *omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra precari honorem & gloriam Deo in sæcula sæculorum*; de eodem loco Purgatorij loquuntur, teste a B. Augustino. b *Quia nõ infernõ damnatorum confitebitur illi, neque mors æterna laudabit eum.* Et, *non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*

Act. 2. 23.

Philip. 2. 10

Apoc. 5. 13.

a *Li. 12. de Genes. ad literam c. 33.*

b *Isaiæ 38. 18.*

Psal. 113. & Psal. 6. 6.

QVINTA PROPOSITIO.

In hoc loco medio per pœnas temporaneas remittuntur peccata; quemadmodum non obscurè Christus significauit his verbis: *Quicunq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neq; in futuro.* Voluit enim enumeratione hac diuersorum locorum peccati illius

Matt. 12. 32.

ti illius magnitudinem exaggerare, & significare nusquam esse remittendum. Enumerauit autem duo loca, vbi peccata remitti solent, in hoc, inquam, sæculo, & in futuro: nisi enim in futuro peccata remitterentur, frustra hanc vocem & otiosè addidisset, quem constat nũquam otiosum verbum locutum, cùm prædixerit de omni otioso verbo reddendam rationem in die iudicij. Ita veteres hunc locum exponunt a B. Augustinus, b B. Gregorius, c Diuus Bernardus, d Beda, e Rabanus, & alij non pauci. Similiter cùm dixit Christus: f *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te Iudici, & Iudex tradat te ministro & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*; significauit aliquem esse locum post hanc vitam, in quem ingreditur debitor, qui per soluto debito postea egrediatur, sicut annotauit g D. Cyprianus Epistola ad Antonianum.

a *Lib. 20. de ciuit. c. 24.*
b *Lib. 6. cont. Iulian. c. 5.*
c *Serm. 66. in Cant.*
d *in cap. 3. Marc.*
e *Lib. 2. de institut. cleri c. 44.*
f *Math. 5. 25.*
g *l. 4. epi. 2. li. de laude mart.*

SEXTA PROPOSITIO.

Grauitas pœnæ Purgatorij.

Iſtius loci pœnæ tametsi æternæ non sint, sunt tamen grauissimæ, vt ait author libri de vera & falsa pœnitentia: h *Excellum* inquit, *omnem pœnam, quam vnquam aliquis passus est in hac vita: nunquam in carne tanta inuenta est pœna; licet mirabilia passi sint Martyres, & multi nequiter iniqui tam asperam sustinuerint supplicia.* Quod non obscurè i Malachias Propheta (iuxta interpretationem k B. Augustini genuinam) his verbis declarat: *Ecce veniet*

h *Cap. 18.*
i *Cap. 3.*
k *l. 20. de ciuit. Dei c. 25.*

dicit Dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius ? & quis stabit ad videndum eum ? ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia, & placebit Domino sacrificium Iuda, & Hierusalem sicut dies seculi, & sicut anni antiqui, &c. Loquitur manifestè Propheta de pœnis iisque grauissimis, quibus animæ conflandæ dicuntur, & tanquam aurum colandæ, vt post modum in vita æterna Deo offerant sacrificium immaculatum veri Sacerdotes, quales se factos esse gaudent in Apocalypsi seniores. Non loqui autem de pœnis huius vitæ, vel ex eo patet, quod dicat hũc Domini aduentum vsque adeò fore terribilẽ, vt à nemine vel cogitari possit, vel videri: cũ in hac vita Deus electos suos, vt pater corripiat, non, vt seuerus iudex puniat. Similis locus est 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus* (hoc est, alia fides non potest prædicari, præter eam quam accepistis.) *Si quis autem superædificat super fundamentum* (hoc est, qui rectæ fidei hoc adiungit) *aurum, argentum, lapides pretiosos* (hoc est, solidam doctrinam, vel bona opera, & pretiosas virtutes) *lignum, fœnum, stipulam* (hoc est, doctrinam superuacaneam, vel peccata venialia, quorum quædam maiora sunt, alia leuiora) *vniuscuiusq; opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit,* (hoc est, particulare iudiciũ, quod anima cuiusq;

Apo. 5. 10.

cuiusq; post mortem subibit) *quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit* (hoc est, exactissimum diuini iudicij examen singula opera strictè discutiet) *si cuius opus manserit, quod superædificauit* (hoc est, si ferre possit seueritatē extremi iudicij) *mercedem accipiet*, (anima illa, cuius opera bona discussa fuerint, donabitur æterna cœlestis gloriæ mercede.) *si cuius opus arserit*, (hoc est, si exactum Dei examen nō possit sustinere) *detrimentum patietur* (amittet opus suū) *ipse autem saluus erit* (id est, admittetur in vitam æternam) *sic tamen quasi per ignem* (hoc est, non sine pœna grauissima, qualis est ignis, quæ ex sententia exacti iudicij diuini, peccata illa venialia excoxerit & deleuerit.) In Concilio Florētino, quo Latini Patres & Græci cōuenerant, cum Legatis Armenorum, post longam disputationem, tandem vnanimi consensu decretū est, intelligendum hunc locum, non de pœnis huius vitæ, per quas vniuscuiusque opus non fit manifestum; nec de igne inferni, per quem nemo fit saluus; sed de pœnis purgatorijs, quæ post mortem districto Dei iudicio infliguntur animis, nec dum satis in hac vita purgatis, quo modo etiam intellexerunt veteres, *a* Origenes *b* D. Ambrosius, *c* D. Hieronymus, multisque locis *d* D. Augustinus, *e* D. Gregorius, & alij,

a *Hom.12.in Ierem.*
b c *in commentarijs.* d *Lib.de fide & operibus c.16. Enchiridij cap.69.lib.21. de ciuit.Dei cap.26.in Psalm.37 Homil.16.ex 50.* e *lib.4.dial.c.39.*

SEPTIMA PROPOSITIO.

Animæ purgatorijs ignibus detentæ, à viuentibus

bus iuuari possunt, cũ alijs pietatis officijs, tũ maximè his tribus, oratione, eleëmosynis, & sacrificio. Nota est sententia D. Augustini Sermone 22. de verbis Apostoli: *Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio; viuorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum: Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt: hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia.* Simile habet D. Chrysosto. in Acta Apostolorum: *Non frustra, inquit, pro defunctis oblationes fiunt, non frustra eleemosynæ: hæc omnia Spiritus disposuit, volens vt nos mutuò iuuemus.* *Homil. 21.*

Et quidem de orationibus pro defunctis satis apertè loquitur Scriptura, quoties veteres Patriachas & Pophetas lachrymis & ieiunijs prosecutos fuisse mortuos narrat. Non enim illi sine ratione multis diebus luctum produxerunt, nec ex humana imperfectione, quod à prudentibus in vitio habetur, tanto tempore luctui indulserunt, sed vt lachrymosa oratione & ieiunijs Deum redderent placabilem mortuis. Ioseph. *a* 77. diebus planxit obitum parentis: *b* Viri Gabes Galaad 7. diebus continuarunt ieiunium, sepulto Saũle & Ionatha: *c* quorũ morte intellecta, *c* Dauid & socij scissis vestibus flebant ieiunantes in vesperam: *d* cui simile præstitit idem *d* Dauid in morte Abner,

Orationes pro defunctis.

a *Gen.* 50. 3. & 10.
b 1. *Reg.* 3. 13.
c 2. *Reg.* 1. 17.
d 2. *Reg.* 3. 32.

Abner. Christianis eandem fuisse consuetudinẽ indicauit a B. Paulus. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?* Quo loco vox *baptizari*, est affligi, quod fit orationibus, ieiunijs, & id genus alijs modis; in qua significatione Christus subinde ea voce est vsus: b *Ego baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficio.* Et iterum: c *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* (in Græco additur) *& baptismo quo ego baptizor baptizari?* Docet igitur D. Paulus resurrectionem mortuorum ex consuetudine Christianorum, qui se frustra affligerent pœnitentijs & orationibus, si mortui non resurgunt; vt hinc discas ex recepta per vniuersum orbem Christianorum consuetudine probari dogmata fidei. Proinde audiendus est Sapiens, qui nos his verbis admonet, *Fili mi in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare.* Et, *In requie mortui requiescere fac memoriam eius*: quod obseruant Christiani, cùm dicunt, Requiescat in pace. B. Dionysius Areopagita consuetudinem hanc orandi pro defunctis, vt antiquam & vniuersalem toti Ecclesiæ exposuit. Beatus Ambrosius pro fratre Satyro, & Imperatore Theodosio Deum rogauit, qui etiam mentionem facit, *Tertij, septimi, trigesimi, & quadragesimi diei commemorationis defunctorum*, & antiquam hãc Christianorum consuetudinem sacris literis probauit. Tertullianus mentionem facit *anniuersarij*. B. Augustinus suadet defunctorum corpora,

21. *Cor.* 15. 29.

b *Luc.* 12. 50.

c *Matth.* 20. 22.

Eccl. 38. 16. 24.

Ca. vltimo. Eccles. iast. Hierarch.

De obitu Theodosij.

De corona militis.

De cura pro mort. ca. 4.

ad me-

ad memorias Sanctorum sepeliri, vt Sancti illi defunctorũ constituantur patroni, ipsisque ab ijs qui templa frequentant, oratione commendentur.

De eleëmosyna verò loquitur Tobias filio suo: *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue.* Et Ecclesiasticus, *Gratia doni in conspectu omnis euentus, & mortuo non prohibeas gratiam.* Iubet vterque dari eleëmosynam pauperibus in refrigerium defunctorũ. Quod feciſſe Pammachium, *qui sanctam fauillam vxoris suæ, ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigauit*, testis est Diuus Hieronymus, qui ob id hoc eum narrat feciſſe, quod sciret scriptum: *Sicut aqua extinguit ignẽ, sic eleemosyna peccatum.* Multus est in hac eleëmosyna pro animabus defunctorum commẽdanda B. Chrysostomus plurimis locis.

Eleëmosyna pro defunctis. *Tob. 4. 18.* *Eccl. 7. 37.* *Epist. ad Lammach.* *Hom. 12. in Acta.*

Cæterùm de sacrificio locus est 2. libro Machabæorum capit. 12. *Vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum, iustè & religiosè de resurrectione cogitans: nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis: Sed quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Ex quo loco varia, atque ad hanc rem vtiliſſima diſcimus. Et primò quidem olim in Synagoga ante Chriſti aduentum moris fuiſſe orare, & ſacrificium offerre pro defunctis. Secundò verò, non orandum eſſe pro quibuſuis defunctis,

Sacrificium pro defunctis.

Documenta.

1.

2.

ctis, sed pro ijs tantùm, qui cum pietate dormitionem acceperunt, hoc est, qui in gratia Dei mortui sunt. Tertiò, quod pium sit defunctis 3. opitulari; & ex consequenti irreligiosum esse, 4. vituperare orationes pro mortuis. Quartò, quod fides, qua Purgatoriũ credimus, sit sancta, salubris, & vera. Quintò, non solùm mortem naturalem, sed etiam violentam, nõ omnes peccatorum pœnas expiare, quemadmodum fuit superius ex hoc loco à nobis annotatum. B. Augustin. diuersis in locis ex hac Scriptura probat sacrificium pro defunctis esse offerendum. Sic enim habet cap. 1. libr. de cura pro mort. agenda: *In Machabæorum libris legimus, pro mortuis oblatum esse sacrificium. Sed si nusquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas. Præterea, vbi in precibus Sacerdotis, quæ in Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet & commendatio mortuorũ.* Hactenus D. Augustinus. Cui nõ est absimile quod habet D. Chrysostomus: *Hom. 3. ad Philip.* *Non frustra ab Apostolis sancitum esse, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Quando enim* (inquit alio loco) *Regum trophæa statuuntur, tunc celebrantur quidem & quicunque victoriæ socij fuerunt, dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus: vbi autem transierit tẽpus hoc, qui nihil assecutus, nihil obtinet: ita & hic* (in celebratione mysteriorum) *trophæorum & celebrandæ victoriæ tempus est.* *Hom. 9. ad popul.* *Hom. 21. in Acta.* *Simile.* *Catech. 7.* Beatus Cyrillus Hierosolymitanus, cùm dixisset in altari memoriam

riam fieri defunctorum sub tremendo sacrificio, rem hac similitudine docet, *An*, inquit, *si Simile? Rex eos à quibus offensus est in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes pro his qui sunt in supplicio exulibus eidem offerrent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederet? Ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed CHRISTVM pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum: qui est benignissimus, propitium reddamus.* Hactenus Diuus Cyrillus. Ac proinde non modò in ritu sacrificij Ecclesiæ Latinorum, sed in Liturgijs Græcorũ Beati Iacobi, Basilij, Chrysostomi, Armenorum quoque & Chaldæorum precatio fit pro defunctis: & id quidem alio loco, quàm pro Martyribus: quemadmodum Diuus Augustinus notauit, *Cùm Martyres ad altare recitentur, non vt pro ipsis oretur,* inquit, (*iniuria est enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationi commendare*) *sed vt socij cognoscantur Christi triumphantis: pro cæteris autem defunctis rogetur Deus, vt participes fiant altaris, atque incruenti sacrificij:* quod pro se offerri rogauit sanctissima eius mater Monica, pro qua sæpius esse celebratum, testis est idem Beatus Augustinus in Confessionibus B. Gregorius lib. 4. Dialogorum, & Venerabilis Beda lib. 4. & 5. historiæ Anglorum, præclara referunt miracula, ad sacrificium Deo pro defunctis oblatum edita; neque est veterum aliquis, qui non ora-

Ser. 17. de verbis Apostoli.

Lib. 9 ca. 11. 12. 13. 15.

tiones & sacrificia pro defunctis, & magni semper fecerit, & sibi expetierit.

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

Duæ sunt tantùm viæ post hanc vitam, ad cœlum vna, & ad infernum altera: ergo nulla est via ad Purgatorium, ac proinde nullum est Purgatorium.

SOLVTIO.

Duplex solutio.

Duobus modus potest ista argumentatio dilui. Primò negando antecedens: nusquam enim in Scripturis habetur duas tantũ vias post hanc vitam: sed Matt. 7. dicuntur duæ esse viæ in hac vita, lata & arcta: hoc est, duo modi viuendi, quibus vel ad infernum, vel ad cœlum itur: ad quam posteriorem viam pertinet Purgatorium, in quo per multas tribulationes intratur in regnum Dei. Matth. 25. dicuntur post iudicij diem duo tãtùm futura loca: quomodo etiam D. Augustinus, agens cõtra Pelagianos, qui pueris sine Baptismo defunctis, tertium aliquem locum assignabant, medium inter cœlum & infernum, vbi etiam post resurrectionem degerent, ait, *Tertium locum penitus ignoramus, imò nec eum in Scripturis sacris inuenimus.* Altera solutio est, negando cõsecutionem: vt enim sint tantùm duæ viæ, in altera tamen viarum, illa nempe, quæ ducit ad cœlum, est diuersorium

1.

Lib. 5. hypognost.

2.

rium seu telonium, vbi merces examinantur, hoc est, animæ purgantur, & inde purgatæ ad cœlum transmittuntur.

SECVNDA.

Qui deferuntur ad Purgatorium, vel bene moriuntur vel malè: Si bene, ergo cruciatus nullos sentiunt: si malè, ergo non moriuntur in gratia.

SOLVTIO.

Solutio est, quod bene moriantur, nempe in gratia Dei, & cum certa expectatione vitæ æternæ: nec ex eo sequitur, quod post mortem nihil patiantur: quia ille etiam dicitur bene ambulare, qui terminum suũ certò attingit, licet non sine labore.

Sed vrgent illud Apocalyp. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur eos.* Quicunque in charitate moriuntur, moriuntur in Domino: Ergo illi post mortem statim beati sunt, & à laboribus suis, omnibusq; pœnis requiescunt: ac proinde nulla est post mortem pœna Purgatorij, qua torqueãtur iusti, qui in Domino, hoc est, in charitate & statu gratiæ moriuntur.

Solutio: Verba illa esse intelligenda de his, qui morientur circa tempus iudicij extremi, patet & ex antecedentibus, & ex consequentibus, & ex ipsismet verbis: non enim dicit, *Beati mortui, qui in Domino mortui sunt, sed qui tunc morien-*

tur, quando erit patientia sanctorum, id est, temporibus Antichristi, in graui illa persecutione, & sub tempus iudicij in consummatione *sæculi*, quando cadet Babylon illa magna, & *omnes, qui adorauerint bestiam, bibent de vino iræ Dei, & cruciabuntur igne & sulphure*, id est, quãdo impijomnes perdentur. Qui enim tũc moriuntur, beati erunt, & requiescent à laboribus suis. Proinde quidam Græci codices punctum faciunt, post, amodò: *Beati qui in Domino moriuntur. amodò*, id est, post hac. Sequentia enim id ipsum indicant. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.* Quo significatur Christus in nube venturus ad iudicium, sicut in nube ascendit ad cœlum. Iudicis est sedere, & Regis ornari aurea corona, & acuta falce vti ad puniendum malos, & vindicandas bonorum iniurias. Prædicta igitur sententia nihil aliud dicitur, quàm in consummatione sęculi futuros illos beatos, qui in Domino moriẽtur: tametsi grauissimè ab Antichristo fuerint exagitati: eo verò tempore, nullæ erunt Purgatorij pœnæ: sed quicunque in Domino morientur, data sententia in extremo iudicio, cum Christo ad æternam fœlicitatem transibunt.

TERTIA.

Si esset Purgatorium post hanc vitam, posset homo impunè & liberè peccatis vacare, vsq; ad vitæ finem, & tum de peccatis dolere,

Missæ &

Missæque sacrificio, & viuentium precibus atq; eleëmosynis sine omni bono opere, quod ipse præstitisset, liberari.

SOLVTIO.

Hoc argumentum magis aduersatur his, qui soli fidei attribuunt iustificationem, quàm Ecclesiæ Catholicæ, quæ purgatorias pœnas post hanc vitam credit. Illi enim homini flagitioso promittunt sine vllo opere bono, sine pœna, sine satisfactione per solam fidem vitã æternam: Licebit itaque, ex illorum doctrina, impunè cuiuis flagitiosissimè viuere ad horã vsque mortis, in qua hora, si fide passionem CHRISTI apprehendat, vt suam, statim ad cœlos euolabit. Quæ doctrina laxat habenas vitijs, & occasionem præbet multis peccatis. Ex doctrina autem Ecclesiæ, hoc quidem sequitur, quod qui totam vitam in peccatis egerit, si tandem exemplo Latronis conuertatur, seriò de peccatis doleat, vitæque emendationem, si prorogetur, proponat: spem habeat salutis, & ad ignem purgatorij sit transiturus, è cuius pœnis (si hoc in vita promeritus est) sacrificio salutari Ecclesiæ, pijsq; eleëmosynis, & orationibus fidelium liberari possit, aut saltem adiuuari, vt leuius torqueatur. Cæterùm qui præsumptione diuinæ misericordiæ in peccatis persistunt, frequenter in hora mortis deseruntur, vt nec de peccatorum dolore, nec de Dei offensa cogitent. *Quia* (inquit Diuus

Hom.2.de Innocent. Augustinus) *hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei. Qui enim omni pœnitenti promisit gratiam, non omni peccanti promisit pœnitentiam.*

QVARTA.

Anima cùm sit res incorporea, non potest torqueri ab igne corporeo: ergo non est ignis purgatorius vllus, quo animæ purgentur & crucientur.

SOLVTIO.

Antecedens falsum est, alioqui neque animæ damnatorum in inferno, neque Dæmones igne torquerentur corporeo, de quibus Saluator dixit: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, quasi dicat, eodem igni torquendos Dæmones incorporeos, quo torquēdi sunt homines corporei. Quomodo autē id fieri possit, vt res incorporea à corporea patiatur, explicat B. Gregorius in Dialogis. Nec videbitur impossibile consideranti etiam in hac vita animam sæpius à corpore affici, cùm per corpus dormit, vel sopita est, intelligit, tristatur, sentit. Si ergo tanta est vis corporis humani, vt animam afficiat propter coniunctionē, qua simul constituunt hominem; cur non poterit Deus alia, vel simili ratione ignem cum spiritu, vel anima cōiungere, vt ei causam adferat doloris, cùm non sit impossibile apud Deum omne verbum.

Matt.25.41.

Lib.4.dial. ca.29. Quomodo anima patiatur ab igne.

QVIN-

QVINTA.

Deus perfectè condonat peccata, ſicut nos vult condonare debitoribus noſtris: proinde quemadmodum non vult vt homo offenſus grauiorem pœnam commutet in leuiorem, veluti extremum ſupplicium in flagellationem, vel publicam ignominiam: ſed vult, vt omnis iniuria penitus cõdonetur, & tollatur de cordibus noſtris: pari ratione ipſe pœnam æternam non commutat in temporalem, ſed omnia peccata perfectè condonat: nullus eſt itaque Purgatorius ignis, quo peccata ſemel remiſſa puniantur.

SOLVTIO.

Solutio duplex. I.

Reſponderi poteſt duobus modis: Priori quidem, Deum in Sacramento pœnitẽtiæ peccata omnia dimittere, ſicut vult vt nos dimittamus debitoribus noſtris, vult enim Deus, vt offenſi demus veniam his, qui offenderunt, & iram omnẽ, deſideriumq; vindictæ ex animo deponamus: non requirit tamen, neque vult ſemper, vt res nobis iniuſtè ablatas negligamus: quin potius aliquando iubet, vt homo ſibi reſtitui curet famam violatam, & pecuniã furto ſublatam, quantumuis ex eo ſuſtinere cogatur reus quandoq; incommodum, & verecundiam. Ita Deus, tametſi omnem offenſam remittat; exigit tamen etiam dimiſſo peccato, reſtitutionem rei ſibi iniuſtè à nobis ablatæ. Quouis.n. peccato furatur homo ſibi delectationem

tionem non datam à Deo; quæ delectatio licet non semper sensu percipiatur, est tamen in omni peccato, dum homo repudiata diuina voluntate, suam implet. Præterea quantum in nobis est, facimus iniuriã gloriæ & honori Dei, quando in conspectu Sanctorum omnium præceptum eius contemnimus, & Deum quasi pro nihilo ducimus: sicut non parũ contẽnitur pater, cùm filius publicè præcipienti irreuerenter reluctatur. Huius igitur delectationis, & huius honoris facienda est restitutio per pœnam temporalem.

2. Posterior verò solutio est, quod Deus perfectè peccata dimittat, quando Sacramenta, per quæ ad remissionẽ nobis Christi passio applicatur, plenè, & eo quo decet modo, recipiuntur. Quia igitur tres sunt pœnitentiæ partes, hoc est; tria in pœnitentia sunt necessaria, vt plenam assequantur peccatorum remissionem, contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis; qui tres partes has ad Sacramentum adhibuerit, consequetur plenum Sacramenti effectum, qui est remissio peccatorum, tam quod ad pœnam attinet, quam quod ad culpam. Qui autem vnam ex his partibus neglexerit, nimirum satisfactionem; consequetur ille quidem remissionem culpæ, non autem dimittetur omnis pœna, quod Sacramenti partes non omnes adhibuerit: Et mirum videri non debet, quod aliquando Sacramenta effectus non plenè consequantur, cùm

Tres pœnitẽtiæ partes.

ex

ex suscipientis dispositione gratia Dei nobis tẽperetur. Sicut lumen pro ratione corporis perlucidi, aut opaci, vel coloribus affecti recipitur. Adultus enim homo sine proposito melioris vitæ Sacramenta suscipiens, accipit quidem effectum aliquem veluti, in Baptismo, Confirmatione, & Ordine characterem: in Matrimonio vinculum indissolubile, &c. non tamen gratiam vel peccatorum condonationem. *Simile.*

SEXTA.

Apoc. 10. *Iurauit Angelus per viuentem in sæcula, quia tempus non erit amplius*: ergo post mortẽ nullus satisfacere poterit pro peccatis.

SOLVTIO.

Non explicatur, quando non erit amplius tempus, post mortem ne vniuscuiusq;, an post mortem omnium: sed absolutè, *tempus non erit amplius*: constat tamen Angelum loqui de extremo iudicio, post quod cẽssabit multabilitas temporum: & æternitas erit vbique perpetua. sequitur enim statim post verba prædicta, *Sed in diebus vocis Angeli septimi, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei: sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas*, hoc est, in resurrectione generali, omnia quæ de Christo, de consummatione sæculi, atque de bonorum remuneratione prædicta sunt, perficientur. æterùm fatendum est, post mortem cuiusque nullum tem-

tempus esse meriti, sed præmij, ad quod pertinet etiam ignis purgatorius per quem transeunt, qui salui fiunt per ignem.

SEPTIMA.

Ecclesiastici 11. ita dicitur: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, illic erit*: quibus verbis significari videtur, animam illic perpetuò mansuram, quò primùm tendit: non est ergo purgatorium, in quo non perpetuò permanetur.

SOLVTIO.

Tametsi ex parabolico sermone non possit solidè aliquid probari: hoc tamen loco videtur in duobus posita esse similitudo hominis morientis, & arboris cadentis: primò, quod post casum se non possit erigere: deinde in quo statu moritur homo, in eo maneat perpetuò. Sùt autem duo status, nempe ad Solem in Austro qui est status caloris, hoc est, gratiæ & amoris Dei: & ad Aquilonem, procul à sole & à calore, vbi Lucifer collocare sedem suam cogitabat: *Sedebo*, (inquit) *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*: qui status est malorum, & eorum qui alieni sunt à calore charitatis Dei. Ad Austrum itaque cadunt, quotquot ad purgatorium transeunt, vtpote qui in charitate & gratia Dei ex hac vita migrant.

Esaiæ 14.13.

OCTAVA.

Ecclesiastici 9. c. de mortuis sic dicitur: *Nec habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub cælo geritur:*

vitur: ergo defunctorum animæ non iuuantur his, quæ fiunt à viuentibus.

SOLVTIO.

Sapiens nihil aliud vult, quàm quod mortui careant vsibus huius vitæ: nempe non edant, nec bibant, nec indigeãt his rebus, quibus nos in vita vtimur. *Amor, inquit, & odium, & inuidia simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere, quod sub sole geritur. Vade igitur & comede panẽ tuum in lætitia.* Non agit autem de auxilio spirituali, quod defunctis adfertur.

NONA.

Nouam obiectionem mouet B. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda. Omnes nos astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; prout gessit, non secundùm preces aut eleemosynas aliorum.

SOLVTIO.

Respondet deinde his verbis: *Verùm hæc ita soluitur quæstio. Quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent ista defunctos:* hoc est, defuncti, qui purgatorij igne detinentur, hac ratione cẽsentur recepisse secundùm opera sua: quia enim peccauerunt, torquentur pœnis; quia autẽ in gratia & charitate decesserunt, hoc acceperunt, vt orationes & opera viuentium illis possint prodesse.

DE

DE COELIBATV SACERDOTVM.

CAPVT XVII.

IN hac controuersia, quę de continentia & cœlibatu Sacerdotum ab hæreticis exorta est, non istud vocatur in dubium, an aliquis ad suscipiendum Sacerdotium, aut ad continentiam seruandam, cùm liber sit suique iuris, à quoquam impelli vel cogi inuitus possit, aut debeat: fatentur enim cũ Apostolo Paulo sacri Doctores, hanc esse virginitatis & continentiæ præstantiam, vt a consulenda sit, non per vim obtrudenda: *b qui potest capere capiat*, ait Dominus: quasi dicat: Res est eximia castitas, per quam homines efficiũtur c *similes Angelis Dei, qui neque nubunt, neque nubuntur.* Non igitur impero, sed alterum eligendi liberam cuique facultatem relinquens suadeo, vt eius virtutis pulchritudine perspecta, secum ipso ipsi animo reputẽt, num eius amore incitati, eam complecti velint & consectari. Nam posse capere, hoc dicitur is, qui facilè adducitur vt velit; & non posse capere, qui difficultate cognita, non vult. Sicut rogati officiũ aliquod præstare, nobis molestius, minusque iucundum, respondere solemus, *non possum*

a 1. Cor. 7. 25.
Basilius de virginitate.
Chrys. hom. 79. in Matthæum.
b Matth. 19. 12.
c Math. 22. 30.
Chryso. hom. 67. in Ioan.
Hier. lib. 1. contra Iouinianum.
Beda li. 3. de tabernaculo cap. 9.
1. Cor. 7. 25.

sum facere: vel non possum in animum meum inducere, vt hoc perficiã. *De Virginibus*, inquit Apostolus Paulus, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Neque in quæstionem vertitur: possint ne mariti ad sacros Ordines admitti, cum plurimi Sacerdotium iniuerint coniuges, & B. Petrus Apostolorum Princeps vxore ducta, non modò Sacerdotio sit functus, sed summũ quoque Pontificatum administrarit, & Græci hodie ex maritis fiant Sacerdotes.

Tota quæstio porrò in eo consistit, An his permittendum sit matrimonium, qui cùm cœlibes essent, ad Sacerdotium aspirauerũt. Quã difficultatem visum est Propositionibus aliquot expedire.

EARVM PRIMA SIT: Dubium non est, quin rectius commodiusq; Sacerdotij munia obeantur à viro cœlibe, quàm à viro matrimonij vinculis impedito. Munia Sacerdotum sunt. Primò: Deum assiduis precibus deprecari, & quasi mediatorem ad Deum pro populo intercedere. a *Quia omnis Sacerdos pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum*. Clarum est autem longè aptiorem esse continentem ad preces fundendas, votaque Deo facienda, & ad diuina oracula percipienda, quàm eum, qui liberis procreandis dat operam. Nam & b Apostolus vult *b* coniuges ad tempus à congressu abstinere, vt vacent orationi: & Deus ad populum Israëliticum verba facturus, vo-

Munia Sacerdotum. 1.

a *Heb.5.1.*

b *1.Cor.7.5.*

a *Exod.* 19.5. Iuit eum præparari *a* continẽtia tridui. Secundò: Sacrificium Deo quotidie offerre, quia (vt ait Beatus Apostolus) *b ad hoc constituitur Sacerdos in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Gratiora autem Deo illa esse sacrificia, quæ ab homine magis casto offeruntur, vel ex eo manifestum esse potest, quod in lege veteri Sacerdotes tempore vicis suæ, ad quos sacrificij offerendi munus ordine deuolueretur, non modo ab vxorum complexu, sed *c* à vino quoque, in quo est luxuria, diuino mandato arcebantur. Tertiò: Dispensare Sacramenta diuina. *d Sic nos existimet homo* (ait Apostolus) *vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Si* ergo in veteri lege carnis immunditia pollutis, non licebat vel edere *e* panes propositionis, vel manibus contrectare res sacras, vel templum ipsum intrare, multò minus his conuenit sacrorum nostrorum administratio, qui vxoribus suis liberisque procreandis vacant. *Quia ad munditias corporis Christi* (inquit Beatus Hieronymus) *omnis coitus immundus est.* Quocirca Beatus Dionysius Areopagita, *Eos*, inquit, *qui ad Sacramenta cœlestia conficienda proredunt, ea oportet esse munditia, vt ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant: sicque ad reuerenda mysteria* (*quantum fas est*) *similitudine puritatis accedere.* Et B. Hieronym. *Episcopo*, inquit, *debet castitas esse propria, & vt ita dixerim, pudicitia Sacerdotalis; vt non solùm ab opere se immundo abstineat, sed à iactu oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus confectura.*

b *Heb.5.1.*

c *Leui.10.8.*

d *1.Cor.4.1.*

e *1.Reg.21.4.*

Lib.1.cont. Iouinianum

Eccl.Hier. cap.3.

Ad Tit.1.

Quartò

Quartò Docere populum: vnde ipsorum est *a attendere lectioni, doctrinæ*, meditationique rerũ diuinarum, suæque fidei commissos exhortari ad castitatem: hæc autem minus commodè à coniugatis præstantur, quàm à viris nullo matrimonij nexu colligatis. *Quomodo* (inquit Ambrosius) *potest hortator esse viduitatis qui ipse coniugia frequentauerit?* His, similibusque rationibus & argumentis, vetustissimi Patres ad astruendam Sacerdotum castitatem vsi fuerunt, *c* Calixtus, *d* Zozimus, *e* Innocẽtius primus, Roma ni Pontifices, *f* Dionysius Areopagita, *g* Origenes, *h* Eusebius Cęsariẽsis, *i* Epiphanius, *k* Chrysostomus, *l* Ambrosius, *m* Hieronymus, *n* Aug. & post eos pleraque Concilia, vt *o* Turonense I. & *p* Moguntinum, *q* Beda quoque, *r* Rabanus Maurus, *s* Rupertus Tuitiensis, &c. 4. 1. *Tim.* 4. 13. *Lib.* 1. *Officiorum ca.* 50. *b* *Epist.* 1. *c* *Epist.* 1. *d* *Epist.* 1. *e* *Epist.* 2. & 3. *f* *Eccl. hier. cap. ca.* 3. *g* *Hom.* 4. *in Leuit.* & 23. *in Num.* *h* *Lib.* 1. *de monst. Euangelicæ ca.* 9. *i* *Hæresi* 59. & 78. *k* *Hom.* 10. *in* 1. *Thess.* *l* *in* 1. *Tim.* 3. *m* *Apologia pro libris contra Iouin.* & *li.* 1. *contra Iouin.* & *Tit.* 1. *n* *Serm.* 149. *de tempore.* *o* *Cap* 1. *p* *Cap.* 10. *q* *in Lucæ* 1. *r* *Lib.* 1. *de inst. cler. ca.* 8. *s* *lib.* 2. *in Leuit. cap.* 8.

Pauciora etiam & minora incommoda, periculaque ex eo oriuntur, si cœlibes in Sacerdotum ordinem annumerentur, quàm si coniugati. Primò enim Ecclesiastica bona, quæ liberalitate fidelium propterea Sacerdotibus donata sunt, vt quicquid præter vitæ necessaria eis superesset, id totũ in pauperes, egentesque christianos conferretur, & *eos qui vitam cõmunem ducunt*, vt ait S. Vrbanus Pontifex, *quia vota sunt*, inquit, *fidelium pretia peccatorum*, *ac patri-*

Quatuor incommoda. Chrys. hom. 24. & 37. *ad pop. Antiochenum.*

Epistol. 1.

monia pauperum: hæc, inquam, bona cum ad neceſſitates & commoda vxorum, liberorumq; transferrentur, tum ad poſteros hæreditario iure deuoluerentur. Quod temporibus B. Malachiæ in Hibernia multis annis fuiſſe actitatum author eſt D. Bern. Sanè *rem pauperum non pauperibus dare, partem ſacrilegij eſſe.* B. Hieronym. affirmauit. Et B. Bernar. Fulconi Canonicorum hæc verba de Sacerdotij ſui prouentibus ſcripſit; *Quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Secundò non tantus ſplendor animi, morumq; grauitas elucet in homine, qui mulierculæ ſemper aſſideat, eidemq; vacet: quia libido omnis mores compoſitos diſſoluit, minuſque admirabilem hominem reddit. Sacerdotum porrò eſt ſancta caſtitate grauem quâdam præ ſe ferre maieſtatem, qua veneration ſint & admirationi cæteris. De iſtis quippe Chriſtus dixit; *vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ.* In veſtram vitam intuebuntur omnes Chriſtiani: veſtros mores ſibi proponent, vt normam vitę: veſtra exempla conabuntur referre, ſicut de SS. Coſma & Damiano à Niceta Philoſopho memoriæ proditum eſt, *quod imitati ſint Sacerdotum Chriſti pietatem, grauitatem, caſtitatem, & virginitatem.* Tertiò, minus periculum eſſe violandi ſilentij, ſi viro continēti quàm ſi muliroſo peccata detegas, ſecretaque committas conſcientiæ, exemplo ſuo, magnoq; malo docuit fortiſſimus Sāſon. Proinde, ne quod eiuſmodi

In vita Malachiæ.

Ad Pammachium epiſt.

2.

Matth. 5. 13. 14.

In Encomio eorum.

3.

Iudic. 16. 17

modi

modi malum eueniat. Græci Sacerdotes, qui matrimonia iniuerunt, etiamnum neque ad Episcopatum, aliasve dignitates euehuntur, neque ad audiendas confessiones adeuntur, neque vllo in pretio habentur. Quartò minus periclitatur castitas viri cœlibis, qui nunquã, aut multis ab hinc annis voluptatẽ gustauit, quàm eius, qui quotidiè experitur; quia libido inualescit consuetudine & vsu, marcescit fuga. Quocirca B. Chrysostomus nõ alios voluit Nosocomijs præsse, quàm Presbyteros singulari pietate præditos, & coniugij expertes. 4. *Metaphrastes.*

SECVNDA PROPOSITIO. Antiquissimis Ecclesiæ temporibus, viuentibus adhuc Apostolis, & post Apostolos, aliquot adhuc annis, admissi fuerunt ad sacros Ordines viri coniugati, non quidem promiscuè, verùm selecti, *a* qui vnicam tantùm duxissent vxorẽ, eamque virginem; & id non, vt in posterum idem mos in Ecclesia seruaretur, sed propter inopiam, raritatemque illorum, qui cœlibem degebant vitam; quia ante Christi aduentum, & Euangelij promulgationem, Castitas passim ignota, à Iudæis quidem contemptui habita fuerat, à Gentibus verò etiam pœnis mulctata. *a* 1. *Tim.* 3. 2. *& Tit.* 1. 6. *D. Ambr. li. de viduis.*

TERTIA PROPOSITIO. Nunquam licuit Sacerdoti iam sacris Presbyterij Ordinibus initiato, vxorem ducere; hoc habet Can. 27. Apostolorum, & inter Apostolicas constitutiones refertur à Beato Clemẽte. Quotquot

Li.6.Constitutionum Apostolicarum ca.17.

etiam post Apostolos Concilia de vita, moribusque Sacerdotum decreuerunt, idem tanquam ab Apostolis acceptum tradiderunt, & memoriæ mandârunt: neque quisquam est Catholicorum Patrum, qui totis 1500. annis, aliter vel scripsisse, vel sensisse legatur: quin potius hæreseos damnati sunt, qui secus affirmare ausi fuissent. Quid de Diaconis, Hypodiaconis sentiendum sit, fortasse quis dubitare poterit, propter Concilij Ancyrani vetustissimũ Canonem, quo Diaconis permittebantur matrimonia, *si in ipsa ordinatione protestati fuissent Episcopo, se velle habere vxores, nec posse continere.* Cæterũ qui inspexerit vetustiora Patrum decreta, intelliget etiam Diaconis & Hypodiaconis impositam esse legem Castitatis, vt ait *a* B. Epiphanius. Nam *b* Beatus Clemẽs Pontifex Martyr deponi iussit Diaconos, qui post ordinationem iniuissent matrimonia. Et hãc fatetur *c* esse Apostolicam constitutionem. In *d* canonibus porrò suis ita decreuerunt Apostoli: *Innuptis qui ad clerum promoti sunt, præcipimus, vt si voluerint, vxores accipiant, sed lectores cantoresque tantũmodò.* Huius Canonis authoritate Patres Trullani, *f* & Carthaginenses prohibuerunt Hypodiaconis matrimonia, quam legem appellauit B. Paphnutius in Synodo Nicæna, *g* *Antiquã Ecclesiæ traditionem*. Qua traditione *h* Syricius Pontifex in Synodo Romana, & post illum D. Leo Pontifex *i* simile decretum ediderunt, *k* Iustinianus Imperator, qui agnouit se illarũ rerum

Cap.10.

a Hær.59.
b Epist.2.
c li.6.Apoc. con.ca.17.
d Can.27.
e Synodo 6. cap.6.
f Concil.2. Carth.ca.2.
g Sozomenus libr.1. cap 23.
h Socrat. li. 5.cap.8.
i Epist 84. cap 4.
k Epist.in S. Synodo inserta.

rerum Ecclesiasticarum executorem, quæ ab Episcopis constitutæ fuissent, legibus suis decernit pœnas Diaconis & Hypodiaconis, qui vxores duxissent.

Ancyrani Concilij Canon 10. qui videtur negotium facessere ita habet: *Diaconi quicunque cùm ordinantur si in ipsa ordinatione professi sunt, dicentes velle se habere vxores, nec posse se continere, hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* Quibus ex verbis tria discimus, Primum est, Diaconos omnes iam olim à temporibus illius Concilij, quod anno Domini 308. sub Marcellino Papa celebratum fuit, in sacri ordinis susceptione, vouisse Deo castitatem. Secundum est, hoc votum castitatis ita annexum fuisse Ordinibus sacris, vt qui tacuissent, ipsa suiordinatione censerentur vouisse. Ad eum ferè modũ, quo in Principum inauguratione, quando à ciuibus iuramentum postulatur, sola manuum vel digitorũ erectio, nullo etiam ab illis edito verbo, pro sacramento susceptur. Tertium, quod olim his, qui sacris Ordinibus initiabantur, ex ea tantùm causa interdicebatur matrimonio, quia votum non contrahendi annexum esset, auctoritate Apostolorum, susceptioni Ordinum. Quamobrem sicut vouisse censebatur, qui tacitus sacrum Ordinem accipiebat: Ita non tenebatur voto, quis-

In authentic. collatione 1. tit. 6. c. 13. & collatione 4. tit. 1. c. 22. & collatione 9. tit. 15. cap. 19.

1.

2.

Simile.

3.

quisquis coram Episcopo declarabat se ordinatione sui vouere nolle, nec castitatis vinculo ligari velle: quemadmodum in præcedenti similitudine, qui iussus erectione manus vel digitorum testati iuramentum, si erigat habetur iuratus, si verò palam protestetur Principi se manum quidem attollere velle, sed hac elatione sacramentum edere nolle, liber censetur, & Principi non obnoxius iuramento; si tamen hoc ipsum, vel apud se solum fateatur in corde, vel apud paucos testetur, apud Principem tamen tenebitur sacramento, atque ad obtemperandum more aliorum iure compellitur, quod à Principe non sit admissa hæc occulta ipsius interpretatio. Hos igitur Diaconos, qui palam detrectârunt de assensu Episcopi continentiæ votum declarat Synodus nó teneri ad cœlibatum; sed eos omnes, qui vel verbis, vel susceptione Ordinis votum admisissent: quod votum à clericis emitti Concilia & veteres Patres docuerunt.

Simile.

4. Tolet. cap. 23.

Arosiu cap. 22. Orig. hom. 23 in Numeros.

Cæterùm, quia posterioribus sæculis (quæ est malitia hominum) plerique Sacerdotes, quod dicerent sibi nihil de voto continentiæ in mêtem veniisse, cùm ad sacros Ordines promouerentur, putarunt sibi impunè tutaq; conscientia permitti vxores; necessarium fuit Ecclesiam præter votum quod Apostoli Ordinibus sacris adiunxerant, ijsdem adimere ius & habilitatem contrahêdi matrimonia, vt quacunque tandem mente susceptí essent Ordi-

D. Greg. lib. 1. epist. 42. & li. 3. epi. 34.

B. Bern. Ser. 65. in Cant.

nes

nes sacri, semper tamen irrita haberentur matrimonia, quæ Sacerdotes, Diaconi, vel Hypodiaconi iniuissent; sicut eiusdem Ecclesiæ auctoritate, nulla sunt ea, quæ inter consanguineos vel affines contrahuntur. Extat decretum Calixti secundi Pontificis apud Gratianum huiusmodi; *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus. Contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum definitionem, iudicamus.* Quod decretum non multò post Innocentius 2. & Alexander 3. confirmarunt, ob id potissimum, quod Henricorum & Frederici Barbarossæ Imperatorum temporibus, castitas Sacerdotum fœdis nuptijs, in Germania maximè, violabatur.

Dist. 27. ca. Presbyteris.

27. q. 5. vt lex extra de clericis coniugatis cap. 1. & 4.

QVARTA PROPOSITIO. Antiquissima, adeoq; Apostolica traditio est, vt qui mariti ad Episcopatum, Sacerdotium, & Diaconatum assumuntur, ab vxoribus suis abstineant: atque etiam Hypodiaconi: præsertim quando eius rei ante ordinationem præmoniti fuerunt. Hoc docent vetera Concilia, *a* Elibertinum, *b* Carthaginense, *c* Antisiodorense, *d* Agathense, *e* Arausicanum, *f* Arelatense, *g* Turonense, &c. Beatus *h* Epiphanius: *Sãcta,* inquit, *Dei Ecclesia vnius vxoris virum adhuc liberos gignentem non suscipit, sed eum qui se ab vna continuit, vel saltem in viduitate vixit Diaconum & Presbyterum, & Episcopum & Hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt*

a *Cap. 33.*
b *2. ca. 2. & 5. Cap 3.*
c *Cap 21.*
d *c. 9. & 16*
e *Cap. 22. & 23.*
f *Cap. 2.*
g *1. ca. 2. & 2. Cap. 11.*
h *Hær. 59. Incompentiaria doctrina Catholicæ fidei.*

Canones Ecclesiastici At dices mihi, omnino adhuc in quibusdam locis liberos gignere & Presbyteros & Diaconos & Hypodiaconos. At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Nam Sacerdotium ex virginibus quidem vt plurimū procediti si verò non ex virginibus, at ex solitariam vitam degentibus, de his qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem seruantibus. Eusebius Cæsariensis, qui Niceno Concilio adfuerat. *Eos*, inquit, *qui sacrati sunt atque in Dei ministerio, cultúque occupati, continere deinceps seipsos à commercio vxorii decet.* B. Hieron. in hac re multus est: *Apostoli*, inquit, *vel virgines fuerunt, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur aut vidui, aut certè post Sacerdotium in æternum pudici. Castrant se ab vxoribus suis, vt imitentur virginum castitatem.* Vigilantium hæreticum scribit docuisse, non esse Diaconos ab Episcopis ordinandos, nisi prius duxissent vxores. *Sed quid*, inquit, *facient Orientis Ecclesiæ, quid Aegypti & Sedes Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Aduersus Iouinianum ait, *confitendum esse, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir* (inquit) *tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* B. Gregorius Turonensis refert S. Vrbicum Episcopum Aruerniæ, quod semel vxore sua fuisset vsus, *de perpetrato scelere doluisse, atque in monasterio Diœcesis suæ cum gemitu & lachrymis pœnitentiam egisse, & quod commiserat, diluisse.* Ioannes Epiphannij discipulus scripsit,

Lib. 1. Demonst. Euang. ca. 9.

Apologia pro libris contra Iouinianum.

Contra Vigilantium.

Lib. 1. contr. Iouinianum.

Lib. 1. Hist. Fran. ca. 39.

In vita Epiphanij.

pſit, Diaconum, qui vxorem ſuam cognouerat, viſum eſſe D. Epiphanio fœdiſſima lepra in fronte percuſſum. Sanè Apoſtoli niſi vxoribus dimiſſis (quas inter relinquēda Dominus numerauit) nūquam de relictis à ſe rebus omnibus apud Chriſtum gloriarentur, neque dicerent, *Secuti ſumus te*, niſi eius conſilium ſecuti eſſent, *vt ſe caſtrarent propter Regnum Dei*. Et quam ipſi caſtitatis perfectionem ſectati ſunt, eandē ſucceſſoribus, poſteriſq; ſuis imitandam propoſuerunt; maximè quod non ignorarent ab Iſaia prædictum de Eunuchis, qui ſe caſtraturi erant propter regnum Dei: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus.* Siquidem in Eccleſia, quæ eſt domus Dei, & in templis Chriſtianorum, Sacerdotes veri Eunuchi voluntarij, principem locum tenent: ad quorum pedes prouoluti Reges & Monarchæ, peccatorum ſuorum condonationem lachrymis petunt. Hi autem Apoſtolorū ſucceſſores tam accuratè eos in ſeruanda caſtitate imitati fuerunt, vt ab eorum pudicitia, quæuis inſignis & grauis caſtitas, nomen ſortiretur pudicitiæ Sacerdotalis.

Matt.19.27.
Matt.19.12.
Iſai.56.4.
1.Tim.3.15.
Hier. Tit.1.
Euſeb. lib.3. Demonſtr. Euang.ca.8.

QVINTA PROPOSITIO. Sanctiſſimus mos eſt Romanæ Eccleſiæ, rationiq; & Scripturis conſentaneus, atq; à maioribus acceptus; quo neminē ad ſacros Ordines admittit, niſi cœlibē, aut qui de vxoris cōſenſu caſtitatem

tatem suam Deo consecrauit. Ista propositio ex antecedentibus manifestè consequitur. Demonstratum est quippe magis idoneos esse diuinis ministerijs, & altaribus, castos, quàm coniuges: Castorum autem virorum, eorumq; in diuina lege peritorum, non exiguo numero abundat Ecclesia: Si igitur non desunt idonei, quid opus erit maritos incontinentes promouere, minus aptos ad Sacerdotij functiones?

SEXTA PROPOSITIO. *Nemo ad sacros Ordines vel accedere deberet, vel admitti, nisi qui naturam suam, vires que ad conseruandam castitatem diligéter explorasset: hinc namque tot gradibus atque ordinibus ascenditur ad Sacerdotiũ, vt multorũ annorum experientia, quisque de se periculum faciat. Vtinam,* (inquit Beatus Bernardus) *turrim inchoaturi sedentes computarent, ne fortè sumptus non haberem ad perficiendum: vtinam qui continere non valent, perfectionem temerariè profiteri, aut cœlibatui dare nomina verentur.* B. Gregorius eos grauiter incusat, qui Diaconum parùm probatæ castitatis, ad altiores gradus suis suffragijs euehere conabantur.

De conuersione ad cler. cap. 29.

Li. 8. epist. 40.

SEPTIMA PROPOSITIO: *Nemini prorsus homini, qui castitatem suam Deo offerre deliberat, impossibile est, castam vitã seruare, nedum Sacerdotibus & Clericis, qui per sacros Ordines ad continentiam obligantur. Huius rei causa in Deo est, qui neminem gratia sua destituit, in re ad salutem æternam consequendam necessaria vel percommoda.*

Sap. 8. 21.

Homo

Homo quidem viribus suis continens esse nequit, nisi Deus dederit. At Deus dat affluenter petenti, atque in se confidenti. Duplicia namque sunt diuinorum bonorum genera: quædam ad animæ salutem, aut perfectionem sua natura non referuntur; qualia sunt dona naturæ, atque fortunæ, corporis sanitas, pulchritudo, diuitiæ, scientia, perspicax ingenium, tenax memoria, eloquentia, &c. Alia ad animæ salutem, aut perfectionem ex se plurimum valent; quo in genere sunt virtutes, quibus semper bene vtimur, & abuti non possumus. Priora Deus rogatus sæpe recusat: posteriora largitur tempore suo: his quidem minore ipsorũ labore, alijs verò maiore. Huc pertinet castitas virtus nobilissima, Deoque gratissima, quam Deus nemini quidem ad eam aspiranti negat, nec in vitium incontinentiæ illos labi patitur, qui syncerè auxilium eius implorant, quibusdam tamen facilem reddit: Sicut de S. Thoma Aquinate historiæ prodiderunt, qui superato vnius mulieris impetu, nunquam per omnem vitam sensit carnem suam aliqua libidine pulsari. Ab alijs autem vult comparari non sine magna animi contentione atque certamine; qualis fuit B. Hieronymus, qui in extrema senectute, necdum prorsus omni carnis molestia caruit. Igitur quisquis virtutem castitatis sectatur, primò quidem pulset seriò aures diuinæ pietatis; tum verò impuritatis occasiones vitet, ebrietatem fugiat, quia venter vino æstuans,

Duo genera bonorum.

1.

2.

Remedia ad seruandam castitatem.

1.

2.

æstuans, citò spumat in libidinem: Et iuxta veterum Conciliorum a Niceni 1. b Carthaginensis, c Arelatensis, d 1. & e 2. Turonensis. f Moguntini, &c. receptos Canones; Beatorumq; Pontificum g Clementis, h Stricij, i Innocentij, k Gregorij, &c. decerta; & Sanctorum Episcoporum Martini & Augustini exempla, vel nullam prorsus mulierem, vel solam matrē, sororem, amitam, aut castissimam anum in domum admittat; fœminarum, etiam castarum fine teste aditus, cōgressionesq; fugiat; oculos in formas nūquam conijciat; omnes mulieres æqualiter ignoret: Et si necdum ista ad cohibēdos motus concupiscentiæ sufficiūt; asperitatem cilicij, vigiliarū, ieiunij adhibeat; corpusque petulcum laboribus obruat, & ad proximas inferni pœnas oculos conuertens, terrore temperet libidinis æstus. B. Benedictus in spinas se volutauit nudum; S. Frāciscus in frigidissimas niues, vt superata tentatione infernum euaderent. Caueatur otiū malorum omnium origo, sacraq; Scripturarum lectione & meditatione mens continenter occupetur; & per sanctas cogitationes præcludatur illecebris ostium cordis: *maximum enim ad iustitiam auxilium est* (ait B. Hier.) *implere diuinis eloquijs animā, & quod opere cōsequi cupias, sēper corde meditari.* Quī his reb. armatus fuerit, facilè hostē superabit.

a Cap. 3.
b Cap. 1.
c Cap 4.
d Ca. 2. & 8.
e Cap. 10. 11.
f Cap. 20.
g Epist. 4.
h Epi. 1. cap. 12.
i Epist. 2.
k Lib. 7. Epist. 110.

3.

Epist. ad Celantiam.

OCTAVA PROPOSITIO: Vota castitatis, quæ in Ordine sacro nuncupauimus Deo, necessariò sunt seruanda. Nam de his qui

vota

vota violare ausi fuerũt, scribit D. Apostolus, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: fidem, inquam, hoc est, iuxta *a* Epiphaniũ ἐπαγγελίαν, seu promissionem: iuxta Ambros. professionem: iuxta *b* Augu. & *c* 4. Conc. Carthag. votum; pactum deniq; ex Theophylacti interpretatione. Sanè si Apost. Paulus eas, quæ à proposito viduitatis discesserunt, dixit habere condemnationem: quãto potius eos, qui ad votum castitatis adiunxerunt consecrationẽ? Qui cõtracto matrimonio fidem dedit vxori, datam fidem seruare tenetur, quocunq; tandẽ euentu, vel coniugis infirmitate, vel sua professione, ab vxoris consuetudine arceatur: neque ei ad violãdum matrimonium patrocinatur iuuenilis ætatis ardor, non morbi diuturnitas, non mille occasiones, quibus sæculares homines, & mariti voluptatibus assueti, ad libidinẽ incitãtur. Igitur, qui fidẽ Deo dederũt, & solenni voto sese pudicitiæ consecrauerũt, sine incestu, aut adulterio (sic vocat B. Hie. vel potius sine graui sacrilegio, fidem frãgere, tẽplumq; sui corporis Deo sacratũ, quibuscunq; nuptijs violare nõ possunt. Ideo namq; à Scriptura appellantur Eunuchi, & propter regnũ cęlorum castrati: quia sicut Eunuchi ad matrimonium prorsus inepti sunt, prolisq; procreandæ facultate priuati: Ita, qui voto castitatis sibi potestatẽ ademerũt experiũdę voluptatis, impossibiles sibi fecerũt nuptias, quas sine peccato mortali inire nõ possunt. Hoc.n. verè est

1. *Tim.* 5. 12.
a Hæresi 48.
b Lib. de Sancta virgine, cap. 33. & *lib.* 1. *de adulterin. coniugijs cap.* 24.
c Cap. 104.
B. Innocẽ. Epist. 1.
Li. 1. *contrà Iouinianũ.*
Isai 56. 4. & *Matth.* 19 12. *Simile.*
Vide Basilium de virginit.

im-

impossibile, quod sine peccato nequit præstari.

NONA PROPOSITIO: Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinam foueat, tametsi graui sacrilegio sese obstringat grauius tamen peccat, si contrahat matrimonium: ut est leuius peccatum, si maritus neglecta vxore, vel vaga libidine se polluat, vel cum stabili scorto adulterium committat: quàm si dimissa vxore, aliam sibi publico matrimonio iungat. Grauitas namque huius peccati, in eo cernitur: Primò, quod iniuria fiat priori matrimonio. Secundò: quod vxor per insuper inductam aliam grauius lædatur. Tertiò, quia per publicum hunc cõtractum cum adultera inuerecũdius, maioriq́ue aliorum ostensione & scandalo peccatur. Quartò, quia publica ista fides & promissio indicat animum in peccato obstinatè confirmatum, qui non per imbecillitatem, sed deliberatè immane scelus committit: Pari modo Sacerdotes, qui nuptias ineunt. Primò, voto solemni castitatis iniuriã faciunt, Secundò, Ecclesiam grauius vulnerant, cum qua tanquam sponsi sunt copulati. Tertiò, inuerecundius scortantur cum ea, quam pro sua haberi volunt. Quartò, obstinata perfectaq́ue voluntate in peccato perseuerant. Quintò, hæresi vitiatum habent intellectum, quod arbitrentur esse nuptias, quæ non sunt nuptiæ, sed peiora omnibus adulterijs sacrilegia. Hæc quæso expendant impuri hæreticorum

Mala in nuptijs adulteri.

1.
2.
3.
4.

Mala in nuptijs Sacerdotum.

1.
2.
3.
4.
5.

ticorum ministri, qui Sacerdotium, quod in Catholica Ecclesia susceperunt, incestis nuptijs fœdant; & eorum aliqui non solùm per sacros Ordines castitatem professi, sed per solennia etiam castitatis monastica vota Deo consecrati, sacrilega matrimonia ineunt: plerique etiam cum virginibus Deo sacratis, & solemni benedictione professis atque velatis: qui Christo sponsas impiè & scelerate eripiunt. Graue est adulterium, si maritus reiecta sua, aliam ducat; grauius si alterius sibi vxorem cum viri infamia & dedecore matrimonio iũgat, & grauius adhuc est crimen, si spretus maritus altiori dignitate & loco emineat. Quam graue ergo flagitium cõmittit Sacerdos, & Monachus, qui virginem Deo sacram ex monasterio abductam, sibi matrimonio copulat? De Diacono, qui sanctimonialem corruperat, loquens B. Hieronymus, *Rogo*, inquit, *quantum crimen est, vbi stuprum & adulterium parum est?* *Ad Sabinia-num.*

DECIMA PROPOSITIO, ex antecedentibus sequitur: Sacerdotibus nullo modo permittenda sunt matrimonia, tum quia id ab Ecclesiæ consuetudine semper fuit alienũ, tum quia non desunt rationes seruandæ castitatis ei, qui serio animum adijcit ad perficiendum illud, ad quod voti religione obligatus tenetur. Beatus Augustinus refert suo tempore plerosque ad Sacerdotium abreptos fuisse inuitos, qui tamen *susceptam semel pudicitiam ad debitum* *Libr. 2. de adulterinis coniugijs cap. 20.*

bitum finem, inquit, *Domino adiuuante perduxerunt*. Concilium 8. Toletanum imperat illis clericis castitatem, qui se querebantur coactos ad sacros Ordines. Quocirca nulla excusatio locum hîc habeat, aut voluptatis patrocinium suscipiat.

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

Gen. 1. 22. & 8. 17. Deus Adamo & Noe posteriſq; eorum præcepit, *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Omnes igitur tenentur inire matrimonia ad mandatum illud conseruandum.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: quia præceptum hoc datum est, non singulis hominibus, sed toti humano generi, quod illi satis superque morem gessit, multiplicatis, atque in vniuersas terræ prouincias quaquauersum dispersis hominibus. *Mandata duplicia.* Mandata quædam in republica dantur singulis ciuibus: quædam autem toti Reipublicæ, quæ tunc conseruata censentur, si à quibusdam id perficiatur quod imperatur: *Simile.* veluti cùm à Rege præcipitur ciuitati, vt in portis & mœnibus excubiæ agantur, huic præcepto obtemperatur, si aliqui constituâtur vigiles, tametsi non parum multi tali onere liberentur. Mundus nunquam his destituetur qui

crescant,

crescant, multiplicent & repleant terram, cũ plures illi sint, qui nuptijs gaudeãt, quàm qui cœlibatu: *& nuptiæ terram replent*, (ait B. Hieronymus) *virginitas paradisum*. *Lib. 2. cõ. Iouinianum.*

SECVNDA.

B. Apostolus seriò mandauit discipulis suis Timotheo & Tito, vt nemo ordinaretur Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, nisi qui esset vnius vxoris vir: Ait enim, *oportet Episcopum esse vnius vxoris virum*. Nemo igitur est creandus Sacerdos, nisi maritus, aut qui vxorem ducere velit. *1. Tim. 3. 2. 12. & Tit. 1. 6.*

SOLVTIO.

Antecedens negatur, quia B. Apostoli verba, *oportet Episcopum esse vnius vxoris virum*, duplicem admittunt sensum, vnum hæreticum, vt nemo consecretur Sacerdos, nisi qui saltem vel vnam vxorem habuerit. Hoc sanè si dixit Apostolus, Christi Domini sui exemplum nõ est secutus: qui B. Ioan. Euangelistam virginẽ, Apostolorum numero adscripsit: quem etiã, teste Beda, à nuptijs in *a* Cana Galileæ reuocauit; & *b* plerosque alios cœlibes & innuptos habuit. Malè etiam ipse Timotheum & Titum Episcopos fecit: & malè denique post Christum, *c* virginitatem consuluit. Alter sensus Catholicus est, non esse consecrandum Sacerdotem, qui amplius quàm vnius fuisset vxoris maritus: hoc est, qui secundas nuptias expertus esset. Quod etiamnum sanctè obseruat *Duplex expositio.* 1. a *Ioan. 2. 1.* b *Matth. 19. 12.* c *1. Cor. 7. 25.* 2.

a Epist. 1. b Epist. 2. c in 1. Tim. 3. & ep. 82. d ad Oceanum & li. 1. contra Iouinianum. Vide Zachariam epist. vltim. ad Bonifacium. e 1. Tim. 4. 3.

Ecclesia, qui bigamum nullum, adeoque neeum, qui viduam duxisset, admittit in ordine sacerdotij. Ita aduersus hæreses Iouiniani & Vigilantij, qui se hoc loco B. Pauli tuebantur, veteres hunc locum interpretati sunt, a Hieronymus, b Innocentius, c Ambrosius, d Hieronymus, & quotquot aduersus illos pro castitate scripserunt.

TERTIA.

Idem Apostolus Timotheo prædixit, e venturos quosdam spiritus Dæmoniorum nouissimis temporibus, qui prohibeant nubere: ergo non sunt prohibēdæ nuptiæ Sacerdotibus.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: quia Ecclesia absolutè non prohibet nubere, hoc est, non damnat nuptias, neque alicui libero homini matrimonio interdicit: sed illos tantùm, qui spōte sua se castitatis voto obstrinxerunt, & cùm liberi essent, facultatem nubendi sibi ademerunt, vult reddere vota sua, quæ distinxerunt labia ipsorum. Apostolus de illis hæreticis loquitur, qui iam tum suis temporibus paulatim exoriebatur (ait enim ὑστέροις καιροῖς, in posterioribus temporibus, hoc est, paulò post) Saturnino Simonis Magi discipulo, eiusque sectatoribus Marcionistis, Encraticis, Manichæis, qui nuptias tanquam à Dæmone inuentas damnauerunt. Et illos quidem significauit tam-

tam esse vicinos, vt etiam tunc præmonendi essent fideles: *Hæc proponens fratribus*, inquit, *bonus eris minister Christi.*

QVARTA.

Apostolus Corinthijs præcipit, vt propter fornicationem *vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum.* Ergo nemo debet carere vxore. 1. Cor. 7. 2.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: non enim dixit, vnusquisque ducat vxorem, aut habeat vxorem; sed habeat vxorem suam, hoc est, qui mariti sunt, vtantur vxoribus suis. Respondent enim quæstioni à Corinthijs per literas propositæ, liceretne Christianis, qui ad omnem sanctitatem & munditiem nati viderentur, vti consuetudine suarum vxorum, quas sibi ante Baptismum matrimonio iunxissent. Respondet licere, & debitum coniugi id exigenti omninò reddendum esse: Consultum tamen fore, si interdum abstineant, ijs præsertim temporibus, quibus vacaretur ieiunio & orationi, vt Deus puriori mente obsecraretur; & caro, dũ ieiunijs affligitur, etiam voluptatibus cohiberetur. Nulla ergo hîc mentio fit virginum, aut eorum qui continentiam profitentur. De quibus postea ex instituto loquens; a *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, &, b *melius est si sic permanserint secundùm meũ consilium.* a 1. Cor. 7. 25. b 1. Cor. 7. 40.

QVINTA.

Idem Apostolus de non nuptis & viduis loquens, *Si*, inquit, *se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri*. Ergo quisquis continere non potest, ei licebit vxorem ducere. Cùm itaque experientia doceat, multos Sacerdotes continere non posse, licebit vtique omnibus matrimonium contrahere: quia de omnibus verùm est, melius est nubere, quàm vri.

SOLVTIO.

Negatur ex verbis B. Apostoli Pauli illud consequi, vt quicunque non se continent, nubant: quia hominibus loquitur nullo vinculo ligatis vel matrimonij, vel voti. *Illis* (inquit D. Augustin.) *qui se non continent, vtique expedit nubere, & quod licet, expedit: qui autem vouerint cõtinentiam, nec licet, nec expedit.* Notandum porrò est, nõ ita loqui B. Paulum, qui non se possunt continere, nubant, sed *qui non se continent, nubant*: hoc est, quibus non stat animus seruare continentiam, illis consultius est vxorem ducere, quàm vt à voluptate superati fornicatione castitatem polluant. Sacerdotibus, & qui suam castitaté Deo consecrauerunt, incumbit necessitas continẽdi, nec licet vxorem ducere: & ne vrantur, hoc est, ne à libidine vincantur, admouenda sunt remedia, non nuptiarum, sicut innuptis & liberis; sed ieiuniorum, asperitatis vitæ aliarumque rerum, de quibus superius locuti sumus.

Lib. 1. de adulterin. coniugijs cap. 15.

SEXTA

SEXTA.

Castitas est Dei peculiare donum iuxta illud, a *sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*: &, b *non omnes capiunt verbum hoc*. Quicunque igitur hoc donum non habent (vt constat multos Sacerdotes non habere) non poterunt castitatem seruare, neq; à nuptijs debent prohiberi.

a *Sap.8.21.*
b *Matth. 19.11.*

SOLVTIO.

Negatur consecutio. Inepta est namq; collectio, non habet donum castitatis, ergo non potest habere: sicut malè colligitur, mendicus non habet panem, ergo non potest habere. Pauper pane carens circumcursitando, mendicat sibi panem: Ita qui castitate donatus nō est, si à Deo orationibus petat, conatu studioque virtutum quærat, & corpus castigatione pulset; accipiet, inueniet, sibiq́ue aditum ad pudicitiam apertum videbit. Misera est hæreticorum conditio, qui quod non habēt, se vnquam habere posse diffidunt.

Simile.

SEPTIMA.

Nemo potest promittere, quod non est in sua potestate: non igitur licet cuiquam vouere castitatem, quam non certò constat eum habere.

SOLVTIO.

Negandum est Antecedēs, quia filius in peregrina regione destitutus pecunia, mutuum

acceptum ad vitæ sustentationem promittit soluere, confisus de parentis sui amantissimi & opulentissimi liberalitate, Ita Christianus, qui studio vitæ perfectioris incensus castitatem amat, securè illam Deo promittit, confisus de misericordia Dei, quem scit castitate delectari, & piorum in se fiducia gaudere: nô enim dubitat, quin qui vouere dedit, daturus sit & perficere. Magna est blasphemia, ita de Deo sentire, atque si charissimo filio, nihil præter eius gloriam quærenti, & in ipsum firmiter speranti, vel non posset, vel non velit succurrere.

Simile.

OCTAVA.

Plerisq; Sacerdotibus nihil vel de hoc voto castitatis, vel de inhabilitate ad matrimonium constabat, quando ad sacros Ordines promouebantur, Ergo saltem illis permittendum est matrimonium.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia: hæc namque crassa ignorantia rei tanti momenti excusare non debet illum, qui officium adit Sacerdotis & Doctoris populi: huic dicetur, *Si quis ignorat, ignorabitur*. Sicut enim qui init matrimonium, non debet ignorare hanc matrimonij conditionem, qua coniux coniugi fidem seruare tenetur; & si ex crassa istius rei ignorantia committit adulterium, meritò punitur: Ita qui susceperus est Ordines sacros, nosse debet seruandam

1. Cor. 14. 38. *Simile.*

uandam sibi in posterum castitatem, quia, vt ait Beatus Syricius Pontifex, *Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare est liberum.* *Epist.1. Concil.1. Carth.cap.3. Cælestinus epist.3.*

NONA.

Nonnulli à parentibus vel ad Sacerdotium, vel ad castitatis professionem quasi inuiti impelluntur: ergo his non erit seruanda castitas.

SOLVTIO.

Negatur consecutio: non enim vis illis infertur vt nolentes suscipiant Ordines, voluntate repugnante; sed parentum auctoritate inducuntur vt velint, quod alioquin minus ex se ipsis probabatur: Hoc Arist. appellat voluntarium mixtum, quo modo mercator in tempestate maris volēs & inuitus abjcit merces. Sicut igitur qui ad eundem modum à parentibus coactus duxisset vxorem, matrimonio esset ligatus: ita qui sacros Ordines recepit, voto castitatis manet obstrictus.

DECIMA.

In veteri testamento permissum erat Sacerdotibus ducere vxores: ergo idem licebit in nouo testamēto; ne videamur imponere onus grauius, quàm fuerint onera legis Mosaicæ.

SOLVTIO.

Vetus est incontinentium obiectio, cui ante 1200. annos responderunt *a* Syricius, *b* Innocen *a Epist.1. b Epist.2. & 3.*

a *in* 1. *Tim.* 3 b *lib.* 1. *de mon. Euang. cap.* 9.

centius, *a* D. Ambrosius, *b* Eusebius Cæsariensis, & plerique Patres. Magnum quippe est discrimen inter Mosaicos Sacerdotes & Euangelicos. Primò, illi Sacerdotes ad certam tribum alligati, debebant initis matrimonijs progignere successores. Nostrum Sacerdotiũ non carnali propagatione, sed diuina consecratione transmittitur ad posteros. Secundò, illi Sacerdotes immolabant belluinas carnes:

Differentiæ Legalium & Euangelicorum Sacerdotum.

1. Nostri offerunt diuinum corpus & sanguiné
2. vnigeniti Filij Dei. Tertiò, illi rarius ad sacri-
3. ficandum accedebant, tempore nimirum vicis suæ; & tunc tamen congressu vxorum, & potione vini abstinendum fuit: Nostri quotidie sacris mysterijs sacrificiorum, orationum, & Sacramentorum peragendis incumbunt.
4. Denique lex illa rudior fuit: nostra lex spiritualis. Quocirca non est incommodum, si in lege Euangelica sint præcepta quædam carni molesta, quæ spiritui grata sunt, & leuia: hæc enim dici non debent onera grauia, quia & animum hominis mira suauitate, quando implentur, perfundant, & vt perferantur, non deest vberrima gratia & auxilium Dei qui apud Prophetam Oseam ita promisit, *Et quasi nutricius Ephraim, portabo eos in brachijs meis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Homini onusto, si ipse portetur, minus grauis est sarcina; si verò etiam ab alio sustentetur, vel nihil, vel parum molestiæ adferet baiulo.

Oseæ 11. 3.

VNDE-

VNDECIMA.

Matrimonium non est Diuino iure prohibitum Sacerdotibus: ergo sine vitio licebit eis vxores ducere: nam Syricius Papa est primus istius cœlibatus inuentor.

SOLVTIO.

Primò negandum antecedens, tũ quia Scriptura iubet, vt quæ Deo vouimus non moremur reddere, displicet .n. ei infidelis & stulta promissio: omnes autem qui sacris initiantur, hoc votũ castitatis (sicut superius dictum est) nuncupant Deo: Tũ quia Apostoli nõ sine Dei iussione canonibus suis, & constitutionibus cauerunt, ne quis ex clericis vxorẽ ducat, prẽter cãtores atq; lectores. Secundò negari posset consecutio: si enim ea sola obligabunt, quæ diuinis mandatis præcipiũtur, tolletur omnis obedientia, quę superioribus Ecclesiasticis, secularibus, politicis, naturalibus seu parentibus, debetur, qui multa plerũq; iubent Diuina lege non expressa. Sat est ad obligationem, si nihil mandetur repugnans præceptis Dei. Ecclesia igitur mater nostra, quæ talem authoritatem in filios suos à Christo sponso accepit, vt qui eam audire noluerit, habendus sit tanquam Ethnicus & Publicanus: hęc inquam Ecclesia legem imponit castitatis illis, qui ad altaris ministeria consecrantur. Ex canonibus Apostolorum, veteribusque Concilijs *a* Neocesarienſi, *b* Niceno, *c* Romano sub Syluestro, *d* Elibertino, *e* Ancyrano, *f* Arelatẽsi, &c. manifi-

Eccles. 5.3. & *Deut.* 23. 21. & *Baruch.* 6.34.

Can. 17.

a *Cap.* 1.
b *Cap.* 3.
c *Cap.* 8.
d *Cap.* 33.
e *Cap.* 10.
f *Cap* 2.3.

manifestum est, B. Syricium istius cœlibatus non esse authorem. Sed quod ipse, & post eum B. Innocent. Pontifex, cum plerisq; Conciliis Aphricanis frequenter eius meminerunt, in causa fuit Iouiniana & Vigilantiana hæresis, quæ sub illa tempora castitatem impugnabat: solent namque Patres de illis rebus sæpius agere, quæ suis temporibus in dubium vocantur.

DVODECIMA.

Matrimonium est Sacramentum conferens gratiam: non igitur negandum est Sacerdotibus.

SOLVTIO.

Primò hæc ratio nihil prorsus iuuat hæreticorum matrimonia, quæ ipsi in Sacramentis non numerant. Secundò, negatur consequentia: non enim prohibetur Sacerdotibus matrimonium, quia sanctum est, nouæque legis Sacramentum; sed propter aliud, quod illi est annexum, coniunctionem, inquam, carnalem, quæ ex se tam fœda est, vt sanctitate Sacramenti egeat, qua sanctificetur; & animum hominis ad inferiora deprimit, vt minus idoneus sit cœlestia meditari atque tractare.

DECIMATERTIA.

B. Saluianus Massilien sis lib. 5. de prouidentia seu gubernatione Dei, de clericis, vel potius Monachis agens, *Nouum*, inquit, *prorsus con-*

uersionis

uersionis genus, licita non faciunt, & illicita committunt: Temperant à concubitu, & non temperant à rapina. Quid agis stulta persuasio? peccata interdixit Deus, non matrimonia.

SOLVTIO.

Non incusat Sacerdotes quod à matrimonijs abstineant, sed hoc vitio vertit, quod qui nuptias fugiunt, ex se naturaque sua non malas, ea tamen committant flagitia, quæ & cum lege diuina, & cum natura ipsa pugnant. Ad eum ferè modum, quo Christus cum Phariseis agens, *væ vobis* (inquit) *qui decimatis mentam & anethum, & cyminum* (hoc est, de his decimas soluitis) *& reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem; hæc oportet facere, & illa non omittere.* Matt.23.23.

DECIMAQVARTA.

Canon Apostolorum 6. ita habet; *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abijciat: si verò reiecerit, excommunicetur; sed si perseuerauerit, deijciatur.*

SOLVTIO.

Primò nihil hic de nouo Sacerdotum matrimonio dicitur, sed tantùm ne abijciatur uxor ante ordinationem ducta. 2. non præcipitur carnalis coniunctio, sed cauetur abiectio, hoc est, neglectus uxoris. Cui iam dimissæ iubetur Sacerdos de alimento, vitæque necessarijs prospicere. B. Leo Pontifex videtur ad hunc canonem

nonem respexisse, cũ ita scripsit Rustico Narbonensi Episcopo. *Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris; qui cum essent laici, siue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerint gradus, cæpit ijs nõ licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere; quò & salua sit charitas coniugiorum, & cessent opera nuptiarum.*

Epist. 92.

Vide D Grego. lib. 4. Dial. c. 11.

DECIMA QVINTA.

Cùm in Nicæna 1. generali Synodo Patres de Sacerdotum continentia legem ferre vellent, repugnauit, & rationibus suis eos à sententia abduxit B. Paphnutius Confessor, vir sanctus, & castus, dicens: *non esse hoc graue iugum viris sacris imponendum; honorabile cubile, & ipsas nuptias impollutas esse, &c.*

SOLVTIO.

Hanc historiam non acta Concilij Nicæni, nec quisquam qui circa ea tempora vixit, sed *a* Suidas, *b* Socrates, *c* Sozomenus, & *d* Nicephorus referũt. *e* Eusebius porrò Cæsariensis, qui cum cæteris Patribus illi Concilio interfuerat; *eos*, inquit, *qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps seipsos à commercio vxoris decet.* Et Epiphanius negat esse iuxta Canonem, vt Presbyteri, Diaconi, aut Hypodiaconi vxoribus suis misceantur. B. Hieronymus quoq; fatetur per Orientem, non nisi cœlibes, & ab vxoribus suis continentes ordi-

a *In vitæ Paphnutij.*
b *li. 1. ca. 11.*
c *li. 1. ca. 23.*
d *l. 8. ca. 19.*
e *lib. 1. demonstr. Euang. ca. 9.*
Hær. 59.
Contra Vigilantiam.

nari.

nari. Et hi non multò post Nicænum Concilium vixerunt atque scripserũt. Esto tamẽ vera historia, nihil in ea gestum est repugnans doctrinę Catholicę. Presbyteri multi ante Sacerdotium duxerant vxores; votum castitatis non emiserant, vxoribus suis vsi fuerant. Res magna visa est Patribus Cõcilij, maritos filiorum procreationi operam dantes, in ministerio altaris versari. Deliberant de interdicendo illis vsu coniugij. Paphnutius præuisa Sacerdotum & vxorum perturbatione, intercedit, rogatque non imponi illis castitatem, qui eam non admisissent hactenus: vxoribus fieri iniuriam, quibus inuitis mariti adimerentur. Sufficere antiquum Canonem, ne qui in sacris sunt, ad nuptias accederẽt. Ex qua historia discimus de sententia Paphnutij arcendos à matrimonio quotquot initiati sunt sacris Ordinibus. Eos autem Presbyteros, qui ante Ordines vxoribus iuncti fuerant, & continentiam professi non erant, (*nam Orientalem Ecclesiam*, ait Innocentius; *non admisisse votum continentiæ*) non prohibendos vsu suarum vxorum: quod diximus initio in quæstionem non venire. *Acheronen. si Archiepiscopo.*

DECIMA SEXTA.

Concilium 6. Constantinopoli tantum reprehendit Ecclesiæ Romanæ Canonem, qui Presbyteros vsu suarum vxorum interdicit, facitq; potestatem Sacerdotibus vtendi vxoribus; quæ consuetudo passim à Græcis obseruatur. *Cap. 13.*

SOLV-

SOLVTIO.

Non concilium sextum vniuersale, sed cõciliabulum quoddam Græcorum Episcoporum, 22. post sextum Concilium anno hunc Canonem edidit, in odium Romanæ Ecclesiæ, 2. nihil ad rem nostram facit ista constitutio, quę non vult Sacerdotes, Diaconos, aut Hypodiaconos ducere vxores (hoc enim aiunt cautum esse Canonibus Apostolicis) sed permittit Presbyteris frui vxoribus suis: quas ante sacros Ordines pro more duxerunt.

Canon. 6.

DECIMASEPTIMA.

B. Gregorius Pontifex affirmat duram & incompetentem fuisse prohibitionem factam Hypodiaconis Siciliæ, vt à suis vxoribus abstinerent.

Li. 1. Epist. 42. & l. 3. epist. 34.

SOLVTIO.

B. Gregorius prædictis locis tria quædam dicit. 1. morem Romanæ Ecclesiæ iam tũ fuisse, vt Hypodiaconi suis vxoribus non vterentur. 2. ad huius moris imitationem, ante triennium prohibitionem factam in Sicilia omnibus Hypodiaconis vxoribus suis vtendi: hoc autem durum videri, & incompetens, *vt qui* inquit, *vsum eiusdem continentiæ non inuenit neque castitatem ante promisit, compellatur à sua vxore separari.* 3. vt in posterum nemo in ordinem Hypodiaconorum assumatur, qui non promiserit castitatem, atq; etiam ab vxore sua continentiam,

nihil

nihil igitur hæreticis patrocinatur Beatus Gregorius.

DECIMAOCTAVA.

Græci Sacerdotes ducunt hodie vxores: ergo idem permittendum est Latinis. Sic enim loquitur Stephanus Papa. *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nam earum Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.* Distin. 13. cap. alter.

SOLVTIO.

Antecedens falsum est; verbaque Pontificis Stephani ex praxi Græcorum intelligi debent: nempe ipsorum Sacerdotes, Diaconos, & Hypodiaconos, matrimonio copulari: hoc est, vxores habere; non quas suscepto ordine sacro ducant, sed quas ante ordinem habuerant. Siquidem Græci, qui ad Sacerdotium adiecerunt animum, si continere nolint, matrimonium ineunt ante Hypodiaconatum: At qui cœlibes sunt initiati, nunquam de nuptijs cogitant, sicut nec illi, quorum vxores è viuis excesserunt. Socrates historicus affirmat in Oriente omnes præclaros clericos à mulieribus abstinere. Lib. 5. c. 22.

DECIMANONA.

Beatus Vdalricus Augustanus Episcopus grauissimè incusat Nicolaum primum Pontificem

ficem ob legem de Sacerdotum continentia latam: cumque multis argumentis à Sacerdotibus veteris legis; à verbis Christi, a *non omnes capiunt verbum hoc*; & Apostoli, b *vnusquisque vxorem suam habeat*: c *oportet Episcopum esse vnius vxoris virum*: atque ex Canone sexto Apostolorum, non esse abijciendam vxorem, &c. matrimonium Sacerdotum confirmasset; tandem adiecit B. Gregorium, qui pro cœlibatu Sacerdotum multa fecisse, & scripsisse dicitur, hac occasione à sententia motum, egisse pœnitentiâ, quod ex viuario suo, quo ministrum ad capiendos pisces miserat, sex millia capitum accepperit illorum infantum, qui propter decretum de cœlibatu Sacerdotum, ex fornicatione nati fuissent.

a Matth. 19. 11.
b 1. Cor. 7. 2.
c 1. Tim. 3. 2. & Tit. 1. 6.

SOLVTIO.

1. Constat Nicolaum primum annis centum præcessisse tempora B. Vdalrici. 2. Nullus Scriptor historiæ istius mentionem facit, quæ latere non potuisset Ioannem Diaconum in gestis B. Gregorij præclarè versatum. 3. Dicitur hæc Epistola B. Vdalrici reperta in Bibliotheca quadam Hollandiæ in oppido Veteris aquæ, vulgò *Aldewater*. Quamobrem nulla fides est habenda fabulæ; quam vel ab hæreticis, vel ab impuris concubinarijs confictam esse nihil dubitatur.

VIGESIMA.

Synesius quidam, qui à Theophilo Alexandrino

drino Ptolemaidis Episcopus designatus fuerat, scripsit Euopio fratri se ab vxore continere non velle. *Nicephorus 14. c. 53.*

SOLVTIO.

Ab exemplo vnius incontinentis hominis infringere velle consuetudinem Ecclesiæ, & Apostolicam traditionem, parum sapiẽtis est. Synesius porrò nõ aliam vxorem ducere post ordinationem, sed suam retinere voluit, sicut Græcis licere arbitrabatur.

DE IEIVNIO ET DELECTV CIBORVM.

CAPVT XVIII.

MAlignus spiritus, humani generis hostis acerrimus, cùm sciat nullum esse genus Dæmoniorũ, quod non eijciatur oratione, & ieiunio, omnibus viribus contendit Christianos his armis spoliare. Impugnat igitur per hæreticos Ieiunium, tanquam rem superstitiosam, Scripturis Diuinæque voluntati repugnantem; præsertim illud, quod, præcipiente Ecclesia, à Laicis suscipitur, ciborumque delectu & abstinentia continetur. Ait porrò Ieiunium optimum esse,

si quis ab omni vitio se abstineat, moderateq; cibum capiat, & promiscuè rebus omnibus vtatur, quas Deus Opt. Max. in cibum, vsumq; generis humani procreauit. Et hæc quidem dicit, non quod nos velit vitia declinare, ac temperanter viuere; sed quod cupiat nostra ma Ieiunij abijcere: quibus priuati, haud facilè eius incursiones atq; impetus sustinere possimus: verùm eius imperio, potestatiq́ue subiecti, in omne vitiorum genus præcipites feramur. Itaque hæc controuersia aliquot Propositionibus tractari poterit, vbi quid nomine Ieiunij intelligendum veniat, paucis expli cuerimus. Ieiunare, est à cibis abstinere: quod cùm varijs modis præstetur, varijsque ex causis, fit, vt multiplex sit Ieiunium. Quidam temperanter viuunt, qui neque nimio cibo, potuue se replent, neque famem perpetiuntur, quod propriè non est Ieiunium, sed temperãtia. Alij à quibusdam cibis abstinent, alijs tamen vescuntur quauis diei hora: quomõdo Christiani diebus veneris & sabbathi carnibus non vtuntur. Alij cibum capiunt solùm sub vesperam, & tunc quoslibet cibos admittunt, quale est ieiunium Iudæorum, & nostri temporis hæreticorum. Alij carnibus abstinentes non ante meridiem, aut horam proximam meridiei cibum gustant, vna corporis refectione contenti. Sunt qui totos dies nihil edunt, & in dies aliquot abstinentiam producunt, sicut B. Antonium, Simeonem Stylitem, plureſque

Ieiunium multiplex.

1.

2.

3.

4.

5.

plureſque ſanctiſſimos Monachos feciſſe legimus.

Cauſæ porrò, quare à cibis abſtineatur, variæ ſunt. Vna, quod cibi exiſtimentur natura ſua mali, aut inquinati ac ſordidi, quo modo Iudæi nunc à carnibus porcinis ſuperſtitiosè, Manichæi & alij hæretici olim à varijs cibis impiè abſtinuerunt. Secunda, vt corporis valetudo curetur: ſic febricitantes vino & carnibus abſtinent. Tertia, vt intellectus grauiori cibo minimè impeditus atq; oppreſſus, ad ſua munera obeunda vegetior, promptiorq; reddatur, *quia* (vt ait B. Hieronym.) *Pinguis venter non gignit tenuem ſenſum*. Quarta, vt ſubtracto cibo corporibus ſimul ſubtrahantur vitiorum illecebræ, quæ ex cibis præſertim calidis, multumque nutrientibus excitantur. Igitur Ieiunium Eccleſiaſticum, de quo hoc loco diſputatio inſtituetur, eſt, cùm quis ad Dei gloriã, vt corpus affligat, carnibus abſtinens, nec ante meridiem, aut circa meridiẽ: nec amplius, quàm ſemel, corpus in die cibo reficit.

Cauſæ abſtinentiæ.

1.

2.

3.

Ad Nepotianum.

4.

Quid ſit ieiunium.

PRIMA PROPOSITIO. Homini Chriſtiano licet ad Dei gloriam omni cibo abſtinere, non vno tantùm, ſed pluribus etiam diebus, ſi ferat valetudo, ſiue ad edomandam carnem, vitiaque reprimenda, ſiue ad Dei beneuolentiam ſibi comparãdam, ſiue ad commodius vacandum orationi, ſiue ex alia cauſa eiuſmodi cum pietate cõiuncta. Chriſtus, Moyſes & Elias exemplo ſuo nos docent, quos imi-

Theodoretus in Philotheo.

tati non pauci Monachi & Anachoretæ, id rectè religioseq; à se factum esse miraculis confirmarunt.

SECVNDA PROPOSITIO. *Illis, qui vel non possunt, vel nolunt carere omni prorsus cibo, licet ex ijsdem causis abstinere ab aliquibus cibis: sicut* a *Rechabitæ omni potione vini sibi olim interdixerunt, &* b *B. Timotheus aquam solam bibere consueuerat.*

a *Iere.35.6.*
b *1.Tim. 5.23.*

TERTIA. *Cùm Christus nihil in sacris literis de ratione ieiunij præscripsit, eius vtique modum, frequentationem, & tempora cõstituenda reliquit Ecclesiæ. Prædixit quidem* Christus fore, vt Apostoli cæteriq; Christiani ieiunaturi essent. Et ieiunij vtilitatem nobis commendauit, cùm diceret, *hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.* Ecclesiæ tamen potestati permisit definita tempora, formamque ieiunijs constituere, & pro conditione personarum, temporum, atque locorum ieiunij rationem prudenter moderari.

Matt.9.15.
Matt.17.21.

QVARTA PROPOSITIO. *Ecclesia à Christo authoritate accepta, rectè imposuit Christianis ieiunia, & à certis cibis abstinentiam, cuius præceptum quisquis violat ac contemnit, graui peccato sese obstringit. Ecclesiam habere ius in sibi subiectos in his quæ ad animarum salutem pertinere iudicauerit, si quis in dubium vocare velit, is omnem obedientiam de medio sustulerit. Si enim alicui*

Ecclesia

4.

præ-

præcipienti est obtemperandum, illi certè erit, quæ est Christi sponsa, & mater nostra, cuius nulla in terris est maior authoritas. De qua Christus ipse sic dixit, *a Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. Igitur si *b* Rechabitæ parenti suo Ionadab filio Rechab præcipienti, vt à vino abstinerent, obtemperare debuerunt, si *c* Magistratui sæculari obediendum est, non solùm propter iram & metum: sed etiam propter conscientiam: si serui Dominis, filij Parentibus, discipuli Præceptoribus, cæteriqué subditi suis Superioribus morem gerere iubentur: potiori iure obedire debent Christi fideles Ecclesiæ matri suæ, quæ Spiritu sancto afflata, nihil vel constituere potest, & imperare, nisi quod ad gloriam Dei, animarumqúe salutem plurimum faciat. Apostoli certis ex causis in Concilio Hierosolymitano, interdixerunt Christianis esu sanguinis, & illorum ciborum, qui immolati fuerant Idolis: idqúe tantùm ad Iudæorum offensionem declinandam, eratq; à Christianis huic mandato parendum, quandiu causa mandati locum habuit, quia nisi impulsu Spiritus sancti, & authore Deo nihil vnquã præcipit Ecclesia: *Visum est* (inquiunt) *Spiritui sancto, & nobis.*

a *Matth.* 18. 17.
b *Ier.* 35. 6.
c *Rom.* 13.
Actor. 15. 28. 29.

Quando dicatur Ecclesia præcipere.

Cæterùm, vt Ecclesia aliquid præcipere dicatur, nõ est necesse singula membra Ecclesiæ definitioni subscribere, aut suam authori-

tatem interponere: satis enim fuerit, si Ecclesiæ maiores & Superiores id decernant, & mident: sicut in omni Repub. dicitur hoc fecisse vel decreuisse Ciuitas, quod à solo Magistratu est profectum ac constitutum, vel ab ijs, qui Rempublicam, vt capita referunt. Christus ait.

2 Matth. 18. 17. nè, qui iussit dicendum *a* Ecclesiæ peccatum fratris, qui commonitione priuata à scelere minimè reuocetur, non voluit singulos adeũdos esse Christianos, sed solos Ecclesiæ Prælatos. Nam sicut totus homo dicitur audiuisse atque dixisse, quod caput hominis loquitur vel audit: ita quod moderatores Ecclesiæ ex officio constituunt & mandant, id censetur Ecclesiæ esse mandatum. Porrò Moderatores Ecclesiæ non sunt Principes, aut qui sæculari magistratu funguntur (quales totis trecentis annis ante Constantinum Imperatorem vix

Simile.

Act. 20. 20. vlli fuerunt, qui inter Ecclesiæ membra numerarentur) sed Episcopi & animarum Pastores, *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Et hos non est necessum coire in vnum locum, vt Ecclesia aliquid mãdasse dicatur: sed satis est, si supremus Christi in terris Vicarius, summus Pontifex legem ferat, & Episcopus denũciet: Illi deinde per subiectos sibi Rectores Ecclesiarum, populis sibi commissis euulgent: Et hoc vbi per vniuersam Ecclesiam fuerit actum, habetur totius Ecclesiæ generale mandatum. Particularia vnius pluriumue Ecclesiarum præcepta dicuntur, quæ non toti Orbi, sed

sed priuatis Ecclesijs imposita sunt. Sicut ex causis habent singulæ Diœceses sua festa, suaque ieiunia, ad quorum obseruationem obligantur quicunque ad Diœceses illas & Ecclesias pertinent.

QVINTA. Ieiunium Quadragesimæ est Ecclesiæ indictum ab Apostolis. Ita Beatus Hieronymus, *Nos vnam* (inquit) *Quadragesimam ex Apostolorum traditione ieiunamus.* b Beatus Leo Pontifex affirmat propterea ab Apostolis per doctrinâ Spiritus sancti institutam, *vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos gessit, ageremus, ad reparandam mentium puritatem.* Apostoli sanè in Canonibus suis Quadragesimæ obseruationem sub graui excommunicationis comminatione, si à Laico violetur, & depositionis, si à Clerico, induxerunt. c Et antiquissimus Ignatius, *Quadragesimam* (inquit) *nolite contemnere: imitationem enim habet Dei conuersationis.* d Origines quoq; *habemus Quadragesimæ dies ieiunijs consecratos.* e Beatus Ambrosius autem, *Non leue* (ait) *peccatum est fidelibus indictam à Domino Quadragesimam violare. Et qui sciens indictum à Christo ieiunium soluit, quid meretur?* f B. Augustinus testatur Quadragesimæ ieiunium *habere authoritatem ex vet. ti lege, & ex Euangelio, atque vt obseruatur Eccl. siæ consuetudinem roborasse.* Quamobrem necessariò ab omnibus seruãda est Quadragesima, *non enim leue peccatum est* (ait Beatus Ambrosius) *Quadragesimam violare: nam totum Ieiunij tempus non obseruare, sacrilegium est, ex parte autem viola-*

a *Ad Marcellum contra Montanistas.*
b *Sermone* 38. 40. 43.
Can. 68.
c *Epist.* 4. *ad Philip.*
d *Hom.* 10. *in Leuit.*
e *Ser.* 59.
f *Epist.* 119.
Serm. 23. & 25.
Serm. 37.

violare, peccatū. In Quadragesimali ieiunio obseruādo hanc rationem maiores nostri sequebantur, vt non ante cœnam gustaretur cibus, transferreturq; corporis refectio post preces vespertinas, non autem (quod hoc tempore in consuetudinem venit) vespertinæ preces trāsferrentur, atque ante consuetum tempus prandij collocarentur. Ita dicit B. Bernardus, *Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter vniuersi Reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper.* Beatus Augustinus, *Rogo*, inquit, *fratres charissimi, & admoneo, vt in isto legitimo & sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi forte ille, quem ieiunare infirmitas non permittit, quia alijs diebus* (nempe ieiunio non consecratis) *ieiunare remedium est, aut premium, in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam.*

Serm. 3 de Quadragesima.

Serm. 62. de tempore.

Abstinebatur porrò à carnibus, à vino, à ciborum exquisitis cōditionibus, & lenocinijs, vt Patres testantur, *a* Gregorius, *b* Augustinus, *c* Theophilus Alexandrinus, &c.

a Epist. ad Augu. Anglorū Episc.
b Serm. 64. de tempore.
c lib 3. paschali.
Nicephorus li. 17. ca. 32.

Nam *qui præcepta legum custodiāt* (inquit Theophylactus) *ignorant vinum in ieiunijs, carnium esum repudiant.* Quæ lex de abstinentia à carnibus ita religiosè à Christianis conseruabatur, vt cùm in summa piscium ciborumq; Quadragesimalium inopia Imperator Iustinianus potestatē fecisset Constantinopolitanis vescendi carnibus,

bus, illi potius extrema pati, quàm Maiorum legem violare voluerint. B. Chryſoſto. de ſuæ ætatis Chriſtianis loquês, *Adueniente ieiunio* (ait) *etſi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogãt vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non conceſſum guſtare: omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum.* Sub finem verò Quadrageſimæ vltimis ſex diebus, *omnes populi* (inquit B. Epiphanius) *in ſiccorum eſu perſeuerabant, pane, inquam, ſale & aqua: ſed & pietatis ſtudioſi, duplas ac triplas ac quadruplas tranſmittebant*, hoc eſt, duos, tres, aut quatuor dies ſine cibo perſeuerabant: huius ſiccorum eſus meminit etiam Tertullianus nomine Xerophagiarũ, quæ erant frequentes Chriſtianis. Patres Græci in Trullo cõgregati præceperunt abſtinentiam ab ouis & caſeo per tempus Quadrageſimę, quam ieiunandi rationem maiores noſtri ſanctè ad tempora vſque Martini Lutheri vbique retinuerunt.

Hom. 6. ad populũ Antiochenum.

In compendiaria doctrina fidei Catholicæ.

Lib. de ieiunijs.

Can. 56.

SEXTA PROPOSITIO. Cætera ieiunia ſiue per vniuerſam Eccleſiam indicta, ſiue certis locis ab Epiſcopis inſtituta, & à maioribus obſeruata, ſine peccato violari non poſſunt. In his ſunt Ieiunia quatuor temporum, quæ ad Apoſtolos refert Beatus Leo Põtifex. Et Beatus Calixtus 1. qui ea in quatuor anni partes diſtribuit, vt quatuor anni tempora Deo conſecrarentur, cùm prius extra Quadrageſimam tribus alijs menſibus fieri ſolerent, de illis à Zacharia prædictũ affirmat: *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, ieiunium ſeptimi, & ieiunium*

Serm. 73. 74. 76.

Epiſt. 1.

Zach. 8. 19.

In compendiaria doctrina fidei Catholicæ. Li. 2. Dec. De consec. dist. 3. cap. ieiunia. Can. 60.

nium decimi erit domui Iudæ in gaudium, & in lætitiã, & in solennitates præclaras. Beatus Epiphanius ait: *Quarta feria & pro sabbatho*, hoc est feria sexta, *ieiunium ab Apostolis statutum esse, quod illucescente quarta assumptus sit Dominus, & pro sabbatho crucifixus.* Apollonius vel Apollinatis apud Iuonem & Gratianum dicit, ob Christi venditionem institutum ieiunium quartæ feriæ. Canon Apostolorum ita habet. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sacram Quadragesimam Paschæ, aut quartam feriam, aut parasceuen non ieiunauerit, deponitor. præterquam si imbecillitate impediatur corporis: sin laicus sit, communione priuator.* Qui ieiuniorum dies etiamnum apud Græcos qualibet hebdomada seruantur. Latina verò Ecclesia propter Christi sepulturam, continuumq; biduimœrorem Apostolorum, & Dominicum diem, quo sacra Eucharistia populis distribuebatur, ieiunium feriæ quartæ in sabbathum percommodò transtulit, quo per abstinentiã animus ad communionem corporis Dominici præpararetur. Proximi dies, qui Diuorum festa antecedunt, atq; à vigilijs, & Christianorum sacris excubijs, vigiliarum non acceperunt, eadem Ecclesiæ authoritate & iussione ieiunijs sunt celebrandi. Extra Quadragesimam porrò non nisi ad horam nonam: in ipsa autem Quadragesima (vt dictum est) vsque ad vesperam prorogari solet à maioribus ieiunium.

Innocent. Epist. 1. c. 4. Concilium Agathense cap. 12.

OBIE-

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

Christus de humanis traditionibus loquẽs, *non quod intrat in os* (ait) *coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coninquinat hominem*: non est igitur ab vllo cibo vllo tempore abstinendum. Matth. 15. 11

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: non enim cibus qui intrat in os, coinquinat hominem: sed cogitationes malæ, quæ in opus inobediẽtiæ exeunt, & superbia, malaque voluntas, quæ Ecclesiæ mandata contemnit, illa coinquinant hominem.

SECVNDA.

B. Paulus prædixit, venturos qui prohibebunt vesci cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione: quos iubet caueri: non igitur est aliquis habendus ciborum delectus. 2. Tim. 4.

SOLVTIO.

Hæc ratio duobus modis solui potest: Vno, responsione facta ad hominem, qua indocto negetur antecedẽs. Sic enim dixit Apostolus, *venturos, qui attendant spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, prohibentium nubere, abstinere cibis, quos Deus creauit*, vbi verbum *abstinere*, cum ab alio nullo

nullo regatur, quàm à participio *prohibentium*, videbũtur potius designari hęretici, qui prohibent abstinere à cibis, quos Deus in vsum generis humani creauit, quàm Catholici, qui iubent abstinere. Secundo neganda est consecutio: nullos enim cibos Ecclesia Catholica prohibet, quæ non ignorat omnem creaturã Dei esse bonam, sed aliquorum esum ad tempus tantùm suspendit, quod iudicet certis ex causis aliquos cibos Christianis non conuenire. Nam sicut Medicus corporum interdicit esu carnium, vinique potione, his qui æstu febrique iactantur, ne calido nutrimento addãtur morbo vires: ita Ecclesia, quibus temporibus vult carnem domari, ac castigari animũq; à vitijs purgari; iubet à carnibus abstinẽtiam, vt corpus molestia affectum, & ieiunio domitum atque compressum, adempto sibi iucundo cibo ac læto, minus contra spiritum rebellet & insolescat. *Ego interdum abstineo* (inquit Beatus Bernardus) *sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia.* Beatum Paulum Apostolum *loqui aduersus* hæreticos, qui suo tempore exoriebantur, dictũ est superiori capite. Illi enim cibos quosdam cõdemnabant, vt impuros, & natura sua malos, contra quos etiam Apostoli hunc Canonem ediderunt: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quiuis omninò de Sacerdotali consortio nuptijs & carnibus & vino abstinuerit, non propterea, quę*

Simile.

Serm. 66. in Cant.

Diuus Aug. li. 2. de moribus Manich. cap. 14.

Can. 50.

quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitior, sed propter abominationem oblitus, quod omnia pulchra valdè, & quod masculum & fœminam Deus creauit hominẽ, sed diffamationibus laceſſens creationem Dei vocat ad calumniam, aut corrigitor, aut deponitor, aut ex Eccleſia eijcitor: conſimiliter & laicus.

TERTIA.

B. Apoſt. reprehendit Galatas, quod a *dies obſeruarent, & menſes, & tempora, & annos*: Et Coloſſenſes monet, b *ne iudicẽtur in cibo & potu*, hoc eſt, ne à Deo condemnentur propter abſtinentiã à cibo & potu, ridetque eos, qui dicere ſolent, *ne tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris, quæ ſunt omnia*, (ait) *in interitu ipſo vſu.*

a *Gal.* 4. 10.
b *Coloſſ.* 2. 16. 21.

SOLVTIO.

B. Apoſtolus nihil hic loquitur de ieiunijs Chriſtianorum, de quibus prædixerat Chriſtus, *Auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*: ſed Iudęorum ſuperſtitionem redarguit, & Iudaizantium. Iudæi enim, qui Chriſti fidem complexi erant, cùm *æmulatores eſſent legis*, vt dicebat Beatus Iacobus Apoſtolus, in id incumbebant, vt Gentes, quæ Chriſtum ſuſceperant, ſimul cum Euangelio Moſaicam legẽ colerent, & Iudaico ritu dies obſeruarent & annos, hoc eſt, feſta, & ſolẽnitates vmbratiles Iudæorum (nam de feſtis potius, quã de ieiunijs loquitur Beatus Apoſtolus ad Galatas) retinerent quoque ieiunia illa legalia, & à carnibus porcinis, alijſque lege vetitis cibis abſtinentiam, nõ ad

Matt. 9. 16.
Acto. 21. 20.
Galat. 4. 10.

corporis

corporis motus comprimendos, sed propter legis obseruationem: Quæ omnia fatetur Apostolus pernicioſa esse, & meritò irridenda, atque omittenda, vtpotè quæ Christi morte ac passione è medio sublata, omnem obligandi vim amiserunt: Qui enim ad ista se post Christi mortem adhuc obstringi arbitraretur, iniuriam faceret passioni Christi, per quam putat non esse ceremonias legis impletas, quæ vmbræ tantùm fuerunt rerum futurarum, absorbendæ per aduẽtum lucis. Proinde de Circuncisione dixit, *Ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Galat. 5. 2.

QVARTA.

Ad Rom 14. sic dicitur, *Qui non manducat, manducantem non iudicet: qui enim manducat, Domino manducat*: ergo non peccât qui omnibus cibis quouis tempore vescuntur.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio, quia non iudicatur aut condemnatur, qui Domino manducat, hoc est, ad Dei honorem: sed ille, qui hæresi, aut suæ concupiscentiæ manducat, *hoc est*, qui ex peruerso errore, quo putat Ecclesiam non habere authoritatem indicendi ieiunia, & superbiens recusat maiorum imperio parere, aut ex intemperãtia prohibitis cibis vescitur. Is enim iudicatur, non quia manducat, sed quia Domino non manducat: nam si consulto & conscio superiore suo ob corporis infirmã vale-

valetudinem ex iudicio Medici manducaret carnes, iam non iudicaretur, quia manducaret Domino. Cæterùm Beatus Apostolus hoc loco non de cibis, vel ieiunijs Christianorum locutus est, sed de ceremonijs veteris legis: hæ namque ceremoniæ tametsi Gentilibus, qui nunquam professi fuerant legem, perniciosæ essent, sicut de Galatis & Colossensibus dictum est: permittebantur tamen Iudæis non, vt in ijs spem suam collocarent, aut ab eis salutem peterent: sed vt cum honore (vt ait B. Augustinus) sepeliretur Synagoga & Legis obseruationes paulatim tollerentur; ne, si omnes simul vno impetu abiectæ fuissent, non à Deo, sed à malo aliquo authore (quod Manichæi docuerunt) putarentur inductæ. Monet igitur Apostolus Iudæos illos ad fidem conuersos, qui propter antiquam Legalis abstinentiæ consuetudinem, non volebant cibis Lege vetitis vti, idque in honorem Legis, cuius nouerant authorem esse Deum: ne alios illi condemnarent, qui pro Christiana libertate, qua scirēt se liberatos obseruatione Legis, cibis vescerentur in Lege interdictis. Et rursus hoc quoque monet, ne sua libertate ad proximorum irrisionem aut offensionem abutantur.

QVINTA.

Dominus Isaiæ 58. reprehendit ieiunium nostrum & corporis afflictionem. *Nunquid tale*

est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam (id est, toto die à cibis abstinere) *nunquid contorquere vt circulum caput suũ, & saccũ, & cinerem sternere? nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, &c.* Significat Dominus optimum esse ieiunium à peccatis & flagitio committendo se cohibere.

SOLVTIO.

Leuit.16. & 25. Psal.34. & 68. & 108. Tob.12. Iudith.8. Hester 4.

Deus non ieiunium, quod à se mandatum fuerat, & à sanctis Prophetis, Dauide, Tobia, Iudith, Hester, &c. piè, religioseque seruatum atque perfectum, sed modum ieiunandi vituperat, quem Iudæi tenebant: Illi enim quod putarent satis esse, si corpus afflictaretur inedia, omni flagitiorum genere vitam suam cõtaminabant. Docet igitur Dominus ingrata sibi esse ieiunia, quando à solis cibis, non item à vitijs & sceleribus abstinetur, sed tunc apud Deum multũ valere ieiunia corporis, si mens à peccatis ieiunet. Non sufficere autem vitare peccata, nisi etiam corpus aliquando ieiunijs affligatur, ex eo intelligi potest, quod Apostoli cum Christo in terris versati, semper quidẽ à peccatis abstinuerint, non tamen semper à cibis ieiunauerint, quos posteaquam ex hac vita ad cœlum commigrasset, [a] ieiunaturos [b] ipse prædixit, quia aliter eijcere non possent omne [b] genus Dæmoniorum.

[a] *Matt. 9.* [b] *Matth.17.*

SEXTA.

Teleſphorus Papa inſtituit Quadrageſimã: non eſt ergo Apoſtolica traditio.

SOLVTIO.

Antecedens eſt falſum; non enim Teleſphorus, ſed Apoſtoli, accedente Chriſti præcepto, Quadrageſimam nobis tradiderunt, ſicut ſuperius ex Patribus à nobis eſt demonſtratum Teleſphorus Clericorum ieiunium voluit eſſe productius, nempe ſeptem hebdomadarũ: vt qui ſtatus ſui dignitate cæteris præſtarent, obſeruatione Quadrageſimæ etiam alijs antecellerent. *Epi. ad omnes fideles.*

SEPTIMA.

Spiridion vir ſanctiſſimus in Quadrageſima hoſpiti cuidam, qui ad eum diuertiſſet, carnes propoſuit, quas & ipſe comedit; & aliũ libertate quadam Chriſtiana, ſine vlla violati ieiunij religione comedere iuſſit; propterea quod B. Apoſtolus dicat, a *omnia munda mundis*: Nobis igitur ad eundem modum permiſſum erit omni ciborũ genere quouis tẽpore veſci. a *Tit.1.15.*

SOLVTIO.

Neganda eſt conſecutio. Et huius hiſtoriæ in primis eſt intelligentia capienda, quam deſcripſit Sozomenus ad hunc modum: *Cùm iam inſtaret Quadrageſima, ex itinere quidam ad Spiridionem diuertit, illis ipſis diebus, in quibus vnà cum ſuis ieiunia peragere conſueuerat, & ad ſtatutũ diem cibũ deguſtare, cùm diebus interpoſitis ſine cibo omninò remanſiſſet. Cũq;* *Lib.1.ca.11.*

Spiridion videret hospitem valdè de via fessum, iussit ei cibum apponi; vt verò intellexit in ædibus neque panem esse, neque polentam, (supervacua namque fuisset istarum rerum apparatio propter ieiunium) Spiridion cùm precibus Deum invocasset, veniamque petiuisset, dedit mandatum vt carnes suillæ, quas fortè in ædibus habebat sale conditas, coquerentur, quibus coctis hospitem facit secum accumbere, deque carnibus appositis comedere cœpit, hortatur hospitem, vt ipsum imitetur. Qui cùm illud facere recusaret, diceretque se Christianum esse, hanc ob causam (inquit Spiridion) minus recusare deberes, nam omnia munda mundis, sacræ literæ pronunciant. In hac narratione notemus 1. ex hospitis verbis, Christianos olim. Quadragesimæ tempore carnibus abstinuisse. 2. Spiridionem Episcopum cum familia in plures dies ieiunium sine vllo cibo produxisse. 3. hospitem longo itinere peracto, magna molestia & lassitudine affectum, cui cibi capiēdi necessitas incumberet. 4. nihil prorsus in ædibus fuisse, ne panem quidem, neque polentam 5. Hunc Spiridionem non ciuē fuisse priuatum, sed Episcopum & Pastorem, penes quem erat dispensandi potestas. 6. *Priusquam* carnes apponeret, Deum orasse, & *veniam* petiuisse, vt intelligas rem hanc, nempe carnes in Quadragesima apponere, ex se rem esse malam & illicitam, pro qua sit à Deo petenda venia, nisi magna necessitate excusetur. Quod igitur Spiridion & ipse comederit carnes, & Scripturis hospitem Christianum ad easdem comedendas induxerit, argumento est, maxi-

Tit. 1. 15. Notanda in historia.

1.
2.
3.
4.
5.
6.

mam

mam fuisse hospitis necessitatem, & in recusando constantiam, & aliorum ciborum nullam copiam fuisse. Hæc omnia si quemquam nostrum premerent, facilè concederetur, vt Episcopo conscio atque consulto, carnibus in Quadragesima vesceretur: non enim à carnibus abstinemus Manichæorum more, quia malæ sunt; sed quia ad refrenandam petulantiam carnis prohibitæ.

OCTAVA.

Ieiunia Christianorum obsunt valetudini, maximè tam diuturna, & tempore veris, quãdo corpora præstantioribus ac salubrioribus cibis nutrienda forent: Non igitur sunt retinenda, aut obseruanda.

SOLVTIO.

Negatur Antecedens, quia hactenus visus non est quisquam ieiunio, quod ex præscripto Ecclesiæ seruauit, grauem morbum incurrisse: Ecclesia namque, vt mater pientissima, moderatur ieiunia ex cuiusque viribus & valetudine: Et qui debiles sunt, infirmi, aut grauibus laboribus fatigãtur, eis nullum ieiunium præcipit. Et sanè non abstinentia vel ieiunium, sed ciborum potusque copia valetudinem lædit. Sancti Anachoretæ, Paulus, Antonius, Hilarion, Simeones, & innumeri alij ieiunijs quotidianis vitam suam ad extremam senectutem produxerunt. Patres, qui de ieiunio scripserunt, affirmant ieiunium ad animę cor- *Leo ser. 4. de Quadragesima.*

porisque sanitatem atque salutem, esse salubriter institutum. Quadragesimæ porrò conuenit optimè vernum tempus, quo omnia renouantur, vt Quadragesimalium dierum ieiunijs extenuata corpora, malisque humoribus purgata, aptiora sint ad nobilioris succi escas paschali tempore capiendas, & digerendas: non enim carnium esus tollitur, vt insalubriores cibi copiosè sumantur, sed vt sublatis iussu Ecclesiæ carnibus, periculum lædendæ valetudinis imponat gulæ modum in esu piscium, vult quippe Ecclesia corpus nostrum ieiunio macerari, non humoribus redundare.

DE

DE PRECIBVS LATINE RECITANDIS.

CAPVT XIX.

QVAESTIO mouetur ab aduersarijs, liceatne preces ad Deum fundere alieno idiomate, non intellecto ab eo qui precatur & orat. Causam huic quæstioni dederunt solennes preces Ecclesiæ, quæ non nisi Latinè in Occidente, hoc est, in tota Ecclesia Latina à Sacerdotibus decantantur. Huius rei veritas aliquot propositionibus declaranda est.

PRIMA PROPOSITIO. Qui priuatim orat, is potest vti quocunque idiomate siue à se intellecto, siue nõ intellecto. Ratio huius est, quod Deus & Sancti Dei, quos orando precamur, nullum idioma ignorẽt, sed omnes intelligant quocunq; tandẽ sermone aut verbis vtãtur. Sicut igitur illius, qui Principi externo libellum supplicem offert, hæc res animum maximè solicitat, vt is tali lingua à perito aliquo & fideli viro conscribatur, quã Princeps intelligat, tametsi illam ipse prorsus ignoret. Ita qui Latinè orationem Dominicam, vel alias preces offert Deo, aut Sanctis cœlestibus, vt ea quæ postulat cõsequatur haud mul-

Simile?

tum referre existimat, an à se idioma, quo recitanda est oratio, intelligatur, (non enim sibi ipsi orando loquitur, sed alteri.) in eo porrò magnum ponit momẽtum, vt illis verbis precetur, quæ & hoc petant, quod ipse sibi donari postulat, & acceptissima sint Deo, Sanctisq; quos precatur. Quia igitur orationes, quæ diuinis literis continentur, à Spiritu sancto dictatæ fuerunt, cuius munus est *postulare pro Sanctis*, cùm nos quid oremus sicut oportet, nescimus: & versio Latina per vniuersum orbem recepta & vsitata, verba habeat Ecclesiæ, quæ est sponsa Christi: non ineptè orat, qui orationem à Spiritu sancto expressam, ad aliquid postulandum accommodat, verbisque Ecclesiæ vtitur, licet à se non intellectis.

Rom. 8. 27.

SECVNDA PROPOSITIO. Qui lingua Latina precatur, non caret fructu orationis; tametsi quæ dicit, non intelligat. Fructus orationis, quod ad præsens institutum attinet, est triplex 1. Audiri à Deo, & impetrare, quem etiam illi consequuntur, qui verba sua non intelligunt: quia illa intelligit Deus, quę oramus, & cuius est postulata donare. 2. est animi quædam suauitas ex sensu verborum, quæ hominem recreat verborum intelligentiam secum animo perpendentem. 3. est coniunctio mentis cum Deo, quæ iam non de sensu verborum cogitat, sed de Deo ipso quem rogat, cuius meditatione admirabili consolatione afficitur, eamque consolationem iuuant

Triplex fructus orationis.

1.
2.
3.

ver-

verba ipsa sacra, quæ inter orandum ore recitantur, tametsi non intelligantur; quem admodum loci sanctitas etiam non cogitata, excitat & inflammat deuotionem orantis. Nam ineſſe vim magnam Diuinis verbis, ex eo docet Origenes, quod incantatorum verba moueant serpentes, qui intelligentia carent: multò enim magis sacra Dei verba etiam non intellecta afficiunt, & commouent hominem. Atque hunc tertium fructum non minus ille percipit, qui non intellecta à se lingua precatur, quàm qui verborum intelligentiam assequitur. Secundum verò tantum ille, qui orationis verba intelligit. Sed hic fructus est imperfectior tertio, cuius comparatione videtur humi reptare; cùm hic in Deo, ille in verbis hæreat. Quare B. Antonius à Cassiano dixisse scribitur, non esse perfectam orationem, in qua se Monachus, vel hoc ipsum, quod orat, intelligit.

Hom. 180. in Ioſue.

Collatione 9. cap. 33.

TERTIA PROPOSITIO. In Latina Ecclesia nũquam aliter quàm Latino idiomate sunt in templis celebrata officia Diuina, aut preces publicè decãtatæ. Certum est enim per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniã, cæteroſque septentrionales populos, quibus potissimum regionibus & locis Ecclesia Latina definitur, semper in templis vsum fuisse Latinæ linguæ, quę vniuerso Occidenti non vernacula, sed cõmunis erat; sicut Græcis Græca, Hebræis Hebræa, & Armenis Chaldæisque

Chaldæa. Nam in istorum etiam regionibus non vulgari populorum idiomate, sed cõmunibus his linguis, quas per ditiones illas eruditi homines vsurpant, & libri sacri conscribuntur,& Diuina perficiuntur. Vsq; ad Caroli Magni tempora (vt author est Lupoldus Bebenburgius antiquus historicus) per Romanũ Imperium, Germaniam, inquam,& Galliã in vsu fuit officium Ambrosianum, *quo dimisso solemniter* (inquit) *fuit officium Gregorianum* (quod etiamnum retinemus) *publicatum, ad hoc authoritate Caroli plurimum adiuũte*. Qui Carolus missis Clericis Romam, à Romana Ecclesia, Gallos & Germanos Ecclesiasticum cantũ discere voluit; Vtrũque autem officium non nisi lingua Latina decantabatur, admixtis vocibus quibusdam Hebraicis & Græcis, Kyrie eleison, Alleluia, O sanna, Amẽ,&c. vt tribus his linguis Christus vbiq; laudaretur: quas & Iudæi, Gentiles q; in eius ignominiã titulo crucis affixissẽt,& Christus ipse in trophæo crucis suo sanguine & morte consecrasset. Illi sanè Patres, qui primi Germanos, Gallos & Hispanos fidei lumine illustrarunt, cũ à Pontificibus Romanis ad Ecclesiam constituendã in illa loca missi essent, sicut superius docuimus, non aliũ ritum Diuini cultus, neq; aliud idioma, quo in tẽplis vterentur, inuexerunt, quàm illud quod Romæ didicerant: præsertim quod propter imperiũ Romanũ, cui hi populi subijcerentur, à Romanis q; ducibus ac militibus in officio continerentur,

Li.3.de zelo veterum Principum Germanorũ.

Cap.1.

rentur, in causis ciuilibus & foris, Latina lingua vbiq; cõmunis esset. Narrat Trithemius homilias Bedæ ipso adhuc superstite, in precibus matutinis decãtatas fuisse, & quia necdũ è viuis excesserat, vt more aliorũ, nomine Sancti honorari posset, accepisse præ nomẽ Venerabilis, dictumq; fuisse, homilia venerabilis Bedæ Presbyteri; vt intelligas etiam in Anglia antiquis illis temporibus lectiones & homilias in precib. Ecclesiasticis non Anglorũ vernacula, sed Latinorum cõmuni lingua cantatas fuisse.

QVARTA PROPOSITIO. Non est necessum à vulgo intelligi quicquid in Ecclesijs celebratur, vel canitur. 1. quia preces in Ecclesia funduntur, diuinaq; officia celebrantur nõ hominibus, sed Deo, cui si grata sit oratio, tum assecuti erimus, quod precibus nostris desiderabamus. 2. quia Cantus Ecclesiasticus non ad populum intelligẽtia verborum instruendũ, sed suaui melodia, maiestateq; actionis ad Dei reuerentiam cultumq; excitandum est institutus. Ideo namque B. Gregorius (vt author est Ioannes Diaconus) studiosissimus fuit huius cantus, in omnes Germaniæ Galliæque Ecclesias inuehendi; seruandæq; grauitatis in officijs Ecclesiasticis: vt populus, qui exterioribus sensibus magis, quã cõtemplatione, mouetur, visa maiestate ceremoniarũ vestiumq; sacrarũ splendore, & audita cantus suauitate, Deum, cui tantum honoris exhiberi cernit, demisso animo veneraretur, cantuq; externo

1.

2.

Lib. 2. vitæ eius ca. 6. & 8.

ad

ad collaudandum, & comprecand· in excitaretur. Ad hoc ipsum sunt post à Vitaliano Pô. tifice introducta organa, vt sua dulcedine in animis deuotionem excitarent. Notum est enim vt Elizæus Propheta ad vaticinandum excitari voluerit à psalte: & illi quibuscum Saul prophetabat ante se habuerint psalteriũ & tympanum, & tibiam & cytharam. 3. quia multa sunt in psalmis Dauidicis (quibus maiori ex parte constant preces Ecclesiasticæ) intellectu difficillima, quæ tametsi in vernaculam linguam transferantur, ab idiotis tamen intelligi nõ possunt: cùm nec ipsi Sacerdotes, nisi magno studio, commentariorumque lumine & subsidio ea intelligant. 4. quia hactenus Clerus, cui semper Diuina celebrandi officium incubuit, locis à populo in Ecclesijs discretus fuit: cùm hic in anteriori templo Deum oraret, ille in choro, tanquam in adytis & interiori tabernaculo pro populo diuina celebraret: Et hic clerus suis gradibus distinctus non omnia omnibus permittebat: sed cuique ordini sua munia describebat. *In his erat* Psalmistæ siue Cantores, quorum officium in 4.ª Carthaginensi Concilio, & apud *b* D. Isidorum explicatur. Chorus sanè ita sacer erat, & clericorum officijs dedicatus, vt ab eo arceretur, præter Imperatorem, vniuersus populus (ita enim scriptum est, in *c* Concilio Trullino): *d* Beatus Ambrosius autem nec ipsum Cæsarem eo loco orare permitteret, vt est apud

4.*Reg.*5.
1.*Reg.*10. 3.
4.
a *Cap.*10.
b *Lib.* 2.*de diuinis offic. ca.* 12.
c *Can.*69.
d *li.*5.*c.*18. *li.*7.*cap.*24. *cap.*17. *Elibert. cap.* 76. *Sardicē. fi c.*12. *Agathensi c.*50. *Athanasius ad solitariā vitam agentes. Cyprianus li.*2. *epi.* 1. *lib.*4. *epist.*2. *&c.*

Theo-

Theodoretum, & Sozomenum: & Clerus solus in Choro, populus foris communicaret, ait 4. Concilium Toletanum. Vnde communionem laicam, & communicare cum laicis, in Concilijs & Patribus legimus. Hic igitur Clerus cũ à populo locis distinctus Diuina celebraret, foris à vulgo intelligi non potuit. 5. multa in liturgijs Græcorum & sacris Latinorum submissa voce proferri iubentur, quæ Sacerdos tanquam cum Deo solo agens, secretè loquitur. In quorum genere esse verba consecrationis, etiam *a* Ioannes Moscus Euiratus testatur: quę maiores nostri vulgata esse noluerũt, *b* sicut post B. Dionysium Areopagitam, *c* D. Innocentius 1. Pontifex scripsit. 5.

a *cap. 196. Prati.*

b *Eccl. hie. cap. vlt.*

c *Epist. 1.*

QVINTA PROPOSITIO. Non expedit vt in Ecclesijs nostris vernacula lingua, vel preces publicè decantentur vt diuina officia celebrentur. 1. quia id hactenus (sicut dictũ est) vsurpatum non fuit, neque causa aliqua subest, cur id quod à primis fidei nostræ fundatoribus piè institutum est, immutetur: nisi fortè vt de mysterijs Ecclesiasticis iudicium populi hæresibus infecti, & corrupti, quorum ingenium est ad ea, quæ sanctè & religiosè constituta sunt, conuellenda, irridendaque accommodatum, arbitrio voluntatiq; permittatur. Christus monuit *nõ dare sanctum canibus, neque mittere margaritas ante porcos.* 2. quia Sacerdotibus aut Ecclesiarum ministris, qui ex aliena & peregrina natione ad nos ventitarent, non esset 1.

Matth. 7. 6. 2.

inte-

integrum propter linguæ ignorationem, nec sacrum Missæ officium celebrare, neque promiscuè cùm cæteris laudes Deo decantare, 3. quia periculum esse poterit, ne pueri & rudiores homines verba sacra ad iocos & res prophanas atque ludicras accommodent: sicut aliquoties pueros Missæ celebrandæ rationem puerilibus suis rationibus expressisse, & verba consecrationis recitasse, non sine graui Diuini numinis offensione, à quo ignis de cœlo dimissus oblata incendio deuorasset, puerosq; prostrauisset, & aliquando etiam flammis exustos concremasset *a* Ioannes Moscus, & *b* Honorius Augustodunensis, &c. memoriæ prodiderunt. Sic olim B. Athanasius puer ludens, pueros gentiles baptizauit, vt est apud Ruffinum, & in Germania, nostra ætate Rusticus quidam catulos sacratis verbis ex baptizantium more aqua tinxit.

a Cap. 196. Prati.

b li. 1. gemmæ animæ ca. 105.

Li. 10. c. 14. Vide Nicephor. lib. 3. cap. 37.

OBIECTIONES Hæreticorum.

PRIMA.

B. Paulus iubet Corinthios non incognita, sed sibi nota & cognita lingua orare in Ecclesijs, duabus de causis: priore, vt mens orantis ex oratione fructum percipiat: Altera, vt auditor intelligat & ædificetur: Sic enim ait: *Nã si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est: quid ergo? Orabo spiritu, orabo & mente. Cæterum*

1. Cor. 14. 4.

rùm sibi dixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dices Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas, nescit? Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur: ergo non est in Ecclesijs orandum lingua Latina, quæ ab omnibus non intelligitur.

SOLVTIO.

Negatur consecutio: non enim loquitur Apostolus de communibus, statisq; precibus Ecclesiæ, quæ non barbara vel aliena, sed communi lingua fiunt: verùm de priuatis orationibus, & sermonibus, quibus efferebātur mysteria quædam ex dono linguarum; quod donum primis illis Apostolorum temporibus, multis etiam Christianam fidem complexis, ad infidelium conuersionem à Deo communicabatur. Erat autem donum huiusmodi, sicut Beatus Augustinus docuit, vt visiones quasdam futurarum rerum prænuncias obscurè, & varijs linguis eloquerentur: quarum significationes frequenter ipsimet, quibus ea videre contingeret, intelligere non poterant. Erat igitur aliud donum, quod Prophetiam nominat Apostolus, quo mysteria illa, obscuritate quadam inuoluta, populo Christiano explicabantur, vel ab eodem qui lingua loquebatur, si hoc dono pollebat: vel ab alio qui illo munere ornatus esset. Porrò Corinthij Christiani dono linguarum maximè delectabantur, quod admirationi essent alijs ob sermonis varietatem, ideoque in Ecclesia quisque

Donum linguarum.

Lib. 12. de Gene. ad literam c. 8. 9. libr. 14. de Trin. ca. 16.

Prophetia.

fine

Sine interprete non loquendum linguis.

sine ordine suas visiones proferre vol eat, etiam nullo interprete aut Propheta, silente: quorum puerilem leuitatem Beatus Apollolius coarguit, iubetque nihil aliena lingua, quod obscurum sit, in medium adferri, nisi adsit interpres. Idque varijs de causis. 1. vt totus ipse homo spiritu & mente fructum percipiat: spiritu, inquam, hoc est, affectu; & mente, hoc est, intelligentia. Qui enim dono illo linguarum mysteria loquebantur, moueriquidem solebant & affici dulcedine diuinarum rerum, quas eloquebantur: sed tum demum mens fructum capiebat, quando intellectus cognitione mysteriorum instruebatur. Itaque orare spiritu & mente est, non solùm affectione sibi facta Deum laudare, atque precari: sed mente etiam ex eius intelligentia in Deum rapi & eleuari. 2. vt auditores non obscuris vocibus tùm audiant: sed audita interpretatione eorum, ædificentur, & vtilitatem percipiant, respondeantque, Amen: hoc est, verbis confirment Dei promissiones intellectas. 3. ne ludibrio sint infidelibus, qui si eos videant admirabilia, obscura, implicataq; diuersis linguis sonantes, eos insanire existimabunt. Nihil igitur ista contra preces Ecclesiasticas Latinas faciunt: In quibus is, qui supplet vices idiotæ, non solùm Amen, sed alia plura respondet, institutus in Ecclesia, quæ Latina lingua, non vt barbara, sed vt communi, & peruulgata vtitur.

1.

2.

3.

SE-

SECVNDA.

Quæ in templis Christianorum cantantur & fiunt, non nisi ad populi studium in Deum excitandum geruntur: Ergo tali modo celebranda sunt, vt populus ex eorum intelligentia vtilitatem capiat.

SOLVTIO.

Negatur consecutio, quia ex his rebus, quæ in Ecclesia fiunt, nõ vno, sed varijs modis magna vtilitas redundat ad populum. 1. ex doctrina, quæ à concionatoribus traditur, quando scripturæ Diuinæ, fidei præcepta, vel ceremoniæ Ecclesiasticæ ab his explicantur. 2. ex sacrificijs & precibus, quæ pro populo funduntur, Deoque offeruntur. 3. quando vel ceremonijs, vel quauis alia ratione, ad reuerenter, deuotè religioseque comprecandum homines inducuntur, & excitantur. Preces igitur in Ecclesia Latinè decantatæ, ad orandum inuitant, & Deum populo beneuolum, propitiumque reddunt.

Vtilitates rerum Ecclesiasticarum.

1.

2.

3.

TERTIA.

In Concilio Lateranensi constituerunt Patres, vt si in eadem Ciuitate diuersarum linguarum homines vitam degerent, illic etiam ab Episcopis præficerentur Sacerdotes, qui pro diuersitate rituum atque linguarum, diuina apud illos officia celebrarent. Videtur igitur præceptum, ne externa lingua non intellecta, Diuinum officium peragatur.

Cap. 9.

SOLVTIO.

Negatur consecutio, quia in eo Concilio non de his Occidentalibus regionibus, sed de transmarinis, illo nimirum tempore, quo terra sancta in potestatem Christianorum Latinorum venerat, agebatur. Statuit enim concilium, vt in illis ciuitatibus, in quibus simul essent habitaturi Latini atque Græci: non etiã diuersi Episcopi (quod in Nicæno Concilio olim cautum fuerat) sed vnicus crearetur, ac præficeretur; qui tamen diuersis his populis pro varietate cuiusq; linguæ, ac rituum, Sacerdotes & ministros Ecclesiæ daret. Quod etiamnum Venetijs & Constantinopoli obseruatur, quibus in locis Latini & Græci à suis, qui eodem ritu & sermone vtuntur, Sacerdotibus Sacramenta percipiunt, instituuntur, diuinaque officia audiunt.

QVARTA.

Si in gratiam Græcorum præficiantur Sacerdotes Græci, qui diuina officia Græcè peragant: pari ratione Germanis, Gallis, Belgis, cæterisq; nationibus Sacerdotes constituendi erunt, cum his omnibus sermonis communione coniuncti, qui vernacula cuiusq; lingua decantent in Ecclesijs.

SOLVTIO.

Inepta est consecutio, quia non propterea apud Græcos Græcè diuina mysteria celebrã-

tur,

tur, vt vulgus quæ geruntur intelligat, vel quia Græca lingua illis vernacula est, sed propter diuersos ritus harum Ecclesiarum: quæ sicut ceremonijs discretæ sunt, sita diuersas habent linguas, non modo vernaculas, sed etiã communes, quibus non plebs in suis congressibus, sed eruditi vtuntur. Nusquam enim per vniuersum orbem in templis, populi cuiusquam vernaculæ linguæ vsus retinetur, sed eius solum, quæ toti illi Ecclesiæ est communis: nobis Latinæ, Græcis Græcæ.

QVINTA.

B. Augustinus libro de catechizandis rudibus dicit esse abusum, cùm ad eum modum proferuntur à Sacerdote verba sacra, vt populus ea non intelligat: Igitur erunt omnia recitanda vernacula lingua.

SOLVTIO.

Neganda est consequentia, quia non ait B. Augustinus, sic esse verba à Sacerdote proferẽda, vt populus eorum intelligentiam percipiat, sed notat quorundam Sacerdotum solœcismos, & barbarismos; qui sic ineptè verba sacra pronunciabant, vt nec se ipsi intelligerent, nec à populo sciretur quando esset respondendum, Amen. Discimus igitur hoc loco B. Aug. tempore, Aphricanam Ecclesiam in sacris Christianorum conficiendis, Latina lingua vsam fuisse: quam linguam plerique Sacerdotes imperiti & indocti, cum ignorarent

non sine doctorum offensione, solæcismis & barbarismis vitiata oratione Deum inuocabant.

SEXTA.

In hist. Bohemica cap. 13. AEneas Syluius author est *Slauonijs* concessum fuisse vsum suæ linguæ in Ecclesijs, propter vocem diuinitus emissam, *omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei*: vulgatur Deus, vt omnibus linguis in templis vtamur.

SOLVTIO.

Neganda est consecutio: Et historiæ narratio ac veritas inspicienda, quæ talis est; *Cyrillus qui multas Slauorum gentes ad fidem Christi conuertit, Romæ apud Pontificem agebat, vt eius gentis homines Slauorum lingua rem diuinam possent peragere. Dequa re dum in sacro senatu disceptaretur, essentque non pauci contradictores: ferunt auditam vocem tanquam de cælo in hæc verba missam: Omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei: Indeque datum Cyrillo indultum.* Notandum hic primò, quod ait (*ferunt*) quia in partibus Slauoniæ res ista vulgò ferebatur, quæ nullo scripto publico, aut edita historia contineretur, mirumque est nihil extitisse horum in gestis Pontificum, cùm res præsertim sit tanta, quæ literarum monumentis commendari debeat. 2. Slauoniæ linguam multarum fuisse gentium communem, sicut Græcis est græca. Tertiò, non sine Pontificio indulto, & diuina reuelatione permissum huius

ius linguæ in Ecclesijs vsum, & quidem conuersionis initio, in penuria eruditorum Sacerdotum. Non igitur efficit hæc Historia, si vera est, vt passim abiecta lingua Latina tot annis vsurpata, vernaculum idioma in Ecclesiam inuehatur.

PROPOSITIONES CATHOLICAE ADVERSVS OMNES HVIVS TEMPORIS SECTARIOS.

PRIMA PROPOSITIO.

IAM inde à temporibus Apostolorum vsque ad annum decimum septimum supra millesimum quingêtesimum, quo Martinus Lutherus nouâ suâ doctrinam in mundum inuexit, nemo in toto orbe extitit, qui per omnia cum Martinistarum, Caluinistarum, Anabaptistarum, aut aliorum eiusmodi sectariorum opinione consenserit: neque vllus vnquam hæreticorum probabit Apostolos aut Euangelistas Martinistarum, Caluinistarum, vel alterius nouæ sectæ fuisse.

Ex quo consequitur Martinistas, Caluinistas, Anabaptistas, & similes alios nullâ prorsus habere fidem, sed recens duntaxat excogitatam

tatum figmentum, quod fidei nomine exornant, & venerantur eosque esse illos, de quibus varijs in locis scriptura sacra affirmat: *Nouissimis temporibus venturos pseudoprophetas, &c.*

SECVNDA PROPOSITIO.

PRobari non potest, quod Religio, & Fides sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ab aliquo Pontifice, Concilijs aut Episcopo Catholico in vllo articulo, qui quidem ad Religionem spectet, aliqua ratione mutata sit: neque quisquam eorum afferri poterit, qui ipsa immutarit; quin potius probatur, eandē prorsus fidem à temporibus Apostolorum ad hāc vsq; diem integram, inuiolatamque perstitisse, atque per successionem continuā, ceu per manus traditam, ad nos peruenisse.

Vnde manifestò colligitur, hanc ipsam esse, quam Apostoli docuerunt, eandemq; proinde quam à magistro Christo in eius schola didicerunt.

TERTIA PROPOSITIO.

OStendi etiam non potest, aut Ceremonias, aut Sacramenta, aut doctrinam vllam Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ aliquid continere: quod Scripturæ sacræ repugnet: quin potius Doctores omnes clare docent, atque demonstrant prædicta hæc omnia apertè cum sacris literis conuenire, cuiusmodi est illud: *HOC est corpus meum.* Et alia.

Ex quo sequitur, quod Martinistæ, Caluinistæ,

ſtæ, alijq; Sectarij à Sancta Catholica Romana Eccleſia immeritò ſeſe & ſine ratione ſeiunxerint. Quodq; etiam qui ab Eccleſiæ Catholicæ gremio ſe abducunt, cauſam nullam adferre poſſint, cur ad Martiniſtas potius, quàm ad Caluiniſtas, Anabaptiſtas, Puritanos, aut id genus alios hæreticos tranſeant.

QVARTA PROPOSITIO.

NEc probari poterit in Sancta Eccleſia vllo vnquam tempore admiſſos fuiſſe Sacerdotes, qui prius ab Epiſcopis non eſſent ritè conſecrati.

Vnde rectè infertur, quoſuis miniſtros Martiniſtarum, Caluiniſtarum, & aliorum ſectariorum, iuxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, non initiatos, à re, & nomine diuini Sacerdotij prorſus alienos eſſe. Atque in ſua, quam dicunt Cœna, aliud nihil adminiſtrare, quàm meram panis partem, aliudq; nihil; Proindeq; nec habere poteſtatem à peccatis abſoluendi, ſed in ijſdem ſordibus peccatorum à ſe dimittere populum, cum quibus acceſſerat.

QVINTA PROPOSITIO.

IN vniuerſa Sacra ſcriptura non inuenies, aliud nihil eſſe credendum, quàm quod clarè & expreſſè in ea ſcriptum contineatur.

Ex quo conſequens eſt, Fundamentum euerti, quo nituntur Martiniſtæ, Caluiniſtæ, alijq; Sectarij, dum affirmant; præter id quod in Sacris literis expreſsè poſitum inueneris, nihil eſſe credendum,

SEXTA PROPOSITIO.

POrrò, ad huius confirmationem propositionis, petitur vt Martinistæ, Caluinistæ, aliíque Sectarij ostendant, vbinam scriptum inueniant Euangelium secundùm Matthæum esse Sacram scripturam potius quàm Euangelium secundùm Nicodemum: quod cùm facere non possint, credant tamen Euangelio secundum Matthæum tanquam Sacræ scripturæ, fateantur necesse est, se aliqua credere quæ sacris literis non continentur.

SETIMA PROPOSITIO.

OStendi etiam non potest, Catholicum aliquem virum totis his mille quingentis annis extitisse, qui Romanum Pontificem Antichristi loco habendum duxerit, aut sacrosanctum Missæ sacrificium conuitijs infectatus fuerit: aut denique inuocationem Sanctorum, Suffragia, quę pro defunctis fieri assolent, & similia pietatis opera ad fidem & Religionem aperte spectantia, quæque per mille quingentos annos vniuersus orbis laudabiliter coluit, reprehenderit.

Quare Martinistas, Caluinistas, alios q; Sectarios impiè agere manifestum est, dum ea criminari non verentur.

OCTAVA PROPOSITIO.

PRimi autores Fidei Christianæ tàm in Germania inferiore, quàm in Hispania, Italia, Francia, &c. aliam fidem nec agnouerunt, nec in has regiones induxerunt; Nec maiores nostri

stri aliam vel docti sunt, vel receperunt, quã Sanctam Catholicam Romanam, quam eandem nosipsi à parentibus nostris accepimus, acceptamque hactenus conseruauimus.

Impiè igitur faciunt Martinistæ, Caluinistæ, alijque Sectarij, qui aliam quandam suam excogitatam opinionem, tanquam certissimã fidei regulam, & purum ac putum Dei verbũ populo proponunt, quàm vel vniuersus orbis agnouerit, vel ipsi à Maioribus suis didicerint. Scriptum enim legimus: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, Anathema sit.* Hoc est, à Deo sit ille maledictus.

CONCLVSIO.

EX his Propositionibus clarum fit, neque Martinistas, neque Caluinistas, neque alios quosuis Sectarios hac noua sua opinione aut Deo placere, aut ad æternam beatitudinẽ pertingere, aut perpetuam damnationem posse euadere. *Nam sine fide impossibile est placere Deo.* Superius autem probatum est, Martinistas Caluinistas, aliosque Sectarios omnes, nullam habere fidem, sed opinionem duntaxat recens excogitatam, nouumq; figmentum, cui si adhæ rescere pergant, absq; dubio in æternum peribunt.

Proinde cùm & æternitas infinita sit; & pœnæ inferni acerbissimæ: sitque vita præsenti nihil incertius, & nihil certius morte; salutis vestræ rationem quæso habetote.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ, qui in hoc libro explicantur.

NVMERVS PRIOR CAPITA Bibliorum, & versum; posterior paginam indicat.

Genesis.

1.22. Crescite, & multiplicamini, & replete terram. 530.

3.15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem. 6.

Exodus.

10.1. Indurauit Deus cor Pharaonis. 221

20.4. Non facies tibi sculptile, &c. 443

20.17. Non concupisces. 254

33.19. Ego ostendam tibi omne bonum. 438

1. Lib. Regum.

12. 13. Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris. 496

Psalmi.

21.26. Vota mea reddam in conspectu, &c. 339.

44.17. Constitues eos Principes super omnem terram. 462

98.5. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabel. &c. 327

109.4. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 339

Ecclesiastes.

9.6. Nec habent partem in hoc sæculo, & in hoc opere

opere quod sub cœlo geritur. 510
11.3. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, illic erit. 510

Cantica.

4.7. Tota pulchra es amica mea, &c. 113

Sapientia.

8.21. Sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det. 535

Isaias.

54.13. Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino, 61
55.11. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. 224
56.4. Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, &c. 523
58.5. Numquid tale est ieiunium quod elegi per diē affligere hominem. 562
64.8. Nos lutum sumus, tu fictor noster, & Ierem. 12.6. Sicut lutum, &c. 219

Ieremias.

10.23. Scio Domine, quia non est hominis vita eius (224
31.33. Dabo legem meam in visceribus eorum, 43.61

Ezechiel.

33.12. Impietas impij non nocebit ei, quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. 403

Zacharias.

1.12. Domine Deus exercituum, vsquequo non misereberis, &c. 460
9.11. Tu autem in sanguine testamēti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. 492

Malachias.

1.10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, &c. 337
3.3. Et sedebit conflans & emundans argentum, & pur-

purgabit filios Leui, &c. 435

Machabæi.

I.2.ca.12.43. Vir fortissimus Iudas collatione facta. &c. 499

I.2.c.15.14. Hic est fratrum amator, & populi Israel, &c. 460

Matthæus.

4.10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. 465

5.25. Esto consentiens aduersario tuo, &c. 306

10.16. Ecce ego mitto vos, &c. 56. & 129

11.25. Confiteor tibi pater, quia abscondisti, &c. 60

12.31. Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neq; in futuro. 495

15.17. Non quod intrat in os coinquinat hominem. 317. 318. 557

16.18. Tu es lapis seu saxum, &c. 130. 139

18.18. Quecunque solueritis super terrã &c. 408. 130

19.11. Non omnes capiunt verbum hoc. 555

19.12. Qui potest capere, capiat. 512.

20.25. Principes gentium dominantur eorum, &c. 163.

24.23. Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus &c. 317

26.26. Accipite & manducate, hoc est Corpus meum, &c. 304

26.27. Bibite ex hoc omnes. 352

Marcus.

14.23. Et biberunt ex illo omnes. 352

Lucas.

11.47. Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, &c. 487

15.10. Gaudium erit coram Angelis, &c. 434

17.10. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis

vobis,&c. 295
17.20.Regnum Dei non veniet cum obseruatione, &c. 112
19.17.Eris super quinque ciuitates 463
22.19.Hoc facite in meam commemorationem. 353.
22.32.Ego pro te rogaui Petre,&c. 138

Ioannes.

1.3.Quod factum est,in ipso vita erat. 458
4.24. Qui adorant Deum, in spiritu & veritate oportet adorare. 467
5.39.Scrutamini Scripturas,&c. 58
6.45.Erunt omnes docibiles Dei. 61
6.63. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam,&c. 316
10.27.Oues meæ vocem meam audiunt,&c. 192
12.24.Granum frumenti cadens in terram,&c. 99
14.16.Ego rogabo patrem & alium Paracletum dabit vobis,&c. 43
15.24.Si opera non feciſſem in eis,&c. 32
20.30.Multa quidem & alia signa fecit Iesus, &c.50
21.16.Pasce agnos meos, pasce oues meas, 126.130. & 147.&151.

Acta Apostolorum.

1.1.Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile,&c. 51
2.14.Stans Petrus cum vndecim,&c. 126
2.23. Quem Deus suscitauit à mortuis, solutis doloribus inferni. 493
3.12.Viri Israelitæ quid miramini in hoc,&c. 24
8.14.Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis,&c. 152
13.2.Ministrantibus autem illis Domino,&c. 341
15.9.Fide purificantur corda,&c. 176

Epi-

Epistola ad Romanos.

4.3. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. 254. & 271
4.16. Ideo ex fide, vt secũdum gratiã firma sit promissio. 188
6.23. Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. 292
7.23. Video autem aliam legem in membris meis. 241.
8.38. Certus sum quod neq; mors, neq; vita &c. 191
10.10. Corde creditur ad iustitiam. 272
10.14. Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt? 476
14.3.6. Qui non manducat, manducantem non iudicet. Qui enim manducat, Domino manducat. 560.
15.30. Obsecro ergo vos fratres, &c. vt adiuuetis me in orationibus, &c. 468

Prima ad Corinthios.

1.26. Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem &c. 61
2.12. Nos non spiritum huius mundi accepimus, &c. 180
3.11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. 495
4.5. Vna Fides, &c. 24
7.1. Vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum. 533
7.9. Quod si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri. 534
10.3. Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, &c. 395
10. 4. Petra erat Christus. 397
10.16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne com-

ne communicatio sanguinis Christi est, &c. 340
11.23. Hoc enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. 361
14.14. Nam si orem linguâ, spiritus meus orat, mēs autem mea sine fructu est, &c. 574
15.29. Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? &c. 498

Ad Galatas.

2.11. In faciem illi restiti. 153
4.10. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. 559

Ad Philippenses.

2.13. Qui operatur in nobis velle, & perficere. 216

Ad Colossenses.

2.16.21. Nemo vos iudicet in cibo & potu. Ne tetigeritis, neque gustaueritis, &c. 559
2.18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, &c. 474
3.2. Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. 446

1. Ad Timotheum.

2.5. Vnus mediator Dei & hominum. 469
3.2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum. 531
4.3. Prohibentium abstinere à cibis, quos Deus creauit, &c. 532.557
5.8. Si quis suorū & maximè domesticorū, &c. 181.

Ad Hebræos.

7.17.&16.14. Vnicus est sacerdos Christus qui vna oblatione, &c. 344.345
7.25. Qui semper viuit ad interpellandum pro nobis, &c. 471
10.31. Horrendū incidere in manus Dei viuētis. 416
13.10. Habemus altare, de quo edere, &c. 341

Iacob-

Iacobus.

2.17. Fides sine operibus mortua est. 180
2.19. Tu credis in Deum, & dæmones &c. 179
5.16. Confitemini alterutrum peccata vestra. 378

2. Petri.

1.15. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, &c. 461
2.10. Dominationem contemnunt, & audaces sibi placentes, maiestatem blasphemantes. 20

1. Ioannis.

2.4. Qui dicit se nosse Deum, &c. 181
3.9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, &c. 192
3.14. Scimus quoniam translati sumus. 188
4.5. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 17
5.21. Filioli custodite vos à simulachris. 447

Apocalypsis.

2.26. Qui vicerit, & custodierit vsq; in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, &c. 463
6.11. Et datæ sunt illis (animabus) singulæ stolæ albæ. 454
6.14. Et cœlum recessit, sicut liber involutus. 89
10.6. Iurauit Angelus per viuentem in sæcula, quia tempus non erit amplius. 509
14.13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, &c. 503
19.10. Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, &c. 480

IN-

INDEX RERVM PRAECIPVARVM, QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A.

Abdissu Armenorũ Primas Tridentino Concilio subscripsit. pa. 9.

Abstinentia.

Causæ Abstinentiæ. 549

Adoratio.

Solus Deus adorandus, & quomodo. 465. & seq.

Adoratio duobus modis usurpatur. 465

Adulterium.

Quæ mala consequantur nuptias adulteri. 528

Afri.

De appellatione Afrorum ad Sedem Apostolicam. 159

Amor.

Domus Amoris Henrici Nicolai. 14. & 76

Anabaptistæ.

Anabaptistarum miracula. 103.

Anima.

Anima quomodo patiatur ab igne. 506.

D. Antonius.

D. Antonij recens miraculum in Gallia. 104

Apostoli.

Quatuor de doctrina Apostolorum attendenda, 79. & seq.

Apostoli cur sint iussi bibere calicem. 352

Sistatim post Apostolos corrupta est fides, perijt simul Ecclesia. 81

Ariani.

Ariani Christi sanguinem effundebant. 13

Attritio.

Attritio quid. 371

Varijs ex causis in peccatore excitatur. 372. & seq.

Vtilis est, contra hæreticorũ sententiam. 373

B.

Beda cur venerabilis dictus. 571

Bibere & edere in spiritualibus non differunt. 355

Bonum.

Duo bonorum genera. 525

C.

Castitas.

Obiectionibus contra Castitatē occurritur. 530
Grata Deo sunt Castorū Sacrificia. 514
Deo iuuante Castam quis vitam colere potest. 524. 525
Votum castitatis quod Sacerdos in Ordine Sacro nuncupavit, seruandum. 526
Remedia ad seruandam Castitatem. 525

Catholici:
Catholici Ecclesiam Christi sponsam studiosè colunt. 7
Catholici Maiorum traditiones, Conciliorum decreta, & consentientem Patrum doctrinam amplectuntur. 23. & seq.
Catholici D. Petri sedem venerantur. 8. & seq.
Catholici Episcopis, & cæteris Ecclesiæ Pastoribus obediunt. 10
Quo sint animo Catholici erga Monachos Religiososque viros. 12
Omnes Catholici idem vno ore loquuntur. 24
Varia vitæ ratio inter Catholicos fidem non mutat. 30
Catholici Sanctorum miracula suspiciunt, & venerantur. 32
Non omnes Catholici pr... sunt moribus. 2. & ...
Catholicorum & h... rum Antitheses. 4
Penes solos Catholicos ... vera doctrina legitima ... successio. 19. & seq.

Ceremoniæ.
Cur Iudæis baptizatis legu... Ceremoniæ permissæ. 560

Chorus.
Nulli laicorum, excepto Imperatore patebat Chorus. 572.

Christiani.
Duobus modis docētur Christiani à Deo. 62

Christus.
Christus quomodo mediator. 470.
Christi crux non obscuratur satisfactionib. nostris 406

Clerus.
Non idem locus in Ecclesia Cleri & laicorum. 572

Cœlibatus.
Syricius non fuit primus cœlibatus inuentor. 540

Communio.
Ab Ecclesia accipiendus est communicandi ritus. 362
Vt introducta communio sub altera specie. 559
Petrus Dresdēsis primus am...

nium communionis sub vtraque specie necessitatem adstruere cœpit. 351

Concionatores.

Concionatorum Catholicorũ mens, studium & effectus 17.

Concupiscentia non est peccatum. 242

Confessio.

Confessio oris quid. 365

De confessione coram sacerdote facienda, eamque necessariam authoritate Patrum probatur. 376. & se.

Confessio lege diuina præcepta & ab Apostolis tradita. 384

A confessione peccatorem quatuor impedimenta terrent. 383

Obiectiones Hæreticorum cõtra confessionem 385. & s.

Contritio.

Contritio quid. 365. 370

Aliquando remittit peccata 371.

Obiectiones contra contritionem. 374. & seq.

Crux.

S. Crux & Symbol. Apostol. Christianorũ insignia. 425

Magna semper fuit Christianorũ pietas erga crucẽ. 426

Gallus gallinaceus cũ cruce in turribus Ecclesiarum quare collocatur. 430

Dæmõ per hæreticos crucem abolere conatur. 425

Signo Crucis præcipua fidei capita cõtinentur. 426. & s.

Crucis signo se etiam infideles tuentur. 429. & seq.

Crucis mysteriũ. 426. & se.

Crucis vtilitates. 428. & s.

Quomodo formatur. 428

Monophysitæ vnico digito crucis signũ exprimebant. 428.

Crucis imagines quanti faciendæ. 431

Crucis adoratio quam antiqua. 443

D.

Defuncti.

ORationes, Eleemosynæ, ac sacrificia pro defunctis. 497. & seq.

Aerius orationes pro defunctis irridet. 490

Deus.

Deus tribus modis in homine operatur. 217

Deus causis secundis vtitur. 477.

Quid sit nosse Deum. 274

Dilectio.

Perfectio mandati de dilectione Dei non præcipitur.

245. & seq.

Doctrina.

Doctrina de thesauro indulgentiarum non est noua. 414.

Dolor.

Dolor de peccatis ad peccatorum condonationem necessarius. 370.

Dolor iste est duplex. 370

Donatistæ.

Donatistarum in S. Christi corpus, & S. Chrisma impietas. 13

E.

Ecclesia.

QVæ fuerit causa, origo, & antiquitas Ecclesiæ. 71

Vera discernendæ Ecclesiæ ratio. 73. & seq

Ecclesia nõ est inuisibilis. 62

Antiquitas Ecclesiæ Catholicæ. 82.

Propagatio Ecclesiæ Catholicæ. 83

Ecclesia longè lateque diffunditur. 71

Elegans similitudo ad inuestigandam veram Ecclesiam. 74. & seq.

Notæ ad inuestigandam Ecclesiam duplices, ab origine vna, alia ex proprietatibus. 74

Notæ Ecclesiæ ex ipsius proprietatibus sumptæ sunt vna, sancta, Catholica. 86

De tertia Ecclesiæ nota quod sit sancta. 92. & seq.

Ecclesia quomodo Catholica. 87

Quot modis Ecclesia dicatur vna. 86. 87

Apostolica, vna è veris notis Ecclesiæ. 87

Ecclesia duabus de causis dicitur Catholica. 89

Ecclesia est Catholica etiam post schisma Græcorum. 88

Ecclesia maximè temporibus Apostolorum fuit Catholica. 90

Ecclesia habet potestatem ferendi peccatorum culpas & pœnas. 401

Tria illustria priuilegia Ecclesiæ. 71. & seq.

Quæ semel Ecclesia credenda declarauit in dubium vocanda non sunt. 70

Obiectiones hæreticorum cõtra visibilem Ecclesiam dissoluuntur. 111. & seq.

Quando dicatur Ecclesia præcipere. 551. & seq.

Ecclesia nõ potest errare. 72

Syncera verbi Dei interpre-

tatio

tatio, & pura Sacramentorum administratio, non sunt satis perspicuæ notæ Ecclesiæ. 73
Verus Dei cultus in sola Ecclesia. 72
Ecclesia nec inuisibilis est: nec è solis bonis constat. 62.109.
In sola Ecclesia spes æternæ salutis affulget. 72
Quibus in regionibus singuli Apostoli Ecclesiæ fundamenta iecerint. 90
Ecclesiæ conditio quod ad peccatorum remissionem attinet melior est quam Synagogæ. 386
In Petro fundata Ecclesia. 152.
Quinque de Ecclesiæ administratione postulata. 117
Sex propositiones de Christi Republica. 115.& seq.
Successio Pastorum Ecclesiæ. 83
Qui in Ecclesia sunt, soli meritorum Christi participes efficiuntur. 72
Ecclesia Hierosolymitana quomodo aliarum mater. 155.& seq.
Principes ciuiles nõ sunt moderatores Ecclesiæ. 552
Differunt vniuersalis Episcopus, & Ecclesiæ Episcopus. 156.
Vtilitates rerum Ecclesiasticarum. 577
In regione Iaponiorum, & Sinarum nunc propagatur Euangelium. 91
Magnus olim honor scripto Euãgelio habebatur. 437. & seq.

Eleemosyna.

Datur pro defunctis. 499

Eucharistia.

Veritas corporis Christi in Sancta Eucharistia. 13. rationibus probatur. 304. & seq.
Cur sub duabus speciebus sit instituta Eucharistia. 354
Eucharistia cur panis dicatur. 324
S. Eucharistiam adorandam esse. 327
Quidam Bertramus, & Berengarius omnium primi veritatem corporis Christi in S. Eucharistia oppugnarunt. 311
Obiectiones hæreticorũ contra veritatem S. Eucharistiæ. 313.& seq.
Obiectiones contra cultum S. Eucharistiæ diluuntur. 330.&

330. & seq.
Quid sit manducare carnem, & bibere sanguinem Christi. 360
S. Eucharistiam pretiosis vasis administrari. 328
Decem argumentis efficitur sub altera tantum specie Christi corpus à laicis sumendum. 348. & seq.
Argumenta pro vtraque Sacramenti specie soluuntur 352. & seq.
Miracula per Eucharistiam edita. 312
Exomologesis quid. 379

F.

Fides.

QVid Fides, quæq; eius proprietates. 170
Apta ad fidem Catholicã declarandam similitudo. 106
Fidei operationes duplices. 172.
Præcipua fidei capita scriptis Apostolicis cõprehensa. 49
Sola Fides non sufficit ad iustificationem. 266
Fides Deo, non homine nititur. 171
Non omnia quæ ad fidẽ pertinent, sunt S. literis consignata. 48. & seq.
Constantia in Fide. 136
Fides dupliciter ad iustitiã imputatur. 254
Fides est in peccatorib. 178
Quid sit iustum ex fide viuere. 197
Prius populus, quàm Reges, in Christum credidit. 100
Apta comparatione à Medicina sumpta, vis fidei declaratur. 172
Celebre Fuldense Monasterium. 84

G.

Gratia.

GRatia Dei quid. 231
Varia gratiæ Dei nomina. 232. & seq.
Gratia Dei est fons, & ratio meritorum. 288. & se.
Gratiæ donum vocatur iustitia duabus de causis. 237
Gratia inhabitans. 210
Gratia præueniẽs, quid. 205
Gratia subsequens. 207

Græci.

Græci Romanæ sedis æmuli. 142. 143. 178.
Duo Syrorum & Græcorum Romæ Collegia. 91

H.

Hæresis.

HAereseon parens superbia. 20
Origo hæreseon. 107. & seq.

Nouæ hæreſes aliquid à veteribus habent. 76. *& ſe.*
Hæreſes omnes à Maioribus damnatæ. 26. 78
Peccata hæreſim comitantia 98.
Nulla hæreſis eſt vna. 29. 86
Bella aliæq; innumerabiles calamitates et flagitia hæreſim conſequuntur. 15

Hæretici.

Magnum diſcrimen eſt inter hæreticum, & eum qui credit hæreticis. 33
Hæretici homonymos Chriſtiani appellandi. 7
Spiritu erroris ducuntur hæretici. 16
Hæretici doctrinam ſuã vel recens ortam fateri vel exoletis hæreticis acceptam referre coguntur. 19 76.
Hæretici vera carent ſucceſſione. 18
Hæretici in dogmatis fidei inconſtantiſſimi. 28. *&* 39
Effrænatam viuendi licentiam inducunt hæretici. 14.
Hæretici Deum mendacij, crudelitatis, & iniuſtitiæ damnant. 97
Chriſti gloriam ſe quærere dicunt hæretici, quã proviribus labefactant. 4. *& ſeq.*
Hæretici noſtri ſæculi in Chriſtum contumelioſi. 6
Hæretici Epiſcopos & Sacerdotes inſectantur. 10
Hæretici Monachos, & Religioſorum ordines impugnant. 11. *& ſeq.*
Hæretici in templa, & Chriſtianorũ Sacramenta ſunt iniurij. 12. *& ſeq.*
Hæreticorum cœtus omni carent ſanctitate, ac proinde non ſunt Eccleſia. 93. 101.
Duo peccatorum genera in omnibus hæreticis. 94.
Quinam ſe procliuius cũ hæreticis coniungant. 17
Hæretici, Catholicos omnes alicuius impietatis arguunt. 94. *& ſeq.*
Omnibus hæreticis commune eſt Eccleſiam Chriſti oppugnare. 5
Vniuerſum terrarum orbem condemnant hæretici. 24 *& ſeq.*
Apoſtolici cum hæreticis minimè ſenſerunt. 79
Hæreticorum ſectæ non ſunt Catholicæ. 82

Nullus veterum Catholicorum cum hæreticis consentit. 78
Nullus veterum hæreticorũ cum nouatoribus conuenit. 77
Hæreticorum concionum finis, & effectus. 16. & *se.*
Proprium hæreticorum est Christi vicarium oppugnare. 7
Diuersa ratio prædicandi Apostolorum & hæreticorum. 99
Alius loquendi modus hæreticorum quàm Catholicorum. 23
Quælibet hæreticorum secta suum agnoscit authorem. 18.
Hæreticorũ discipuli diuersa à magistris tradunt. 29
Hæreticorum nonnulli probitatis speciem præ se ferunt. 2. & *seq.*
Hæreticorum mores quomodo disquirendi. 3. & *seq.*
Hæreticos tollit persecutio, non auget. 100.
Patriarcha Constantinop. ac Turcarum Imperator nouatores hæreticos detestãtur. 123
Cum hæreticis non disputandum. 33. & *seq.*
Quatuor obseruanda cum hæreticis disputaturo 34. & *seq.*
Tria proponẽda credentibus hæreticis. 36. & *seq.*
Nouatorum sectæ quãdo ceperint. 76
Principes cur hæreticos puniant. 100
Humanarum actionum tria principia: 1. Naturalis cognitio, 2. lex Mosaica, 3. fides. 174. & *seq.*
Humiles nomine paruulorũ intelliguntur. 60

I.

Diotarum est audire, non docere. 56

Ieiunium.

Quid sit Ieiunium. 549
Ieiunium multiplex. 548
Sex propositiones de Ieiunio notandæ. 549
Ieiunij quatuor temporum antiquitas. 551
Ieiunium non obest valetudini. 565
Ex præscripto Ecclesiæ Christianis ieiunandũ est. 552
Responsio ad ea quæ aduersus Ieiunium obijciuntur. 557. & *seq.*
Ieiuniam quartæ & sextæ ferię,

feriæ.& vgiliarum. 555. *& seq.*
Dæmonis ac hæreticorũ calliditas in impugnando ieiunio. 547

Imagines.

Imago quid. 433
Imago duplex 434
Imaginis ratio in repræsentatione consistit. 435
Imagines Patris & Spiritus sancti. 445
Christus est in imaginibus honorandus. 436
Ab Apostolorum temporibus imagines in vsu fuerunt. 435.442
Cultus internæ ac externæ Imaginis. 438
Multæ imaginum vtilitates. 435. *& seq.*
Imaginum multitudo laudanda. 440
Aeneus serpens, & aliæ in lege Mosis imagines. 442
Cærei ad imagines accensi. 439.
Ornatus imaginum. 439
Cultus imaginum non repugnat S. Scripturæ. 441
Imagines in supplicationibus circũferri solitæ. 440
Cur certæ Imagines frequentius colantur. 441
Ethnici variè coluerũt Imagines. 444
Primi Iconoclastæ. 449. *& seq.*
Instigantibus Iudæis bellum Imaginibus indicitur. 451 *& seq.*
Hæreticorum obiectiones in Imagines. 443. *& seq.*
Impietas Leonis Isaurici & aliorum aduersus Imagines. 451
Iconoclastarum calumnia in B. Epiphanium. 447
Impietatem facilè est internoscere. 92

Indulgentia.

Indulgentia quid. 407
Indulgẽdi causæ variæ 409
In indulgentijs est iustitia & misericordia. 411.
In indulgentijs Sanctorum passiones applicantur ad satisfactionem nostram 412
In indulgentijs remittuntur pœnæ, peccatis post culpæ remissionẽ debitæ 413. 416
Obiectiones hæreticorũ contra indulgentias refelluntur. 415. *& seq.*

Iustificatio.

Iustificatio est nomen Christianorum. 227
Constitutio peccatoris & hominis

minis iusti. 219.230.
Iustitia duplex. 256.394
Quomodo Christus iustitia nostra dicatur. 253
Duplex Iustificatio. 228
Deus est causa efficiens iustificationis. 259
Duplex ad iustificationem præparatio. 261
Causa finalis & formalis iustificationis. 260. & seq.
Duplex instrumentum iustificationis. 259
Signamentis iustificatæ. 187
Sola contemplatio non iustificat. 174
Incerta est singulorum hominum iustificatio. 183
Iustitia commutatiua & distributiua. 281. & seq.
Argumenta hæreticorum cõtra iustificationem diluuntur. 241. & seq.

L.

LEonis 4. Imperatoris sacrilegiũ diuinitus punitur. 452

Lex.

Noua lex suos habet Sacerdotes, sicut lex Mosis. 56
Liberius Pontifex Romanus Arianismi falsò accusatur. 142

Liberum Arbitrium.

Quid sit liberum arbitrium. 194.
Vnde libertas voluntatis. 194.
In homine iustificato qualis libertas voluntatis. 210
Difficultas de conuenientia liberi arbitrij, & prouidentiæ Dei. 195
Sublato libero arbitrio quæ consequantur absurda. 198
Obiectiones hæreticorum in liberum arbitrium dissoluuntur. 215. & seq.
Linus & Cletus vicarij B. Petri. 161

Lutherus.

Quo authore Lutherus nouã sectam inuenerit. 108
An ante Lutherum occulti fuerint Lutherani. 76. 81
Post Coprony mum B. Mariã Virginem alijs mulierculis parem fecit. 6
Lutherus B. Iacobi canonicam epist. stramineam appellat. 65

M.

Mandata.

MAndata duplicia sunt. 530.
Dei mandata impleri possunt. 244

Mar-

Martyres.

Martyres & Doctores infidelitatis dãnant hæretici 96.

Medici.

Medicorum actiones ex præscripto artis spectandæ. 3.

Meritum.

Descriptio meriti, eiusdem que explicatio. 278

Merita Christi & Sanctorum variis modis nobis applicantur. 415

Ratio meriti humani ad Deum quinque propositionibus declaratur. 282. & *f.*

Doctrina Catholicorum de meritis operum non extenuat Christi gloriam. 298. & *seq.*

Miracula.

Miracula nostro æuo fiũt. 105

Cur fiant miracula. 102. & *seq.*

Miracula quæ in Ecclesia fiunt irrident, & eleuant hæretici. 31

Nullus inter hæreticos miracula potest edere. 31

Cur quidam è Nouatianis miracula ediderint. 102

Missa.

Verũ habet Ecclesia in Missa sacrificium. 335

Missæ sacrificium longè præstantius veteris legis sacrificijs. 336. & *seq.*

Missa vbique terrarum ab Apostolis retenta est. 342

Conuenientia, & differentia sacrificij Crucis & Missæ. 336

Obiectiones in Missæ sacrificium soluuntur. 344. & *f.*

Missio.

Catholici missionem legitimam, & vocationem plurimi faciunt. 28. & *seq.*

Nullus hæreticorum ad docendum legitimè mittitur. 27

Monarchia.

Monarchica administratio alijs præferenda. 119.

Mores.

Mores hominum dupliciter spectandi. 3

N.

Natura.

Naturale duobus modis dicitur. 314

O.

Opera infidelium duplicia. 276

Opera bona iustorũ duo præstant. 411

Oratio.

Orationis fructꝰ triplex. 568

Ora-

Orationes pro defunctis 497.
Qui latine precatur nec intelligit, non caret fructu orationis. 568
In Latina Ecclesia nunquam nisi Latinè officia diuina celebrata. 569
Gregorianum officium Ambrosiano substitutum. 570
Decretum Lateranensis Cõcilij de varietate linguarũ in diuinis officijs. 578
Qui priuatim orat, quolibet idiomate vti potest. 567
Non est necesse omnia intelligi à vulgo, quæ in Ecclesijs celebrantur. 571
Vitalianus Pontifex M cur organa induxerit. 572
De precibus latine recitandis. 567. & seq.
Non expedit vernacula lingua diuina mysteria in Ecclesijs celebrari. 573
Cur nonnullæ voces Græcæ & Hebraicæ Latinis precationibus admixtæ. 570
Slauonijs indultum vt sua lingua in sacris publicè vterentur. 581
Responsio ad ea, quæ aduersus preces latinè conceptas opponuntur. 574. & seq.

P.

Paphnutius.

Paphnutius qua de causa coniugium Sacerdotibus relinquendum censuerit. 542. & seq.

Pastor.

Antiquis Ecclesiæ Pastoribus fides habenda. 27. 64
Vnum totius Ecclesiæ Pastorem esse debuisse, quinque rationibus ostenditur 119. & seq.
Idem ex veteri nouaque lege confirmatur. 124. & se.

Patres.

Multum desudarum Patres in Scripturis intelligendis 53. 57.
Quatuor de causis SS. Patres citantur. 63. & seq.
Patriarcha Antiochenus & Constantinopolitanus nostro tempore Roma. Pont. obedientiam detulerunt. 91. 92.
Antiqui Patres incorrupti

barum cõtrouersiarum iudices. 64
Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores non minore sanctitate, quàm doctrina cõspicui. 21,64

Pharao.

Deum induraſſe cor Pharaonis quo ſenſu intelligendũ. 222

Peccatum.

Duplici de cauſa peccata tegi dicuntur. 252
Qui peccat fur eſt. 507
De peccatis Catholicorũ. 201
Peccando tria mala incurrimus. 396

Peregrinatio.

Cur peregrinationes ad varia Sanctorum loca inſtituantur. 481. & ſeq.

Petrus.

D. Petri, & Pauli Apoſtolorum imagines Conſtantino Magno Imperatori à Beato Syluestro Papa exhibitæ etiãnum Romæ aſſeruantur. 443.
Quantam poteſtatem D. Petrus, eiusque ſucceſſores à Chriſto Domino acceperint. 7
Cur D. Petro delatum Paſtoris officium. 130
D. Petrus primus vbique in Scri. SS. nominatur. 127.
In quibus differat D. Petrus ab alijs Apoſtol. 129, 131
D. Petrus Romæ paſſus eſt. 131, 160.
Cur B. Petrus honorem non admiſerit. 167

Petrus Dreſdenſis.

Petri Dreſdenſis hæretici obiectio contra communem ſub vna ſpecie. 360
Phocæ Imperatoris decretum. 157 & ſeq

Pœnitentia.

Pœnitentia eſt Sacramentum. 365
Quis illius Sacramenti miniſter. 396
Non omnis pœna peccati morte tollitur. 492
Tres Pœnitentiæ partes. 365 368, 508.
S. Vrbici pœnitentia. 522
Reatus pœnæ manet dimiſſa culpa. 396. 490. 507
Cur pœna dimiſſa culpa in. ſtis reſeruetur. 491

Pont. Romanus.

Pontifex Rom. D. Petri successor. 131.156
De potestate Rom. Pont. 134
De potestate iurisdictionis Pont. Rom. 146
Nullus Pontifex Rom. hæreticus fuit. 141. & seq.
Pontifex habet thesaurum Ecclesiæ. 413
Pontifex Ro. peccare potest non tamen errorem proponere. 137
Ad Pontificem Rom. Patriarchæ, & Episcopi oppressi confugiunt. 133 & seq.
Calumniæ hæreticorum de Pontifice Rom. 114
Obiectiones hæreticorum in Primatum Pont. Rom. solu untur. 149 & seq.
Honorius alijque. &c.
Quam ob causam Rom. Pont. se permittat honorari. 165 & seq.
Ab Imperatoribus & Regibus magnos honores Pō tifici Ro. habitos. 9 & seq.
Primus Subdiaconus corrupta sanctimoniale, ad Dona tistas defecit. 11
Discrimen inter infideles, & Christianos Principes. 162.

Purgatorium.

Grauitas pœnarum Purgatorij 494
Purgatorium potest in hac vita caueri operibus satisfactorijs. 398
Obiectiones contra Purgatorium. 502 & seq.
Animæ purgatorijs ignibus detentæ, tribus modis iuuantur. 497

Q.

Quadragesima.

QVadragesimam Apostoli indixerunt. 553
Non fuit Thelesphorus auctor Quadragesimæ. 563
Mos Maiorū in ieiunio Quadragesimæ. 554
Constantinopolitani Quadragesimam obseruant etiam in summa ciborum inopia. 554. 555
Quæ sint notanda in festo Spiridionis, carnes tempore Quadrag. hospiti apponentis. 563 & seq.

F.

Reliquiæ.

Reliquias Sanctorum Ecclesia sex de causis honorat. 483 & seq.
S. Iacobi indumento Dæmonum vis prohibetur 486
Cur vetuerit S. Antonius corpus suum post mortem asseruari. 488
Veterum Christianorum pietas ad martyrum memorias. 486

Ritus.

Pueri sacrorum ritus imitantes diuinitus castigantur. 574
Romæ nunquam variata fides. 84

S.

Sacerdos.

Differentiæ legalium & Euangelicorum Sacerdotum. 538
Quæ sint munia Sacerdotum 513
Penes Sacerdotes est Scripturarum tractatio. 56
Sacerdotum nouæ legis dignitas. 368
Sacerdotibus in sui consecratione infunditur gratia peccata remittendi. 367
Sacerdoti, qui peccata sibi confitentium detegit grauis pœna infligitur. 383
Sacerdotum continentiam astruunt antiquissimi Patres 515
Quibus incommodis vacui sint Sacerdotes cœlibes. 515 516
Quot mala matrimonium Sacerdotum consequantur. 518
De Sacerdotum cœlibatu B. Vdalrici sententia examinatur 546
Cur è coniugatis assumpti sint olim Sacerdotes. 557
Qua de causa B. Paphnutius coniugium Sacerdotibus relinquendum senserit. 542. & seq.

Sacramenta.

Sacramenta dupliciter perfecta dicuntur 356

Sacrificium.

Quid sit sacrificium. & quid ab oblatione differat 333

Sacrificia veteris legis ex Christi passione vim suam obtinebant. 334
Offertur pro defunctis. 499 *& seq.*

Salus.

Salus hominis incerta: contra hoc obiectiones hæreticorum. 190. *& seq.*

Sancti.

De cultu Sanctorum quinque propositiones notandæ. 453. *& seq.*
Sanctorum animæ in cœlo cum Deo viuunt. 453
Sanctos non ignorare quæ hic ab hominibus geruntur quatuor rationibus probatur. 454
Sancti in cœlo tribus iisdem modis res humanas quibus homines ipsi cognoscunt. 456
Reuelationes Sanctorum. 113
Sancti in cœlis pro nobis orant. 459
Sancti meritò à viuentibus honorantur, & quo modo. 464. 467.
Sancti cur pro nobis orent. 472.
Ad Sanctorum sepulchra peregrinandum. 486
Discrimen inter Christi intercessionem, & preces sanctorum. 472
Cur Deus velit Sanctos orare pro nobis. 478
Sanctorum alij alijs morbis medentur. 482
Hominis Sanctitatem dignoscere difficile. 92. 93
Indicia Sanctitatis. 102
Duobus modis cognoscipotest hominis Sanctitas, supernaturali indicio, aut miraculis. 93
Obiectiones contra Sanctorum inuocationem dissoluuntur. 469. *& seq.*

Satisfactio.

Satisfactio est tertia pars pœnitentiæ. 391
Fit tribus modis. 397. *& seq.*
Satisfactionis necessitas. 393
Satisfactionis opera ad tria reuocantur. 400
Satisfactiones nostræ licet non sint iustæ, sunt tamen sufficientes. 400. *& seq.*

Obie-

Obiectiones aduersariorum de satisfactione 402. & seq.

Scribere.

Triplex scribendi modus. 41.

Triplici scribendi modo vsus est Deus in veteri instrumento. 41

Scriptura.

Quid sit Scriptura fidelium cordibus impressa. 43

Quænam inter Scripturas internas, & externas differentia. 44

Sola Scriptura non est credendorum & agendorum iudex. 135

Solius Scripturæ authoritatem admittunt hæretici, quam pro arbitrio interpretantur. 21. & seq.

Non omnia Christi gesta S. Lucas scripsit. 51

Omnium sæculorum hæretici plebis fauorem sibi conciliare Scripturas tradendo voluerunt. 58

Cur solam Scripturam suarum opinionum iudicem velint hæretici 21. & seq.

Scripturarum tractatio vulgo non permittenda. 54

De Scripturis vulgo non permittendis, hæreticorum obiectiones dissoluuntur. 58. & seq.

SS. Patres multum desudarum in Scripturis intelligendis. 53. 57

Multa in S. Scriptura intellectu difficilia. 51. & seq.

Scriptura S. à Magistris discenda. 55

Causæ obscuritatis Scripturarum. 54

Quid sit scrutari Scripturas. 59.

Hæretici plurimis Scripturæ S. libris censoriam notam inusserunt. 65

Cur aliqui libri non fuerint aliquãdo inter Sacros adnumerati. 70

Cur Concil. Laodicenũ quosdam è veteri testamento libros omiserit. 67

Hæreticorũ obiectiones de numero librorum Canonicorum soluuntur. 69. & s.

Sepultura.

Sepulchra duobus modis e-

figuntur. 487. & seq.

Successio.

Ratio successionis. 130. & s.

T.

TEmpla pretiosis instrumentis ornant Catholici. 43

Theodoreti verba de peregrinantibus ad loca sacra. 486.

Transubstantiatio.

De transubstantiatione. 321

Obiectiones contra Transubstantiationem dissoluuntur. 324. & seq.

V.

DVplex Dei verbum. 268.

Magna inest in Diuino verbo efficacitas. 369

Voluntas.

Voluntas qualis ante peccatum, & in peccato 197

Quid præstare possit voluntas. 203

Quæ non possit præstare per se voluntas. 204

Duobus modis aliquid volumus. 194

Vulnera voluntatis humanæ per peccatum inflicta. 201. & seq.


X.


XErophagiæ veterũ Christianorum. 555

FINIS.

P[ro]pria[m] huius. libri
habebat Sebastianus Gulczewski
Subdiaconus 31 Martij 1625.

BIBLIOTEKA PAN I KÓRNICKA





KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI DOM
433597



BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13900